



18
A. G. S. W.
S. W.
S. W.
S. W.

Marie



2784

Z BIBLIOTEKI
SEMINARIUM
SANDOMIERSKIEGO



THEOLOGIÆ
UNIVERSÆ

PARS PRIMA,

SPECULATIVA

DICTA,

AD USUM SCHOLÆ.

OMNES SUCCINCTÈ COMPLECTENS
MATERIAS SPECULATIVAS.

AUCTORE P. F. JOSEPHO ANTONIO

Cæsaremontano, Ordinis S. P. FRANCISCI Capuci-
norum Provinciæ Alfatiaë ternâ vice Ministro Provin-
ciali, olim S. Theologiæ Lectore.

TOMUS IV.
DE DIVINÆ GRATIÆ
AUXILIO.



ARGENTINÆ,

Impensis FRANC. LEVRAULT, almæ Univ. Episc.
Typographi, & Officinæ KÜRSNERIANÆ.

M D C C L X X V I I.

CUM LICENTIA SUPERIORUM.

2784

THEOLOGIA

Z BIBLIOTEKI
SEMINARYJUM
S. DOMIERSKIEGO

SPECULATIVA

DICTIONARIA

AD USUM SCHOLAE

OMNIBUS SUCCINCTE COMPLETENS

MATERIAS SPECULATIVAS

AUCTORE P. JOSEPHO ANTONIO

Capitulum 2. P. Theologiae
Catholice in Universitate
Almae Matris Vindobonensis
Professore

TOMUS IV.

DE DIVINAE GRATIAE

AUXILIO.




ARGENTINAE

Impensis FRANC. LEVRAULT, Stamp. Univ. Argent.
Typographi, & Officinae KERSZLANSKY.

MDCCLXXVII

Sum Licentia Superiorum



TRACTATUS DE DIVINÆ GRATIÆ AUXILIO.

Hic Tractatus in quatuor dividitur Quæstiones, quarum prima est de essentia, & necessitate gratiæ. Secunda de efficacia gratiæ. Tertia de gratia habituali. Et quarta de merito.

QUÆSTIO I. DE ESSENTIA, ET NECESSITATE GRATIÆ.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit gratia?



PRENOT. I. GRATIA generaliter, & improprie sumitur pro omni dono, etiam naturali, sive à Deo, sive ab hominibus gratis dato. Ad hanc speciem reduci potest amor, quo Deus nos ab æterno dilexit in ordine ad salutem, quæ gratia increata dicitur, ex qua omnia beneficia fluunt, quæ ad salutem conducunt. Strictius verò sumitur à Theologis dupliciter, videlicet 1.º pro gratia sanitatis, seu status naturæ innocentis, quæ est donum supernaturale super omnem naturæ exigentiam creaturæ rationali independentem à merito Christi gratis concessum in ordine ad actum,

seu finem supernaturalem, uti est iustitia originalis. 2.º Strictissimè pro gratia Christi, seu medicinali statùs naturæ lapsæ, quæ est donum supernaturale ex meritis Christi gratis concessum, de se ordinatum ad vitam æternam, ut finem, vel ad opus bonum supernaturale, ut medium. De hac propriè hîc agitur.

2. Gratia Christi dividitur 1.º in gratiam Christi simpliciter, quæ ex solis Christi meritis absque ullo nostro merito conceditur, ut gratia prima. Et in gratiam pro gratia, quæ datur propter præcedens gratiæ meritum, ut gratiæ augmentum, seu gratia secunda, quæ meretur per præcedentem. 2.º In externam, quæ hominem exterius afficit, quæ etiam moralis dicitur; quia moraliter tantum movet, ut prædicatio Evangelii, Christi miracula, remotio occasionum ad malum &c. de hac ait S. Augustinus Lib. 50. homiliarum hom. 23. Deum sic loquentem adducens: *Regebam te mihi, servabam te mihi: ut adulterium non committeres, suasor defuit; ut suasor deesset, ego feci: locus, & tempus defuit, ut deesset, ego feci. Agnosce ergo gratiam.* Et in internam, quæ hominem interius afficit. Hæc physica dicitur; quia physicè, & effectivè influit in effectum. Et dividitur in habituales, quæ per modum habitûs homini permanenter inhæret, eum formaliter sanctum, atque Deo gratum efficiens, & ad actus supernaturales vitæ æternæ de condigno meritorios cum gratia actuali elicieh-dos disponens, quæ etiam sanctificans, seu justificans dicitur. Et in actualem, nempe intellectu, quæ per modum actûs, seu monitionis Dei transeuntis intellectu illuminat, & ad assensum movet; & voluntatis, quæ illam movet ad bonum, ut ait S. Augustinus Lib. de grat. Christi c. 12. *Non solum, ut facienda noverimus, verum etiam, ut cognita faciamus, nec solum, ut diligenda credamus, verum etiam, ut credita diligamus.* 3.º Dividitur in gratis datam, & in gratum facientem. Gratis data est, quæ primariò, & per se in aliorum utilitatem conceditur, ut donum miraculorum, prophetiæ &c. Dicitur gratis data, non quia sola gratis datur, sed quia Christus de similibus donis Marth. 19. 8. dicit: *Gratis accepistis, gratis date.* Et gratum faciens, quæ primariò, ac per se in salutem illius, cui datur, ordinatur, eum Deo gratum faciens, sive formaliter, ut gratia habitualis, sive dispositivè, ut gratia actualis.

Q. I. DE ESSENT. ET NECESS. GRAT. A. I. 5

3. Gratia actualis, ut patet ex S. Scriptura, & SS. Patribus, dividitur in operantem & cooperantem. *Gratia operans* est ea, quâ Deus per actus supernaturales, ac indeliberatos in nobis sine nobis operatur, ac bonum incipit; dicitur sine nobis, non quia non vitaliter, & physicè simul operamur, sed quia illi actus sine nobis liberè consentientibus à Deo in nobis excitantur, ut voluntas in actu à Deo posita possit consentire eum prosequendo liberè cum gratia cooperante, vel resistere, vel impedire, si velit. Hæc etiam vocatur gratia excitans, & præveniens. Excitans; quia nos veluti torpentes à somno peccati excitat, & à malo retrahit. Præveniens; quia voluntatem prævenit, & ad bonum præparat causando boni initium. Ad hanc nempe operantem revocantur illuminationes intellectûs, ac motus voluntatis indeliberati, quibus vocamur, excitamur; ac impellimur ad bonum faciendum, & malum fugiendum.

Gratia operans est concursus Dei supernaturalis, qui ad bonum per gratiam operantem inceptum nobiscum cooperatur, hæc etiam dicitur adjuvans, concomitans, & subsequens. Adjuvans; quia ad bonum per gratiam excitantem inceptum prosequendum voluntatem adjuvat. Concomitans; quia voluntatem ad bonum perficiendum concomitatur. Subsequens; quia voluntatem per gratiam prævenientem ad bonum excitatam consequitur, & adjuvat ad illud perficiendum, prout indicat S. Augustinus Lib. 2. contra duas epistolas Pelagi. c. 10. dicens: *Hominis propositum adjuvat quidem subsequens gratia, sed nec ipsum esset, nisi præcederet gratia.* Unde erroneè cum Semipelagianis gratia subsequens dicitur ea, quæ pium voluntatis conatum naturalem subsequitur. Has diversas gratiæ actualis divisiones indicat S. Augustinus. De gratia enim operante, & cooperante dicit Lib. de grat. & lib. arbit. c. 17. dicens: *Qui præparat voluntatem, & cooperando perficit; quoniam ipse, ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens, propter quod ait Apostolus Philip. 1. 6. Certus sum, quoniam, qui operatur in vobis bonum, perficiet usque in diem JESU CHRISTI. Ut ergo velimus, sine nobis operatur; cum autem volumus, & sic volumus, ut faciamus; nobiscum operatur, tamen sine illo,*

vel operante, ut velimus, vel cooperante, cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus. Et de gratia præveniente, & subsequente dicit idem S. Augustinus in Enchiridio ad Laur. c. 32. *Nam utrumque legitur in sanctis eloquiis, & misericordia ejus præveniet me, & misericordia ejus subsequetur me. Nolentem prævenit, ut velit; volentem subsequitur, ne frustra velit.* Et Lib. de nat. & grat. c. 31. *Prævenit autem, ut sanemur; quia & subsequitur, ut etiam sanati vigeremur: prævenit, ut vocemur, subsequitur, ut glorificemur, prævenit, ut pie vivamus, subsequitur, ut cum illo semper vivamus; quia sine illo nihil possumus facere.* Et denique de excitante, & adjuvante ait Lib. 2. de pecc. merit. & remiss. a. 18. *Quod ad Deum nos convertamus, nisi ipso excitante, atque adjuvante, non possumus.* Et de spir. & litt. c. 20. *Non ostendit tantum, quid faciendum, sed etiam adjuvat, ut fieri possit, quod ostenderit.* Item in Enchir. c. 22. *Hominis voluntatem bonam & preparat adjuvandam, & adjuvat preparatam.* Et concomitantem indicat Apostolus 1. Cor. 15. 10. *Non ego autem, sed gratia Dei mecum.*

Unde quatuor sunt effectus gratiæ, quorum primus est, ut anima gratiâ operante sanetur. Secundus, ut bonum gratiâ adjuvante velit. Tertius, ut bonum, quod vult, gratia cooperante efficaciter operetur. Quartus, ut in bono gratia subsequente perseveret, & ad gloriam perveniat.

4. Solemnis est gratiæ actualis divisio in gratiam sufficientem, quæ à S. Augustino Lib. de corrept. & grat. cap. 12. n. 34. etiam vocatur *auxilium*, sine quo aliquid non fit; & *efficacem*, quam vocat *auxilium*, quo aliquid fit. Gratia sufficiens genericè vi nominis est ea, quæ sufficit ad opus bonum, tribuens vires potentiæ effectui intento pares, sive sequatur, vel non sequatur effectus. In hoc lato sensu etiam gratia efficax dicitur à Christo sufficiens 2. Cor. 12. dicente S. Paulo: *Sufficit tibi gratia mea.* Stricteius verò, & specificè reduplicativè, ut merè sufficiens à Theologis sumitur pro ea, quæ tantum dat posse operari, non tamen actu operari, non ex defectu sui, sed ex defectu operantis, & potest dici sufficiens dupliciter, videlicet 1.º absolute consideratâ solâ gratiæ naturâ in se præcisis subjecti, seu operantis circumstantiarum, ac concupiscentiæ

Q. I. DE ESSENT. ET NECESS. GRAT. A. I. 7

oppositæ dispositionibus, & gradibus. 2.º Respectivè, seu relativè ad subjecti circumstantias, & concupiscenciam oppositam, & in hoc ultimo sensu est duntaxat verò, ac propriè in sensu catholico sufficiens, & definitur: *Auxilium, quod confert potentiam relativè ad præsentis subjecti circumstantias completam, & expeditam ad operandum, licèt effectum non sortiatur ex solo voluntatis vitio nolentis ei cooperari.* Hæc duplex est, nimirum proximè sufficiens, quæ etiam actionis dicitur, quæ immediatè dat potentiam operis à Deo ultimatè intenti sine alio auxilio superaddito; & remotè sufficiens, quæ non dat potentiam immediatam operis à Deo ultimatè intenti, dat tamen potentiam immediatam ad implorandum per orationem, vel cooperationem uberius Dei auxilium. Hanc indicat S. Augustinus Lib. de nat. & grat. c. 44. *Non igitur impossibilia jubet (Deus) sed jubendo admonet, & facere quod possis, & petere, quod non possis, & adjuvat, ut possis.* Gratia efficax strictè, prout opponitur merè sufficienti est ea, quæ suum effectum à Deo intentum certò, & infallibiliter semper assequitur. De utraque sufficiente, & efficaci plura dicentur inferiùs in Quæstione de efficacia gratiæ.



ARTICULUS II.

Quotuplex sit status naturæ humanæ.

Prænot. I. GENUS humanum potest considerari in triplici statu, in quo ipsius natura fuit, & in triplici, in quo potuisset collocari. *Primus status,* in quo fuit, est naturæ innocentis, in quo primi parentes conditi fuère cum justitia originali, seu naturæ; non quia à natura fuit, vel juxta illius exigentiam est debita, sed quia in origine naturæ fuit concessa, prout patet contra Novatores ex damnatione propositionum 26. 78. 79. à S. PIO V. GREGORIO XIII. & ex S. Augustino Lib. 6. de gen. ad litt. c. 25. Vi hujus status homo habuit 1.º gratiam sanctificantem cum habitibus ei connexis fidei, spei, charitatis, & aliis virtutibus infusis, ac donis Spiritûs Sancti, gratia actuali,

& elevatione ad finem supernaturalem æternæ beatitudinis: 2.^o Immortalitatem, & immunitatem à fame, siti, dolore, morbo, concupiscentia, & passionibus inordinatis, & alternantibus. 3.^o Plenitudinem cognitionis rerum naturalium, & supernaturalium, quorundam myfteriorum fidei, cum dominio in pisces maris, volatilia cœli, & universa animantia, herbas, & ligna, solo excepto ligno scientiæ boni, & mali pro recognitione supremi Dei domini, Gen. 1. & 2. & 4.^o perfectam subjectionem rationis ad Deum, appetitûs sensitivi ad rationem, corporis ad animam; quia Eccles. 7. 30. *Deus fecit hominem rectum*, quem textum SS. patres de rectitudine naturali, ac supernaturali intelligunt.

Secundus est status naturæ lapsæ, in quo erat natura post lapsum primorum parentum præscindendo ab eorum redemptione. Vi hujus statûs erant spoliati gratiâ sanctificante, virtutibus, ac donis eidem annexis, immortalitate, plenitudine cognitionis, subjectione animalium, appetitûs sensitivi, ac vulnerati quadruplici vulnere, ignorantia in intellectu, malitiâ in voluntate, concupiscentiâ in appetitu concupiscibili, & infirmitate in irascibili.

Tertius est status naturæ lapsæ per Christum reparatæ, in quo natura est actu morte Christi redempta à peccato originali, & actuali. Vi hujus statûs homo restituitur primævo juri ad vitam æternam peccato Adami amisso per media à Christo instituta; non tamen omnia sanantur primi peccati vulnera, & de facto virtus in infirmitate perficitur, 2. Cor. 12. 9. quæ nobis erat congenita.

2. Tres status, in quibus natura humana collocari potuisset, sunt status naturæ puræ, status naturæ integræ, & status naturæ lapsæ non reparandæ. Primus *status naturæ puræ* est, in quo homo fuisset conditus cum solis perfectionibus naturæ debitæ, & imperfectionibus ex ea sequentibus sine gratia, & sine peccato originali. Vi hujus statûs homo habuisset 1.^o intellectum, voluntatem, liberum arbitrium, appetitum sensitivum concupiscibilem circa bonum delectabile, & irascibilem circa bona ardua cum rebellionē contra rationem, concupiscentiam, ignorantiam. 2.^o Passus fuisset famem, sitim, ægritudinem, alterationem, mortem, & alias

Q. I. DE ESSENT. ET NECESS. GRAT. A. II. 9

naturæ nostræ miseras, quæ tamen non fuissent poena peccati, sed naturæ appendices; quia fuisset natus sine peccato originali; potuisset tamen peccare. 3. Fuisset sine gratia, & sine beatitudinis supernaturalis, sed tantum naturalis alterius vitæ consistens in perfectissima cognitione Dei abstractiva, & amore illius necessario, ut auctoris naturæ; quia prædicta omnia consequerentur ad ipsius naturam.

Secundus *status naturæ integræ*, qui præter perfectiones naturæ importat integritatem indebitam, quâ homo liberatur à conflictu inter partem inferiorem, appetitum sensitivum, & superiorem, nempe rationem per subjectionem inferioris ad superiorem, & passionem ad rationem. Vi hujus statûs 1.º homo fuisset immunis ab ignorantia, concupiscentia, morte, & passionibus naturam alterantibus; quia natura est integra, quando inter partes nulla est divisio. 2.º Fuisset sine peccato, & sine gratia saltem habituali, non verò sine auxilio indebita naturali, vel supernaturali, quo redederetur immunis ab infirmitatibus naturæ, & conflictu passionum, & lege repugnante legi mentis. Hic status naturæ integræ aliquando etiam sumitur pro statu innocentia; quia in Adamo cum eo erat unitus.

Tertius *status naturæ lapsæ non reparandæ* est status, in quo homo fuisset, si redemptorem non habuisset, nempe conceptus in peccato, natus filius iræ, circumdatus infirmitatibus, & miseriis, privatus justitiâ originali, sine gratia, sine remedio, sine spe salutis, ac deterioris conditionis, quàm in statu naturæ puræ; quia in hoc fuisset sine peccato, non aversus à Deo, & aptior ad bonum.

Quæritur. An omnes hi tres status, in quibus natura humana collocari potuisset, revera fuerint possibiles, & unquam extiterint?

Resp. Statum naturæ merè integræ, & lapsæ non reparandæ nunquam extitisse, conveniunt Theologi; quia juxta S. Scripturam, & S. Augustinum, & alios SS. Patres, Deus, creando hominem, fecit eum rectum, omnibus justitiæ originalis donis, ac prærogativis ornatum, ac illius redemptionem viso lapsu ab æterno decrevit. Utrumque tamen fuisse possibilem; quia po-

tuisset hominem creare cum integritate, sine justitia originali, quæ homini est indebita, & lapsum relinquere sine redemptione, ut Angelos apostatas; & quæstio tantum est contra hæreticos de statu naturæ puræ, quem Pelagiani non solum asserunt possibilem, sed actualem, in quo sine peccato, & sine gratia, & sine integritate nascimur. Novatores verò Lutherus, Calvinus, Bajus, & Jansenius eis extremè oppositi dicunt, hunc non solum extitisse, sed nec fuisse possibilem, & repugnare justitiæ, bonitati, ac providentiæ Dei. Contra quos omnes est

CONCLUSIO.

Quamvis status naturæ puræ nunquam extiterit, fuit tamen possibilis.

Prob. 1. pars, quòd status naturæ nunquam extiterit. Status naturæ puræ nunquam extitit, si Deus hominem creavit cum justitia originali, ac integritate: atqui Deus hominem creavit cum justitia originali, & integritate; quia hæc dona per peccatum amisit, ut testatur S. Scriptura, & SS. Patres. Nam Rom. 5. 12. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors &c.* Et Concilium Trid. Sess. 5. Can. 2. & 10. declarat, Adam, ejusque posteros per peccatum sanctitatem, & justitiam amisisse. S. Augustinus Lib. 4. contra Jul. c. 16. ait de Adamo: *Spoliatus gratiã sensit, quod operire deberet.* Idem asserunt alii SS. Patres variis in locis; ergo status naturæ puræ nunquam extitit.

Prob. 2. pars, quòd status naturæ puræ etiam fuerit possibilis. Si status naturæ puræ non fuisset possibilis, ideo esset; quia justitiæ originalis, ac integritas naturæ humanæ fuerunt debita naturaliter, vel saltem sine læsione justitiæ, bonitatis, ac providentiæ divinæ, & rectæ rationis negare non potuerit: hæ enim sunt adversariorum rationes: atqui justitia originalis, & integritas non fuerunt naturæ humanæ naturaliter debita, ut patet ex damnatione propositionum Mich. Baji 26. 78. 79. à S. PIO V. GREGORIO VIII. URBANO VIII. & Quesnelli 35. à CLEMENTE VI. & sine læsione justitiæ, bonitatis; & providentiæ, & rectæ rationis ei negari potuissent; quia quod est indebitum

Q. I. DE ESSENT. ET NECESS. GRAT. A. II. 11

sine læsione justitiæ &c. negari potest; ergo status naturæ puræ fuit possibilis. Minor patet ex propositionibus damnatis, quæ sic sonat. Prop. Mich. Baji 26. *Integritas primæ creationis non fuit indebita naturæ humanæ exaltatio, sed naturalis illius conditio.*

78. *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio.*

79. *Falsa est Doctorum sententia, primum hominem potuisse à Deo creari, & institui sine justitia naturali.*

Quesnelli 35. *Gratia Adami est sequela creationis, & erat debita natura sanæ, & integræ.*

Solvuntur objectiones contra secundam partem, de possibilitate naturæ puræ.

Obj. Deus non potuit hominem creare sine gratia, & integritate; ergo status naturæ puræ non fuit possibilis. *Prob. 1. membrum ant.* Quod non potuerit creare hominem sine ordinatione ad finem ultimum, & sine mediis necessariis ad illum consequendum: atqui gratia est medium necessarium ad finem ultimum consequendum; ergo Deus non potuit hominem creare sine gratia.

Resp. dist. maj. Deus non potuit hominem creare sine ordinatione ad finem ultimum naturalem, vel supernaturalem, & mediis correspondentibus, *con. maj.* Deus non potuit creare hominem sine ordinatione ad finem ultimum supernaturalem, *neg. maj. dist. min.* atqui gratia est medium necessarium ad finem ultimum supernaturalem consequendum, *con. min. naturalem, neg. min. & conf.* Finis ultimus hominis supernaturalis est beatitudo supernaturalis consistens formaliter in clara Dei visione intuitiva, & amore ex illa consequente, & hæc sine gratia supernaturali obtineri nequit. In statu verò naturæ puræ finis ultimus naturalis fuisset beatitudo naturalis consistens in cognitione Dei abstractiva, perfectione quidem, quàm in via, sed tamen naturali, & in amore naturali ei correspondente, quam cum auxilio Dei ordinis naturalis in statu naturæ puræ consequi potuisset.

Inst. 1. Atqui beatitudo naturalis consistens in cognitione Dei abstractiva, & amore correspondente non potest esse finis ultimus hominis in statu naturæ puræ;

ergo &c. *Prob. subs.* Finis ultimus debet satiare appetitum hominis, & non potest esse communis reprobis: atqui cognitio Dei abstractiva, & amor correspondens non possunt satiare appetitum hominis; quia posset exoptare Deum semper cognoscere perfectius, & cognitio Dei abstractiva etiam communis est reprobis per scientiam sibi in via comparatam; ergo beatitudo naturalis &c. non potest esse finis ultimus hominis in statu naturæ puræ.

Resp. dist. min. Atqui cognitio Dei abstractiva, & amor correspondens non possunt satiare appetitum hominis in statu præsentis, & elevato ad beatitudinem supernaturalem, & cognitio Dei abstractiva hujus vitæ, & valde imperfecta est communis reprobis, *con. min.* non possunt satiare appetitum hominis in statu naturæ puræ, & non elevato ad beatitudinem supernaturalem, & cognitio Dei abstractiva alterius vitæ longè perfectior est communis reprobis, *neg. min. & conf.* Unde beatitudo naturalis non potest satiare appetitum hominis in hoc statu præsentis, & per fidem elevato ad beatitudinem supernaturalem; quia desiderat beatitudinem perfectiorem, & supernaturalem, ad quam à Deo destinatus est; benè autem in statu naturæ puræ; quia ignoti nulla est cupido; & cum non cognosceret finem supernaturalem, & esset indebitus, nec illum desideraret, sicut nec Beati in cœlis majorem desiderant beatitudinem sibi non debitam. Scientia autem reproborum eos non facit Beatos; quia Deum cognoscunt, ut vindicem, non verò remuneratorem, nec ita perfectè; sicut Beati.

Inst. 2. Atqui cognitio abstractiva cum amore correspondente non posset satiare appetitum hominis etiam in statu naturæ puræ sine dono supernaturali; ergo. *Prob. subs.* Anima etiam in statu naturæ puræ semper retineret appetitum naturalem ad corpus tanquam suam partem: atqui resurrectio corporis, & illius reunio cum anima esset supernaturalis; quia non posset fieri, nisi supernaturaliter; ergo cognitio abstractiva cum amore correspondente non posset satiare appetitum hominis in statu naturæ puræ sine dono supernaturali.

Resp. dist. min. Atqui resurrectio corporis, & illius reunio cum anima non posset fieri, nisi supernatura-

Q. I. DE ESSENT. ET NECESS. GRAT. A. II. 13

liter quoad modum, *con. min.* quoad terminum, *neg. min. & conf.* Quamvis enim resurrectio, & reunio corporis cum anima esset supernaturalis quoad modum, quoad substantiam, & terminum esset naturalis; quia fieret secundum exigentiam naturalem; cum corpus animæ sit debitum. Deinde anima etiam sine corpore esset naturaliter beata, saltem essentialiter, sicut de facto Beati in cœlis sine corpore beati sunt; quia resurrectio corporis pertinet ad gloriam tantum accidentalem.

Inst. 3. Atqui etiam supposito, resurrectionem esse naturalem quoad substantiam, & terminum, non tamen homo verè esset beatus in statu naturæ puræ sine alio dono supernaturali, ac indebito; ergo &c. *Prob. subs.* Homo non potest esse verè beatus, nisi habeat immortalitatem; quia beatitudo, & miseria non sunt compatibles, & S. Augustinus Lib. de civit. Dei cap. 25. ait: *Natura non est perfectè beata, nisi sit, ubi mori, falli, ostendi non possit*: atqui immortalitas est donum supernaturale, & naturæ indebitum; ergo homo non esset verè beatus in statu naturæ puræ sine aliquo dono supernaturali.

Resp. dist. min. Immortalitas intrinseca proveniens ex iustitia originali, vel alio principio intrinseco, & supernaturali est naturæ indebita, & supernaturalis, *con. min.* extrinseca proveniens à principio extrinseco, vel naturali est supernaturalis, *neg. min. & conf.* Unde immortalitas, ac impassibilitas Beatorum in statu naturæ puræ non proveniret à iustitia originali, ut fuisset in statu naturæ innocentis; nec à principio intrinseco, & supernaturali, sed à naturali Dei providentia, quæ amovisset dolorum, ac mortis causas, vel concedendo donum aliquod naturale, quo vita fuisset semper conservata in beatis alterius vitæ.

Inst. 4. Atqui omnia prædicta dona naturalia, videlicet cognitio Dei abstractiva cum amore, resurrectione, & immortalitate extrinseca non fatiant appetitum naturalem hominis in statu naturæ puræ; ergo &c. *Prob. subs.* S. Thomas 1. p. q. 12. a. 1. in corpore docet, naturalem homini inesse appetitum videndi Deum. Et Lib. 3. contra gent. cap. 50. 31. 52. homini inesse naturale desiderium videndi causam primam, viso esse.

Et : atqui talis appetitus, & desiderium non possunt prædictis donis naturalibus satiari, sed solâ Dei visione intuitivâ, quæ donum est supernaturale; ergo omnia prædicta dona naturalia non satiant appetitum naturalem hominis in statu naturæ puræ.

Resp. dist. maj. Ex S. Thoma inest homini appetitus & desiderium naturale innatum absolutum, & efficax videndi Deum intuitivè, *neg. maj.* elicitedum inefficax, ac conditionatum, si naturaliter esset intuitivè visibilis, *con. maj. concessâ min. dist. conf.* ergo prædicta dona naturalia non satiant appetitum naturalem absolutum & efficacem, *neg. conf.* inefficacem, & conditionatum, *con. conf.* Ad beatitudinem autem naturalem sufficit, quòd satiatur appetitus absolutus, & efficax; non verò requiritur, ut etiam satiatur conditionatus, quo desideratur visio Dei intuitiva sub conditione, si posset naturaliter acquiri, nec inde aliqua oriri potest tristitia; quia homo in hoc statu eam cognosceret sibi indebitam. Sic nullus rusticus contristatur, quòd non sit rex, vel papa; quia istæ dignitates ipsius conditioni non sunt debitæ, nec ei comperunt.

Inst. 5. Atqui juxta S. Thomam homo habet appetitum naturalem absolutum, & efficacem videndi Deum intuitivè; ergo &c. *Prob. subs.* S. Thomas in loco citato probat ex appetitu visionis Dei intuitivæ illius possibilitatem: atqui ex appetitu inefficaci, & conditionato nihil probaret; quia datur appetitus inefficax, & conditionatus circa impossibilia, sic potest aliquis desiderare videre chimæram, si esset possibilis; ergo homo habet appetitum naturalem absolutum, & efficacem videndi Deum intuitivè.

Resp. dist. maj. S. Thomas probat ex appetitu visionis Dei intuitivæ illius possibilitatem demonstrativè & efficaciter, *neg. maj.* moraliter, ac probabiliter, *con. maj. dist. pariter min.* atqui ex appetitu inefficaci conditionato nihil probaret demonstrativè, *con. min.* nihil probaret moraliter, *neg. min. & conf.* S. Thomas in citato loco non intendit demonstrativè probare possibilitatem visionis Dei intuitivæ; quia naturaliter non est demonstrabilis, sicut multa alia mysteria fidei, sed tantum ex eo, quòd omnes sapientes ex visione stru-

Q. I. DE ESSENT. ET NECESS. GRAT. A. II. 15

Eturæ totius universi sentiant appetitum elicited videndi causam primam illius, argumento probabile infert, visionem illius ab iis iudicari possibilem, & ralem appetitum moraliter loquendo non posse frustrari.

Inst. 6. Atqui S. Doctor loquitur saltem de desiderio efficaci visionis Dei intuitivæ, & illud dari existimat; ergo &c. *Prob. subs.* S. Thomas loquitur de desiderio, quod non potest frustrari: sed desiderium, quod non potest frustrari, est saltem efficax; ergo S. Doctor saltem loquitur de desiderio efficaci, & illud dari existimat.

Resp. dist. maj. S. Thomas loquitur de desiderio, quod non potest frustrari moraliter loquendo, *con. maj.* absolute, *neg. maj. dist. min.* sed desiderium, quod non potest frustrari absolute, est efficax, *con. min.* quod non potest moraliter frustrari, est efficax, *subdist.* est efficax moraliter loquendo, *con. min.* absolute, ita, ut inferri possit, visionem Dei intuitivam homini esse naturalem, *neg. min. & conf.*

Inst. 7. Atqui appetitus, quem S. Thomas supponit in homine videndi Deum intuitivè, est homini naturalis; ergo &c. *Prob. subs.* Quod lumine naturali cognosci potest; quia juxta S. Augustinum Lib. 8. de civ. Dei c. 8. Platonici nonnisi lumen naturale habentes cognoverunt, hominem beatum esse fruitione Dei, sicut luce oculus; ergo appetitus videndi Deum intuitivè est homini naturalis.

Resp. dist. maj. Quod lumine naturali certò, & infallibiliter cognosci potest naturales, *con. maj.* quod conjecturaliter tantum cognosci potest; *neg. maj. dist. min.* atqui visio Dei intuitiva cognosci potest certò, & infallibiliter, *neg. maj. conjecturaliter, con. min. & neg. conf.* Platonici nonnisi conjecturaliter, & obscure cognoverunt, hominem beatum fore fruitione Dei per cognitionem claram, & abstractivam, ut luce fruitur oculus, non verò per intuitivam, ut oculus intuetur lucem; unde similitudo allegata claudicat, & non est integra.

Inst. 8. Atqui visio Dei intuitiva potest lumine naturæ certò, & infallibiliter cognosci; ergo &c. *Prob. subs.* Juxta mentem S. Augustini visio Dei intuitiva est

homini naturalis; ergo demonstrativè, & certò cognosci potest naturaliter. *Prob. ant.* Quod sine injuria naturæ negari non potest, naturale est: atqui ex S. Augustino regnum Dei, quod consistit in visione intuitiva, naturæ innocenti, prout esset in statu naturæ puræ, sine injuria negari non potest; nam sit contra Jul. c. 12. n. 25. ait: *Quâ justitiâ quæso, à regno Dei, à vita Dei alienatur imago Dei in nullo transgressa legem Dei; & multis in locis reprehendit Pelagianos dicentes, parvulos absque peccato originali natos privari regno cœlorum; ergo visio Dei intuitiva homini naturalis est.*

Resp. dist. min. Atqui ex S. Augustino regnum Dei naturæ innocenti in statu elevato ad beatitudinem supernaturalem, uti est præsens parvulorum, sine injuria negari non potest, *con. min.* in statu naturæ puræ, *neg. min. & conf.* Unde benè arguit S. Augustinus contra Pelagianos, parvulos non posse privari vitâ æternâ, si non habeant peccatum originale, quod Pelagiani in iis negabant; quia vita æterna in hoc statu innocentibus est debita, non verò in statu naturæ puræ, seclusâ elevatione, & promissione vitæ æternæ.

Inst. 9. Atqui visio Dei intuitiva homini etiam in statu naturæ puræ non potest sine injuria à Deo negari; ergo &c. *Prob. subs.* Si Deus posset negare visionem intuitivam in statu naturæ puræ, ideo esset, quia est donum supernaturale: atqui gratia sufficiens in statu præsentis etiam est donum supernaturale, & tamen Deus juxta æquitatem suæ sapientiæ non potest illam negare; ergo visio Dei intuitiva homini in statu naturæ puræ sine injuria negari non potest.

Resp. dist. min. Non potest negare gratiam sufficientem, suppositâ elevatione ad finem supernaturalem, & suppositis præceptis supernaturalibus, ad quæ servanda oportet dare auxilia proportionata, *con. min.* non suppositâ dictâ elevatione, *neg. min. & conf.*

Inst. 10. Saltem beatitudo naturalis non potest acquiri sine gratia; ergo &c. *Prob. subs.* Beatitudo naturalis non potest acquiri sine amore Dei super omnia: atqui amor Dei super omnia non potest haberi sine gratia; ergo beatitudo naturalis non potest acquiri sine gratia.

Prob.

Q. I. DE ESSENT. ET NECESS. GRAT. A. II. 17

Prob. min. Juxta S. Augustinum Lib. 5. contra Julian. c. 3. amor Dei super omnia præcipuum opus gratiæ est; & Pelagius maximè erravit; quia existimabat, amorem Dei posse haberi ex folis naturæ viribus; ergo amor Dei super omnia non potest haberi sine gratia.

Resp. dist. maj. Beatitudo naturalis non potest haberi sine amore Dei super omnia naturali, *con. maj.* beatitudo naturalis non potest haberi sine amore Dei super omnia supernaturali, *neg. maj. dist. min.* atqui amor Dei super omnia supernaturalis non potest haberi sine gratia, *con. min.* amor Dei super omnia naturalis non potest haberi sine gratia, *neg. min. & conf.* Duplex est beatitudo naturalis, & supernaturalis, & duplex amor Dei, ut auctoris naturæ, & ut auctoris gratiæ. Amor naturalis, ut auctoris naturæ, sufficit ad beatitudinem naturalem acquirendam; quia illi proportionatus est, & ejusdem est ordinis; ad beatitudinem autem supernaturalem requiritur amor supernaturalis, qui sine gratia haberi non potest, & de hoc loquitur S. Augustinus. Dari autem talem amorem naturalem laudabilem, patet ex damnatione propositionis 34. 35. & 38. Mich. Baji à S. PIO V. GREGORIO XIII. & URBANO VIII.

Inst. II. Atqui nec amor Dei naturalis potest haberi sine gratia; ergo &c. *Prob. subs.* Amor Dei naturalis potest haberi sine observatione præceptorum naturalium: atqui præcepta naturalia non possunt observari sine gratia; ergo nec amor Dei naturalis potest haberi sine gratia. *Prob. min.* Homo in statu naturæ puræ non haberet majores vires naturales, quàm in statu naturæ lapsæ; naturalia enim remanserunt integra, & homo haberet rebellionem carnis, sicut in statu naturæ lapsæ: atqui in statu naturæ lapsæ non potest observare omnia præcepta naturalia, & vincere omnes carnis tentationes sine gratia; ergo præcepta naturalia non possunt observari sine gratia.

Resp. dist. maj. Homo in statu naturæ puræ non haberet majores vires, nec minora boni impedimenta, *neg. maj.* non haberet majores vires, sed minora boni impedimenta, *con. maj. concessã min. neg. conf.* Quamvis enim homo in statu naturæ puræ non haberet majores vires, quàm in statu naturæ lapsæ; minora tamen ha-

beret impedimenta ad faciendum bonum ; quia non esset per peccatum averfus à Deo summo bono ; in statu verò naturæ lapsæ major esset carnis rebellio , major ignorantia , majorque ad sensibilia propensio propter majorem per peccatum ad creaturas conversionem.

Prob. secundum membrum primi antecedentis, quòd saltem Deus non potuerit creare hominem sine integritate. Deus non potuit creare hominem in statu naturæ puræ sine eo , quod ei naturale est ; aliàs mutaretur natura : atqui dona gratiæ , & integritatis Adamo collata à S. CÆLESTINO I. ad Episc. Galliæ , à S. Augustino , & aliis SS. Patribus dicuntur naturalia ; ergo Deus non potuit creare hominem sine integritate.

Resp. dist. min. Atqui dona gratiæ , & integritatis dicuntur à SS. Patribus dona naturalia latè , & in sensu improprio , *con. min.* strictè , & in sensu proprio , *neg. min. & conf.* Gratia originalis , & integritas dicuntur dona naturalia à SS. Patribus ; quia sunt in origine , & cum natura concessa. Sic dicimur ad Eph. 2. naturâ filii iræ. Non verò propriè , ac strictè ; quia naturæ sunt debita , ut essentia , vel proprietas , vel quia sine læsione rectæ rationis , & æquitatis non potuissent negari.

Inst. 1. Atqui integritas est naturalis homini in sensu proprio , & illi est debita ; ergo &c. *Prob. subs.* Si integritas non esset naturalis homini in statu naturæ puræ , concupiscentia illi esset naturalis : atqui ex S. Augustino concupiscentia non est naturalis hominis proprietas , sed malum illius naturæ oppositum , & juxta S. Thomam inest homini contra naturam 1. p. q. 82. a. 3. ad 1. quia ut probat S. Augustinus contra Julianum , si esset naturalis hominis proprietas , esset à Deo , esset bona , & laudabilis : atqui 1. Joan. 2. concupiscentia carnis non est à Patre , & juxta Apostolum ad Rom. 7. peccatum est , & Lib. 3. contra Jul. c. 21. n. 49. ait S. Augustinus : *Hoc interest , quod ego dico , me malum frænare , tu autem , te bonum : ego dico , mihi malum repugnari , tu , tibi bonum ;* ergo concupiscentia ex S. Augustino non est homini naturalis.

Resp. dist. min. Atqui ex S. Augustino concupiscentia non est naturalis hominis proprietas , sed malum illius

Q. I. DE ESSENT. ET NECESS. GRAT. A. II. 19

naturæ oppositum, & juxta S. Thomam inest homini contra naturam sumpta in actu primo pro ipsa facultate appetendi bonum sensibile, *neg. min.* sumpta in actu secundo pro actuali inclinatione, & motu in bonum sensibile contra rectam rationem, *subdist.* non est naturalis proprietas perfectiva, si transcendat limites rationis, ut loquitur S. Thomas citatus, *con. min.* non est naturalis proprietas in actu suo deficiens, si repugnet rationi, *neg. min. & conf.* Unde concupiscentia sumpta pro ipsa facultate appetendi bonum sensibile est homini naturalis, à Deo creata, bona, ac laudabilis, sicut potentia intellectûs, & voluntatis, quamvis deficere possint; etiam illius actus potest esse laudabilis, virtus, & habere rationem meriti, si fiat juxta rectam rationem: non verò est bona in sensu Juliani quoad defectum, quatenus illius motus excedit limites rationis, concupiscit adversus spiritum, eum captivans in lege peccati, sed in hoc sensu est mala saltem naturaliter, & moraliter, si accedat consensus.

Infl. 2. Atqui S. Augustinus dicebat concupiscentiam malam sumptam pro ipsa facultate appetendi bonum: ergo &c. *Prob. subs.* In eo sensu S. Augustinus dicebat concupiscentiam malam, in quo Julianus illam dicebat bonam: atqui Julianus dicebat concupiscentiam bonam sumptam pro ipsa facultate, & illius excessum, & abusum malum, ut patet ex S. Augustino, qui Lib. 4. c. 14. n. 73. ad Julianum ait: *Excessus, inquis, ejus, (nempe concupiscentiæ) in culpa est.* Et ipse Julianus dicebat Lib. 2. de nuptiis, & concup. c. 19. n. 34. concupiscentiæ naturalis qui modum tenet, bono benè utitur; qui modum non tenet, bono malè utitur; ergo S. Augustinus dicebat concupiscentiam malam sumptam pro ipsa facultate appetendi bonum.

Resp. dist. min. Atqui Julianus dicebat concupiscentiam bonam sumptam pro ipsa facultate, & simul pro illius repugnantia rationi; & solum illius excessum, & abusum per consensum malum, *con. min.* sumptam tantum pro ipsa facultate secundum se, & entitatem, *neg. min. & conf.* Unde Julianus non solum concupiscentiam sumptam pro facultate appetendi bonum sensibile secundum se, & suam entitatem, sed etiam secundum illius morum contra rationem dicebat bonam; & solum

excessum, & abusum per consensum malum, prout indicat S. Augustinus Lib. 5. c. 7. n. 29. ipsum alloquens: *Quid te juvat, quod reprehendere videris ejus excessum, cujus motum (nempe inordinatum) approbas.* Et Lib. 3. c. 20. *Incipio disputare de excessu concupiscentiæ, quem reprehensibilem dicis, quasi in ejus moderatione, cum eâ benè vitur conjugatus, equus ipse, qui malus est, & non potius sit ejus auriga laudandus.* Et pretendit S. Augustinus, quod non solum excessus, qui fit per consensum, sed etiam cui resistitur, malus fit, dicens Lib. 5. mox citato: *Tunc enim excedit licitum limitem (nempe juxta Julianum) quando ejus motibus ceditur. Mala tamen est, & quando non ceditur; quia malo resistitur, ne bonum castitatis intereat, si huic malo non resistatur.* Et juxta S. Augustinum sicut equus, licet secundum se, & naturam bonus fit, resistens tamen aurigæ malus est, & non equus, sed potius auriga, qui illum moderatur, laudandus est.

Inst. 3. Atqui concupiscentia sumpta pro ipsa facultate secundum se est mala in mente S. Augustini; ergo. *Prob. subs.* Quod contrarium est dilectioni, sapientiæ, & virtutibus inimicum, & motus inordinatos producit, non potest esse bonum, sed est malum; quia Matth. 7. 18. *Non potest arbor bona malos fructus facere:* atqui S. Augustinus Lib. 4. contra Julianum c. 14. n. 65. dicit: *Concupiscentiam contrariam esse dilectioni, sapientiæ, & virtutibus inimicam, & motus inordinatos producit; ergo concupiscentia secundum se est mala in mente S. Augustini.*

Resp. dist. maj. Quod contrarium est dilectioni, sapientiæ, & virtutibus inimicum, ac motus inordinatos producit per se, ut habitus vitiosi, avaritiæ, incontinentiæ &c. non potest esse bonum, sed est malum, *con. maj.* quod contrarium est dilectioni &c. per accidens, non potest esse bonum, sed est malum, *neg. maj. dist. min.* atqui concupiscentia contraria est dilectioni, sapientiæ, & virtutibus inimica per accidens, *con. min.* per se, *neg. min. & conf.* Unde sicut arbor bona per accidens, & deficiendo potest producere malos fructus, sic etiam concupiscentia deficiendo, & per accidens movet contra rationem, & repugnat dilectioni, & virtutibus.

Q. I. DE ESSENT. ET NECESS. GRAT. A. II. 21

Inst. 4. Atqui concupiscentia etiam per se est contraria dilectioni, & virtutibus; ergo &c. *Prob. subs.* Ideo habitus vitiosi per se sunt contrarii dilectioni, & virtutibus; quia ex nativa sua conditione inclinant ad actus malos, & virtutibus oppositos: atqui concupiscentia etiam sumpta pro ipsa facultate ex nativa sua conditione inclinatur ad actus malos, ut ad rebellionem, inordinationem, quæ repugnant dilectioni; ergo concupiscentia etiam per se est contraria dilectioni, & virtutibus.

Resp. dist. maj. Ideo habitus per se sunt contrarii dilectioni, & virtutibus; quia ex nativa sua conditione, & per se inclinant ad actus formaliter malos, & virtutibus formaliter oppositos; quia sunt voluntarii, & nunquam boni, *con. maj.* quia inclinant ad actus naturaliter tantum, ac materialiter malos, *neg. maj. dist. min.* atqui concupiscentia sumpta pro ipsa facultate ex nativa sua conditione, & per accidens inclinatur ad actus naturaliter, ac materialiter tantum malos, ad rebellionem &c. *con. min.* inclinatur ad actus moraliter, ac formaliter malos, & per se, *neg. min. & conf.* Unde motus concupiscentiæ sunt quidem mali naturaliter; quia sunt defectus naturales suæ facultatis, sed non formaliter; quia non sunt voluntarii, & per accidens sunt mali, si accedat consensus; & si voluntas resistat, sunt, ut ait S. Augustinus Lib. 3. de lib. arb. cap. 20. *Proficiendi admonitio, & perfectionis exordium.* Econtra verò motus habitus vitiosi sunt per se malè formaliter; quia sunt voluntarii in sua causa.

Inst. 5. Saltem ex responsione data sequitur, concupiscentiam esse naturaliter malam: atqui non potest esse naturaliter mala, aliàs Deus esset auctor mali; ergo nec potest status naturæ puræ esse possibilis. *Prob. maj.* Talis est arbor, quales sunt fructus, ut patet Matth. 7. atqui fructus, seu motus concupiscentiæ sunt naturaliter mali; ergo concupiscentia est naturaliter mala.

Resp. dist. maj. Talis est arbor formaliter, qualis est fructus, *neg. maj.* talis est arbor causaliter, seu virtualiter, *con. maj. concessa min. dist. conf.* ergo concupiscentia est naturaliter mala causaliter, id est, potest causare malum naturale, *con. conf.* formaliter, id est,

ipsa est malum naturale, *neg. conf.* Unde concupiscentia non est defectus naturæ secundum se, sed secundum suos actus, & per accidens; quia secundum se est defectibilis, & potest deficere per suos actus; si non moderentur secundum rectam rationem.

Inst. 6. Saltem concupiscentia non est naturalis statui naturæ puræ; ergo &c. *Prob. subs.* Si concupiscentia esset naturalis statui naturæ puræ, homo in isto statu posset sequi motus concupiscentiæ repugnantes rationi: falsum consequens. *Prob. maj.* Si concupiscentia esset naturalis statui naturæ puræ, illius motus repugnantes rationi fierent secundum ordinem naturæ istius statûs; quia rebellio est illi naturalis: atqui sequi ordinem naturæ non esset peccatum; ergo homo in isto statu posset sequi motus concupiscentiæ repugnantes rationi.

Resp. dist. maj. Si concupiscentia esset naturalis statui naturæ puræ, illius motus repugnantes rationi fierent secundum ordinem naturæ deficientis, *con. maj.* naturæ se continentis, *neg. maj. dist. min.* atqui sequi ordinem naturæ se continentis intra limites rationis non est peccatum, *con. min.* sequi ordinem naturæ deficientis non est peccatum, *neg. min. & conf.* Unde motus concupiscentiæ rationi repugnantes sunt defectus naturæ, in quos concupiscentia potest deficere, quos non licet sequi, nec illis assentire; sicut visio, licet naturalis sit, circa objecta tamen nociva cohiberi debet.

Inst. 7. Atqui licitum esset sequi motus concupiscentiæ rationi repugnantes, & illius consentire sine peccato; ergo &c. *Prob. subs.* Malo naturale licitum est consentire, ut morbo, morti &c. atqui tales motus essent tantum malum naturale; ergo licitum esset illis consentire.

Resp. dist. maj. Malo naturali licitum est consentire, si absit periculum peccandi, & non tendat in malum morale, *con. maj.* si adsit periculum peccandi, & impellat, vel inducat in malum morale, *neg. maj. dist. pariter min.* atqui tales motus essent tantum malum naturale impellentes in malum morale, si nimirum accedat consensus, quem sollicitant, *con. min.* & non impellunt in malum morale, & consensus, *neg. min. & conf.* Non potest enim homo in tali statu ob naturæ

Q. I. DE ESSENT. ET NECESS. GRAT. A. II. 23

fragilitatem consentire motibus contrariis rationi sine peccato, nec illos sequi sine periculo excessus culpabilis, præcipuè in materia luxuriæ.

Inst. 8. Atqui natura pura exigit integritatem, & subjectionem concupiscentiæ rationi; ergo &c. *Prob. subs.* Natura pura exigit, quod inferior sit subjectus superiori: sed concupiscentia est pars inferior hominis, & ratio superior; ergo natura pura exigit integritatem & subjectionem concupiscentiæ rationi.

Resp. dist. maj. Natura pura exigit, quod inferior sit subjectus superiori politicè & cum aliqua renitentia, ut filius patri, & cives principi, *con. maj.* despoticè sine ulla potestate resistendi, ut pes, & manus subjacent voluntati, *neg. maj. concessã min. neg. conf.* Unde appetitus sensitivus, seu concupiscentia subjacet quidem parti superiori, à qua debet dirigi, sicut cives à superiore, qui tamen possunt aliquando resistere, & reclamare.

Inst. 9. Atqui appetitus sensitivus deberet subjacere parti superiori etiam despoticè, & sine rebellione; ergo &c. *Prob. subs.* Homo in statu naturæ puræ non esset deterioris conditionis, quàm bruta: atqui in brutis appetitus subjacet regulæ, & non afficiuntur motibus libidinosis, nisi tempore apto ad congressum, quo peracto castè vivunt; nec excedere solent in alimentis; ergo appetitus sensitivus deberet subjacere parti superiori etiam despoticè.

Resp. dist. min. Atqui in brutis appetitus subjacet regulæ rationali, & liberè, *neg. min.* instinctui naturali & necessario, *con. min. & neg. conf.* Unde subjectio appetitus relativè ad instinctum naturalem non provenit ex majori perfectione, prout indicat S. Augustinus Lib. de pecc. orig. c. 40. n. 46. dicens: *Tantæ excellentiæ est in comparatione pecoris homo; ut vitium hominis natura sit pecoris; quia nimirum homo per vitium, & pecora per naturam, & necessario sequuntur appetitum sensitivum.*

Inst. 10. Si concupiscentia esset naturalis statui naturæ puræ, esset opus Dei; quia natura est à Deo: atqui concupiscentia non est opus Dei; ergo nec est naturalis. *Prob. min.* Opus Dei non est pudendum juxta S. Augustinum Lib. 1. ad Bonif. c. 15 & 16. quia, qui erubescit de dono Dei, injuriam ei facit, ut arguit

idem S. Doctor contra Jul. Lib. 2. de nupt. & concept. c. 9. atqui ex eodem Sancto Lib. 1. de nupt. & concept. c. 22. concupiscentia est opus pudendum; ergo non est opus Dei.

Resp. dist. maj. Opus Dei juxta S. Augustinum non est pudendum per modum mali moralis, *con. maj.* per modum mali naturalis, *subdist.* non est pudendum ut opus Dei, *con. maj.* non est pudendum ut opus naturæ deficientis, *neg. maj. dist. min.* atqui ex S. Augustino concupiscentia est opus pudendum ut est opus Dei, *neg. min.* ut opus creaturæ deficientis, *con. min. dist. conf.* ergo concupiscentia non est opus Dei, ut est malum morale, *con. conf.* ut est malum naturale, *subdist.* formaliter ut deficiens, *con. conf.* materialiter ut est inclinatio ad bonum sensibile, *neg. conf.* Unde erubesceret homo in statu naturæ puræ de concupiscentia, prout est defectus naturæ, sicut de cæcitate, vel membro fracto, non prout est à Deo, sed prout est vitium à creatura.

Inst. 11. Atqui concupiscentia esset malum morale; ergo &c. *Prob. subs.* Quod est effectus peccati, & ipsum peccatum, est malum morale: atqui concupiscentia ex S. Augustino contra Jul. est effectus peccati, & Apost. Rom. 7. illam peccatum appellat; ergo concupiscentia est malum morale.

Resp. dist. min. Concupiscentia ex S. Augustino est effectus peccati in statu naturæ puræ, & Apostolus illam peccatum appellat improprie; quia ex peccato est, & in peccatum inclinatur, prout Conc. Trid. dicit Sess. 5. mentem Apostoli exponens, *con. min. neg. conf.* Unde S. Augustinus, & Apostolus ambo loquuntur de statu præsentis, & nihil probant pro statu naturæ puræ.

Inst. 12. Atqui concupiscentia etiam in statu naturæ puræ fuisset pœna peccati; ergo &c. *Prob. subs.* Si concupiscentia in statu naturæ puræ non fuisset pœna peccati, S. Augustinus contra Julianum non rectè probaret per concupiscentiam peccatum originale; quia potuisset homini esse naturalis, sicut in statu naturæ puræ; atqui S. Augustinus contra Julianum probat originale ex concupiscentia; ergo concupiscentia etiam in statu naturæ puræ fuisset pœna peccati.

Resp. dist. maj. Si concupiscentia in statu naturæ puræ non fuisset pœna peccati S. Augustinus non rectè pro-

baret originale ex concupiscentia non præsupposito statu integritatis, *con. maj.* præsupposito statu integritatis, uti fuit in statu præsentis, *neg. maj. dist. min.* atqui S. Augustinus probat originale per concupiscentiam in statu præsentis præsupposito statu integritatis, *con. min.* non præsupposito statu integritatis, *neg. min.* ex eo enim, quod homo fuerit in statu integritatis sine concupiscentia, & lege mortis, & de facto his miseriis sit obnoxius, rectè infertur peccatum, propter quod statum tam perfecto fuerit privatus; quia ista privatio est pœna, quæ supponit culpam.

Inst. 13. Atqui S. Augustinus non potuit, etiam in præsentis statu, contra Julianum præsupponere statum integritatis; ergo &c. *Prob. subs.* Illud S. Augustinus non potuit supponere, quod Julianus, & Pelagiani mordaciter negabant: atqui statum integritatis in primo homine fuisse mordaciter negabant; ergo S. Augustinus non potuit in præsentis statu præsupponere statum integritatis.

Resp. dist. maj. Illud S. Augustinus non potuit supponere, quod Julianus, & Pelagiani mordaciter negabant ex illorum consensu, *con. min.* illud non potuit supponere ex S. Scriptura, & Traditione, *neg. maj. concessã min. neg. conf.* Supposuit S. Augustinus statum integritatis non ex mente Pelagianorum, sed ex S. Scriptura, & Traditione, ex quibus statum integritatis probavit.

Inst. 14. Atqui S. Augustinus supponit, originale ex concupiscentia, & aliis hujus vitæ miseriis, præscindendo ab omni revelatione statum integritatis, posse probari; ergo &c. *Prob. subs.* Si S. Augustinus supponat Philosophos nullam habentes fidem, ac revelationem, cognovisse, peccatum causam pœnarum luendarum fuisse, supponit originale ex solis hujus vitæ miseriis posse probari: atqui S. Augustinus Lib. 4. contra Jul. c. ult. dicit, Philosophos gentiles, nullam habentes fidem, ita cognovisse, dicens: *Hujus evidentia miseriæ gentium Philosophos nihil de peccato primi hominis, sive scientes, sive credentes compulit dicere, ob aliqua scelera suscepta in vita superiore pœnarum luendarum causã nos esse natos;* ergo S. Augustinus supponit, originale ex concupiscentia, & aliis hujus vitæ miseriis posse probari.

Resp. dist. min. Ex S. Augustino Philosophi gentiles, nullam habentes fidem, agnoverunt miseriarum hujus vitæ causam esse peccatum, quæ communes fuissent statui naturæ puræ, *neg. min.* agnoverunt miseriarum hujus vitæ, quæ longè majores sunt ob peccatum originale, quàm fuissent in statu naturæ puræ, *con. min.* & *neg. conf.* Unde S. Augustinus dicit Philosophos ex consideratione omnium miseriarum totius hujus vitæ probabiliter potuisse inferre aliquam culpam, non verò certò, nec ex aliquibusdam tantum, quæ fuissent communes naturæ puræ, ut concupiscentia, morbi, & mors, quæ etiam animalia sine culpa patiuntur.

Inst. 15. Atqui S. Augustinus supponit etiam miseris, quæ fuissent communes statui naturæ puræ, posse inferri culpam, etiam præscindendo à statu integritatis, & fide; ergo &c. *Prob. subs.* S. Augustinus dicit, miserias parvas etiam, & communes statui naturæ puræ non posse à Deo infligi sine culpa, Lib. 1. oper. imperf. contra Julianum c. 39. dicens: *Neque sub Deo justò miser esse quisquam, nisi mereatur, potest.* Et serm. 14. de verbis Apost. Pelagium alloquens dicit: *Quæ est ista justitia? defende justitiam Dei, quare vel parva pœna infligatur innocenti;* ergo supponit ex illis posse sine revelatione inferri peccatum.

Resp. dist. ant. S. Augustinus dicit miserias etiam parvas, & communes naturæ puræ non posse à Deo infligi tanquam effectus naturæ, *neg. ant. & conf.* Tales enim naturæ effectus non essent propriè miseriarum in statu naturæ puræ, nec pœnæ, sicut non dicuntur miseriarum, nec pœnæ respectu animalium.

Inst. 16. Atqui concupiscentia non potest esse effectus naturæ puræ absque peccato; ergo &c. *Prob. subs.* Si concupiscentia non esset pœna peccati, sed effectus naturæ puræ naturalis, etiam potuisset assumi à Christo; quia assumpsit naturam integram absque peccato: atqui tamen non assumpsit concupiscentiam sumptam pro rebellionem carnis; ergo concupiscentia non potest esse effectus naturæ puræ absque peccato.

Resp. dist. rationem maj. Christus assumpsit naturam integram quoad perfectiones, *con. maj.* quoad defectus, *subdist.* aliquos naturales non repugnantes perfectioni

Q. I. DE ESSENT. ET NECESS. GRAT. A. II. 27

unionis hypostaticæ, ut passibilitatem &c. *con. rationem maj.* assumpsit omnes, & repugnantes perfectioni unionis hypostaticæ, *neg. maj. & concessâ min. neg. cons.* Plura de his in Tract. de Incarn. Verbi div. habentur.

Inst. 17. Status naturæ puræ, includens rebellionem carnis, inordinationem ad rationem, ac alia multa mala naturæ involvens, est inconueniens, vel saltem minus conueniens: atqui Deus non potest facere, quod est inconueniens, vel etiam solum minus conueniens, prout indicat S. Anselmus Lib. cur Deus homo c. 10. dicens: *Sicut enim in Deo quantumlibet paruum inconueniens sequitur impossibilitas, ita quamlibet parvam rationem, si majori non vincitur, comitatur necessitas; ergo status naturæ puræ non est possibilis.*

Resp. dist. maj. Status naturæ puræ includens rebellionem &c. est inconueniens, vel saltem minus conueniens absolutè, *neg. maj.* comparativè ad alium statum perfectiorem, *con. maj. dist. min.* atqui ex S. Anselmo Deus non potest facere inconueniens, vel minus conueniens absolutè, *con. min.* inconueniens, vel minus conueniens comparatè, vel relativè ad aliud, *neg. min. & cons.* Unde quamvis status naturæ puræ esset minus perfectus secundum se, & minor ratio comparatè ad naturam, potest tamen esse melior, & major ratio comparatè, & relativè ad finem, quem Deus haberet, si illam voluisset producere.

ARTICULUS III.

Quinam fuerint circa necessitatem gratiæ errores.

Resp. I. **C**IRCA necessitatem gratiæ 1.º erraverunt Lucifer, & Adam affectantes independen-
tiam à Deo *Isai. 14. 14. Similis ero Altissimo; & Gen. 3. 5. Eritis sicut dii.* 2.º Stoici antiqui Philosophi omnem sibi virtutis laudem, & solam hujus vitæ commoditatem suis diis attribuentes, teste S. Hieronymo. 3.º Judæi quidam, totam suam spem, ac justificationem in legis suæ observatione reponentes, quos impugnat Apostolus ad Rom. & Galat. 4.º Origenes teste eodem

S. Hieronymo, qui Pelagii errorem Origenis ramusculum appellat. 5.º Theodorus Mopsuestiæ Episcopus teste S. Augustino, & Evagrius Ponticus, Sextus Philosophus, Paladius Galata, & alii teste S. Hieronymo. 6.º Rufinus Presbyter probabiliter Aquilejensis Pelagii, ac Cœlestii Magister apud S. Augustinum Lib. de pecc. orig. c. 3. 7. denique famosa fuit Pelagianorum, & Semipelagianorum hæresis, contra quas S. Augustinus acriter disputavit.

2. Pelagius, à quo Pelagiani dicti, teste S. Augustino fuit natione Britannus, ingenio acutus, facundus eloquio, moribus apparens probus, professione monachus non claustralis, sed alterius speciei tunc temporis in propriis suis ædibus commemorantium; non sacerdos, sed laicus teste Zozimo Pontifice dictus Ep. ad Africanos. Discipulos habuit Cœlestium, à quo Cœlestiani nominati, Julianum, & Annianum. Suos errores disseminavit circa an. 405. qui an. 412. à Conc. Carthaginensi, & viginti tribus subsequentibus, & tandem in generali Ephesino anno 431. cum erroribus Nestorii damnati sunt. Duplex est præcipuus Pelagianorum error, videlicet *primus*, hominem tantum possibilitatem, seu facultatem boni à Deo habere per creationem, usum verò & actionem illius esse à solo homine; nullamque gratiam esse necessariam; quia tolleret libertatem. *Secundus*, peccatum originale soli nocuisse Adamo, & ad posteros non traduci, nisi imitatione; liberumque arbitrium per illud non fuisse debilitatum, ac naturam nullatenus fuisse vitiatam, sed infantes nasci in eo statu, in quo Adamus fuit creatus, consequenter eos non indigere baptismo, nec hominem adultum gratiâ medicinali, sed naturam sufficere ad omne opus bonum, & hominem naturæ viribus posse quodlibet opus salutare peragere, omnia Dei mandata observare, tentationes quascunque superare, pravas consuetudines vincere, ac tandem æternam beatitudinem consequi sine alia gratia. Ab hoc duplici errore Pelagiani nunquam sincerè recesserunt, Catholicorum argumentis pressi vario modo se explicare & excusare studuerunt. Hinc quadruplex à Theologis distinguitur Pelagianismi status. Primus est, in quo Pelagiani nullam admiserunt gratiæ necessitatem. Secundus, in quo liberum arbitrium, quod antea non

negaverunt, gratiam appellare ceperunt, nempe creationis; quia Deus, qui hominem creavit, liberum arbitrium simul ei gratis donavit, ut testatur S. Augustinus serm. 26. aliàs 11. de verb. Ap. c. 7. Tertius, in quo præter liberum arbitrium gratiam externam, nempe legem, doctrinam, remissionem peccatorum, & exempla Christi admiserunt, Deumque justificationis auctorem dicebant, ut testatur S. Augustinus Lib. de spir. & litt. c. 2. & 8. quia legem dedit, doctrinam, & exempla virtutum Christi, quorum intuitu noverimus, quemadmodum vivere debeamus. Quartus, in quo tandem, etiam aliquam gratiam internam à Deo dari, professi sunt, dum nos multiformi, & ineffabili dono gratiæ cœlestis illuminat, ut refert S. Augustinus Lib. de gratia Christi c. 7. n. 8. sed cum duplici errore, videlicet illam necessariam non esse, nisi, ut id, quod à Deo præcipitur, facilius impleatur, & eam secundum merita dari, nempe naturæ. Utramque testatur S. Augustinus cit. cap. 26. & 31.

3. Semipelagiani sic nominati à dimidiato Pelagii errore retento, & Massilienses ab urbe Massiliensi, ubi frequentius convenerunt, & ubi quidam Episcopi Galliæ, ac alii viri docti efficaciam gratiæ Prædestinatorum bono zelo temperare volentes in alios errores Pelagii prolapsi sunt, non tamen ab ipsis Semipelagianismus initium cepit; quia jam tempore S. Augustini Vitalis Carthaginensis eundem errorem professus est, ac ipse S. Augustinus, antequam Episcopus factus est, per aliquod tempus in eodem errore fuit, ut ipse fatetur Lib. de præd. Sanct. c. 3. Præcipui Semipelagianismi fautores fuere Joannes Cassianus, Faustus Episcopus Regiensis in Gallia, Gennadius Presbyter Massiliensis, eorumque impugnatores fuerunt S. Augustinus, S. Prosper, S. Hilarius, & eorum error damnatus fuit sub FELICE IV. in Synodo Arausicana II. à BONIFACIO II. approbata, & à Valentina III. anno 855. ac tandem à Tridentina generali Sess. 6. Can. 1. 2. & 3. anno 1547.

4. Errores Semipelagianorum sunt 1.º initium fidei, primum desiderium salutis, conatus assurgendi à peccato, & virtutem exercendi esse ex solis naturæ viribus. 2.º Gratiam internam, quam ad bonum, & ad salutem dicebant necessariam, ob hæc salutis initia, solis

naturæ viribus elicitæ, dari, ac proinde primam gratiam non gratis dari, nec ad initium fidei, ac salutis esse necessariam, quamvis teste S. Prospero Ep. ad S. Augustinum *omnem hominem ad credendum, & operandum divinis institutionibus admoneri, non negaverint*; aliàs Pelagianis fuissent deteriores. 3.º Parvulis post baptismum morientibus, qui ex se salutis initium elicere nequeunt, gratiam baptismi dari ob prævisa naturæ merita, quæ fecissent, si diutius vixissent. 4.º Deum omnium hominum salutem velle æqualiter sine prædilectione prædestinatorum, & gratiam omnibus æqualiter, ac indiscriminatim conferri, nulla interveniente speciali misericordiâ Dei. 5.º Evangelium præ aliis illis prædicari, quos conditionatè prævidit ei credituros, & gratiam præ aliis ipsis dari, quos pariter conditionatè prævidit cooperaturos, ac proinde diversimodè distribui propter diversum usum prævisum, & diversum naturæ initium ad bonum. 6.º Hominem sine speciali gratia in iustitia accepta solis naturæ viribus posse usque ad finem perseverare.

5. Quæritur inter Theologos 1.º an illud donum gratiæ coelestis, quo Pelagiani nos illuminari dicebant, fuerit verè gratia actionis, se tenens non solum ex parte objecti per revelationem internam clariùs propòsiti, & intellectum, ac voluntatem moraliter tantum moventis, sed etiam ex parte potentiæ intellectûs, & voluntatis intellectum ad assensum fidei divinitùs elevans, & voluntatem ad operandum bonum physicè excitans, & adjuvans, & an etiam gratiam habitualem, & habitus supernaturaliter infusos admiserint. 2.º An Semipelagiani non solum gratiam externam, sed etiam internam actionis ad initium fidei necessariam agnoverint. 3.º Circa quam gratiam erat inter S. Augustinum, & Pelagianos, ac Semipelagianos disputatio. Pelagianos gratiam internam actionis non solum intellectûs, sed etiam voluntatis, & habitualem admisisse, docent Thomistæ, ac Semipelagianos insuper etiam interioris gratiæ necessitatè ad singulos actus, etiam initium fidei agnovisse, docet Jansenius Lib. 5. & 11. de hæres. Pelag. ac proinde S. Augustinum non propugnasse gratiam actionis intellectûs, ac voluntatis secundum se, quam ipsi non negabant, sed illius vir-

tutem, & efficaciam invictam, indeclinabilem, insuperabilem, ac necessitatem, quam cum libertate concordare non poterant, existimantes, eam non simplicem duntaxat necessitatem, sed etiam coactionem inferre. Hæc basis est, ac fundamentum systematis Jansenii, contra quem, & alios est

CONCLUSIO.

Pelagiani nullam gratiam internam actionis, ipsas potentias intellectus, & voluntatis internè afficientem, ac physicè excitantem, & adjuvantem, nec gratiam habituales gratiam sanctificantem unquam admiserunt; nec Semipelagiani gratiæ interioris prævenientis ad initium fidei necessitatem, ac proinde præcipua S. Augustini cum Pelagianis, & Semipelagianis disputatio fuit circa gratiæ internæ actualis ad singulos pietatis actus etiam initium fidei necessitatem, non verò circa gratiam necessitantem, & circa modum illius efficaciam minus sollicitus fuisse videtur.

Prob. 1. pars, quòd Pelagius non admiserit gratiam internam actionis. Si Pelagius admisisset gratiam internam actionis, maximè illam admisisset, intellectus quando dixit apud S. Augustinum Lib. de grat. Christi c. 7. n. 8. nos ineffabili dono gratiæ cœlestis illuminari, & voluntatis, dum ait cap. 10. Deum in nobis operari velle, quod bonum est: atqui ex S. Augustino citato in primo loco Pelagius non recessit à commendatione legis, atque doctrinæ, & in secundo nihil aliud intelligit, quàm legem, & doctrinam; ergo Pelagius non admisit gratiam internam actionis, nec intellectus, vel voluntatis.

*Confirmatur eadem pars. Gratia interna actionis intellectus, ac voluntatis est, quâ non solum revelatur, quid agere debeamus, sed etiam donat, & adjuvat, ut agamus, quæ non solum possibilitatem dat naturalem voluntatis, & actionis, sed etiam intellectus, & voluntas, ac eorum actio adjuvatur; quâ non solum bonum incipitur, sed quâ etiam piè vivamus: atqui Pelagius talem nunquam admisit, ut testatur S. Augustinus Lib. de grat. Christi dicens: *Apparet enim, hanc eum (Pelagium) gratiam confiteri, quâ revelat Deus, & demonstrat, quid agere debeamus; non quâ donat, & adjuvat, ut agamus.* Et cap. 34. *Nec alicubi potui reperire,**

hanc eum gratiam confiteri, quâ non solum possibilitas naturalis voluntatis, & actionis, quam dicit nos habere . . . sed ipsa etiam voluntas, & actio subministratione S. Spiritus adjuvatur. Et Lib. de hæresibus hæresi 88. ait: *Charitatem autem dari negat*. (Pelagius) quâ piè vivitur, quem Librum de hæres. in fine vitæ suæ S. Augustinus scripsit; ergo Pelagius nequidem in ultimo statu suæ hæresis admisit gratiam internam actionis intellectus, & voluntatis.

Prob. 2. pars, quod Pelagiani nec gratiam sanctificantem admiserint. Si Pelagiani gratiam intrinsecam sanctificantem admisissent, maximè S. Augustinus id scivisset: atqui S. Augustinus Lib. de grat. Christi cap. 30. profitetur, se nusquam invenisse Pelagium, & Cœlestium gratiam, quâ justificamur, admisisse, dicens: *Gratiam, quâ justificamur, id est, quâ charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, in Pelagii, & Cœlestii scriptis, quæcunque legere potui, nusquam eos inveni, quemadmodum confitenda est, confiteri; ergo Pelagiani nec gratiam sanctificantem admiserunt.*

Prob. 3. pars, quod nec Semipelagiani admiserint interioris gratiæ necessitatem ad initium fidei. Semipelagiani non admiserunt interioris gratiæ necessitatem ad initium fidei, si dixerint initium fidei esse ab ipso homine, nec esse donum Dei: atqui apud S. Augustinum Lib. de prædest. cap. ult. ita dicunt: *Dei donum esse incrementum fidei, initium verò fidei, quo in Christum primitus creditur, ab homine ipso esse, nec esse donum Dei.* Idem testatur S. Prosper Ep. ad S. Augustinum; ergo non admiserunt interioris gratiæ necessitatem ad initium fidei.

Prob. 4. pars, quod disputatio S. Augustini cum Pelagianis, & Semipelagianis fuerit circa gratiæ interioris actualis, & actionis necessitatem. Illam gratiam S. Augustinus propugnabat, quam Pelagiani, ac Semipelagiani negabant: atqui Pelagiani, ac Semipelagiani negabant gratiæ internæ actualis, & actionis necessitatem quoad substantiam, ut patet ex probationibus præcedentibus, & ex verbis S. Augustini, qui Lib. de gest. c. ult. ait: *In hoc tota ista hæresis consistit, quod non sit liberum arbitrium; si indigeat auxilio Dei . . . quod victoria nostra ex Dei non*

non sit adiutorio, sed ex libero arbitrio. Et Lib. de præd. Sanct. Initium fidei nec esse donum Dei . . . prius itaque fidem, quâ Christiani sumus, donum Dei esse debemus ostendere. Et patet quoad Pelagianos ex damnatione prop. IV. Jansenii asserentis, Semipelagianos gratiæ interioris prævenientis necessitatem ad singulos actus etiam ad initium fidei admisisse, quam INNOCENTIUS X. & ALEXANDER VII. hæreticam declarant; ergo disputatio S. Augustini cum Pelagianis, & Semipelagianis fuit circa gratiæ interioris actualis, & actionis necessitatem.

Confirmatur. De illa gratia erat disputatio S. Augustini cum Pelagianis, & Semipelagianis, quam ipsis persuasit: atqui ipsis persuasit gratiam internam actionis quoad substantiam Lib. de grat. Christi cap. 10. de Pelagio loquens, ac dicens: *Istam (gratiam) aliquando fateatur, quâ futuræ gloriæ magnitudo non solum promittitur, verum etiam creditur, & speratur, nec solum revelatur sapientia, verum etiam amatur, nec suadeatur solum omne, quod bonum est, verum & persuadetur.* Hanc debet Pelagius gratiam confiteri, si vult non solum vocari, verum etiam esse Christianus. Et Semipelagianis Lib. de prædest. ostendit etiam initium fidei esse donum Dei; ergo S. Augustini disputatio cum Pelagianis, & Semipelagianis erat de gratia interna actionis quoad substantiam, & non de gratia irresistibili, vel de modo illius efficaciam necessitantis, sed de ea, quæ libertatem conservat, ut patet ex illius Lib. de spir. & litt. c. 30. ait: *Liberum ergo arbitrium evacuamus per gratiam? absit, sed magis liberum arbitrium statuimus; quia gratia sanat libertatem, quâ iustitia liberè diligatur, cum potestas datur, non necessitas utique imponitur.*

Solvuntur objectiones contra primam partem, de gratia interna actionis.

Obj. 1. Gratia interna actionis intellectus est, quâ Deus nos illuminat, & voluntatis, quâ in nobis operatur velle, quod bonum est: atqui Pelagius talem admisit apud S. Augustinum Lib. de grat. Christi c. 7. ubi ait: *Adjuvat enim nos, dum nos multiformi, & ineffabili dono gratiæ caelestis illuminat.* Et c. 10. *Operatur in nobis velle, quod bonum est;* ergo Pelagius admisit gratiam internam actionis &c.

Resp. dist. maj. Gratia interna actionis intellectus est, quâ Deus nos illuminat, & voluntatis, quâ in nobis operatur velle, quod bonum est, intellectum, & voluntatem interius physicè afficiendo, ac movendo, *con. maj.* tantum moraliter, & objectivè per modum legis, ac doctrinæ alliciendo, *neg. maj. dist. min.* atqui Pelagius talem admittit ipsas potentias intellectus, & voluntatis interius physicè afficientem, moventem, ac elevantem ad assensum supernaturalem fidei, & actus vitæ æternæ meritorios, *neg. min.* externè per modum legis, ac doctrinæ, vel objecti moraliter tantum, & objectivè allicientem, *con. min. & neg. conf.* Ad verba enim Pelagii à S. Augustino relata cap. 7. subjungit idem S. Doctor: *In his omnibus non recessit (Pelagius) à commendatione legis, atque doctrinæ. Et ad verba c. 10. ait: Quid manifestius est, nisi aliud eum non dicere, gratiam, quâ Deus in nobis operatur velle, quod bonum est, quam legem, atque doctrinam? in lege namque, & doctrina sanctorum Scripturarum futura gloriæ, atque præmiorum promittitur magnitudo; ad doctrinam pertinet etiam quoad sapientia revelatur: ad doctrinam pertinet; cum suadetur omne, quod bonum est &c.*

Inst. 1. Atqui Pelagiani admiserunt tandem etiam gratiam actionis internam ipsum intellectum, ac voluntatem physicè afficientem; ergo &c. *Prob. subs.* Gratia, quæ neque est scientia legis, neque natura, neque sola remissio peccatorum, quæ facit, ut lex impleatur, ut natura liberetur, peccatum non dominetur, quæ est magnum adjutorium divinæ gratiæ, ut cor nostrum, quo voluerit Deus ipse, inclinet, est profectò gratia actionis interna ipsum intellectum, & voluntatem afficiens, ac movens; hi enim sunt effectus, & characteres gratiæ actionis internæ: atqui ex S. Augustino Lib. de grat. & lib. arb. cap. 14. scripto anno 424. sex annis post librum de grat. Christi supra cit. Pelagiani talem tandem admiserunt, cum enim fuerint convicti, ait S. Augustinus, quia neque scientia divinæ legis, neque natura, neque sola remissio peccatorum est illa gratia, quæ per JESUM CHRISTUM Dominum nostrum datur, sed ipsa facit, ut lex impleatur, ut natura liberetur, peccatum non dominetur: cum ergo de his convicti fuerint, ad hoc se convertunt, ut quocunque modo contentur ostendere,

gratiam Dei secundum merita nostra dari. Et Lib. de grat. Christi testatur c. 23. Pelagium admisisse tandem magnum adjutorium divinæ gratiæ, ut cor nostrum, quo voluerit, Deus ipse declinet; ergo Pelagiani tandem etiam gratiam actionis internam intellectus, & voluntatis admitterunt.

Resp. dist. maj. Gratia quæ neque est scientia legis, neque natura, neque sola remissio, quæ facit, ut lex impleatur &c. est gratia actionis interna, si prædicta intelligantur in sensu Catholico; *con. maj.* in sensu Pelagianorum, *neg. maj. dist. min.* atqui ex S. Augustino Pelagiani tandem talem admiserunt in sensu Catholico verè afficientem intellectum, & voluntatem; *neg. min.* in sensu Pelagii sumptam pro revelatione, & illuminatione interna ex parte objecti tantum, *con. min. & conf.* Unde gratia interioris illuminationis potest dupliciter considerari, vel ex parte tantum objecti, quod clariùs proponitur propriis viribus credendum, vel ex parte intellectus, illum in obsequium fidei ad consensum rei adhuc obscuræ movens; fides enim quæcumque supposita illuminatione est argumentum rerum non apparentium & exigens obsequium ex parte intellectus gratiâ supra illius naturam productum, quam Pelagiani nunquam agnoverunt, sed tantum illuminationem internam objecti interius clariùs propositi, & viribus naturæ credendi; multò minùs gratiam voluntatis. Si enim tandem fuissent convicti circa gratiam actionis internam in mente S. Augustini, quare ergo in eodem Lib. c. 11. dixit: *Quid est ergo, quoddã vanissimi homines, & perversissimi Pelagiani legem dicunt, esse gratiam, quâ juvamus ad non peccandum*; quare per tot capita ejusdem libri ipsis probat gratiam internam voluntatis, si illam non negaverunt.

Inst. 2. Atqui S. Augustinus fuit opinionis, Pelagianos gratiam internam tandem in sensu Catholico admisisse; ergo &c. *Prob. subs.* S. Augustinus Lib. de dono perf. quem anno 429. circa finem vitæ suæ scripsit, errores Pelagianorum ad tria reducit capita, quorum nullum negat gratiam internam actionis, dicens cap. 2. *Tria sunt, quæ maximè adversus Pelagianos catholica defendit Ecclesia, quorum est unum, gratiam Dei non secundum merita nostra dari. Alterum est, in quantacunque justitia*

sine qualibuscunque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem vivere. Tertium est, obnoxium nasci hominem peccato primi parentis: atqui si S. Augustinus non fuisset opinionis, Pelagianos gratiam internam actionis, & voluntatis tandem in sensu Catholico admisisse, non ad hæc tria capita doctrinam catholicam contra Pelagianos reduxisset, quorum nullum affirmat, gratiam actionis, & voluntatis esse necessariam; ergo S. Augustinus fuit opinionis, Pelagianos gratiam internam tandem in sensu Catholico admisisse.

Resp. dist. maj. Tria sunt juxta S. Augustinum, quæ maximè adversus Pelagianos catholica defendit Ecclesia præter ea, quæ S. Augustinus jam sufficienter refutaverat in aliis suis libris, *con. maj.* tria sunt illa allegata in textu citato, adversus omnes Pelagianorum errores *neg. maj. dist. min.* atqui si S. Augustinus non fuisset opinionis, Pelagianos etiam gratiam internam actionis, & voluntatis in sensu Catholico admisisse, non ad prædicta tria capita omnes omnino reduxisset adversus Pelagianorum errores, *con. min.* non reduxisset illa, quæ nondum satis refutasse existimabat, *neg. min. & conf.* Unde S. Augustinus solum voluit dicere, reliquos errores Pelagianorum reduci ad tria capita, quæ defendit Ecclesia adversus Pelagianos, non verò omnes, & eos, quos jam antea refutaverat. Quòd autem S. Augustinus usque in finem fuerit opinionis, Pelagianos negare gratiam internam voluntatis, patet ex ipsius libro de hæresi, quem sub finem vitæ scripsit, & morte præventus imperfectum reliquit, ubi ait hæresi 88. *Illam gratiam Dei, sine qua nihil boni possumus facere, non esse, dicunt (Pelagiani) nisi in libero arbitrio. . . ad hoc tantum ipso adjuvante per suam legem, atque doctrinam, ut discamus, quæ facere, atque sperare debeamus, non autem ad hoc per donum Spiritus Sancti, ut quæ didicerimus scienda, faciamus, ac per hoc divinitus dari nobis scientiam, quâ piè vivitur &c.* Ex quibus verbis satis clarè S. Augustinus indicat, Pelagianos non aliam, nisi gratiam externam legis, ac doctrinam admisisse, & eas, quæ ad hanc reducuntur, ut exempla Christi, remissio peccatorum per donationem externam, illuminationes, & revelationes se tenentes ex parte objecti, non verò ex parte ipsius potentia illam divinitus elevando, & ad-

Q. I. DE ESSENT. ET NEC. GRAT. A. III. 37

juvando ad credenda mysteria fidei supernaturalia, & captum nostrum superantia.

Inst. 3. Atqui S. Augustinus omnes omnino errores Pelagianorum ad illa tria capita ab ipso allegata reducit; ergo &c. *Prob. subs.* Si S. Augustinus existimasset Pelagianos alios adhuc retinuisse errores, præcipuè circa gratiam actionis, & voluntatis, non in verbis immediate præcedentibus hæresi 88. dixisset: *Denique Pelagius à fratribus increpatus, quòd nihil tribueret adjutorio gratiæ Dei, correptioni eorum hætenus cessit . . . dicens ad hoc eam dari hominibus, ut, quæ facere per liberum jubentur arbitrium, faciliùs possint implere per gratiam; quia non cessisset increpatus: atqui tamen S. Augustinus prædicta verba dixit loco citato; ergo S. Augustinus omnes omnino errores ad illa tria capita reduxit.*

Resp. dist. maj. Si S. Augustinus existimasset, Pelagianos alios adhuc retinuisse errores, non dixisset in eodem loco, Pelagium cessisse increpationi fratrum quoad omnia, *con. maj.* quoad aliqua, *neg. maj. dist. min.* atqui tamen dicit Pelagium cessisse increpationi fratrum, quoad aliqua, admittendo tandem etiam gratiam aliquam internam revelationis, ac illuminationis se ex parte objecti tenentis, *con. min.* admittendo etiam gratiam internam physicè moventem, & ipsas potentias adjutorio suo afficientem, præcipuè voluntatem, *neg. min. & conf.* Verba enim subsequencia satis clarè explicant, eos non admisisse, nisi gratiam, quâ ignorantia pellitur, quod fit per legem, doctrinam, illuminationes; non verò admisisse gratiam voluntatis non solum ad opera prævia, sed nec ad subsequencia, quibus bene vivitur.

Inst. 4. Atqui S. Augustinus existimavit, Pelagianos cessisse increpationi fratrum, etiam quoad gratiam voluntatis; ergo &c. *Prob. subs.* S. Augustinus serm. 156. aliàs 13. de verbis Apostoli c. 11. & 12. gratulans Pelagianis, & benedicens Deo ait: *Jam ergo dicunt, adjutricem esse gratiam Dei ad faciliùs faciendâ: & benedicimus Deum; quia vel hoc aliquando dixerunt: atqui si Pelagiani semper eundem retinissent errorem circa gratiam voluntatis, & existimasset S. Augustinus, eos non cessisse increpationi fratrum illam admittendo, nullam habuisset rationem ipsis gratulandi, ac Deo benedicen-*

di; ergo existimavit, eos increpationi fratrum cessisse, admittendo etiam gratiam voluntatis.

Resp. dist. min. Atqui si Pelagiani semper eundem retinissent errorem, quem ab initio professi sunt, nullam habuisset rationem gratulandi, ac Deo benedicendi, *con. min.* si eundem retinissent circa gratiam voluntatis, nullam habuisset rationem gratulandi, & Deo benedicendi, *neg. min. & conf.* Ex eo enim, quòd recefferint à primis suis erroribus ad doctrinam Catholicorum *accedendo proficere potuerunt*, ait idem S. Doctor in loco citato, & ad id, quòd verè rectum est, pervenire.

Inst. 5. Atqui in mente S. Augustini nullum retinuerunt Pelagiani errorem circa gratiam voluntatis, nisi quòd illam tantum ad facilius operandum admiserunt; ergo &c. *Prob. subs.* S. Augustinus Lib. de grat. Christi c. 29. referens verba Pelagii: *Propterea dari gratiam, ut, quod per liberum homines facere jubentur arbitrium, facilius implere possint per gratiam (subdit) tolle facilius, & non solum plenus, verum etiam sanus est sensus, si ita dicatur, ut, quod per liberum facere jubentur homines arbitrium, possint implere per gratiam: atqui si semper retinissent errorem circa gratiam voluntatis, etiam sublato facilius, nec plenus, nec sanus fuisset verborum allatorum sensus; ergo in mente S. Augustini nullum Pelagiani retinuerunt errorem circa gratiam voluntatis, nisi quod ad facilius tantum operandum eam admiserint.*

Resp. dist. maj. Tolle facilius, & non solum plenus, verum etiam sanus est sensus quoad gratiam externam, quam admiserunt Pelagiani, *con. maj.* quoad gratiam internam voluntatis, *neg. maj. dist. min.* atqui si semper retinissent errorem circa gratiam voluntatis etiam sublato facilius, nec plenus, nec sanus fuisset, quoad gratiam voluntatis internam, *con. min.* non fuisset plenus, & sanus quoad gratiam externam, *subd.* quoad modum illam concedendi, nempe ex meritis naturæ, *con. min.* non fuisset plenus, & sanus quoad modum operandi, *neg. min. & conf.* Unde S. Augustinus, sublato facilius, verba Pelagii citata sana dicebat, illa intelligendo de gratia externa, ac illuminationis intellectus in sensu supra dicto, vel esse sana in sensu obvio; minimè verò in sensu à Pelagio intento; scire quippe debemus, ait S. Augustinus de Pe.

lagio Lib. de grat. Christi c. 5. Quòd nec voluntatem nostram, nec actionem divino adjuvari credit auxilio, sed solam possibilitatem nos habere, affirmat.

Solvuntur objectiones contra secundam partem, de gratia sanctificante Pelagii.

Obj. 2. Peccata dimittuntur per infusionem gratiæ habitualis; & iustitia in baptismo donata, est gratia sanctificans, seu habitualis: atqui Pelagius commentario in cap. 5. epist. ad Rom. admittit: *Peccata dimitti abundantia donationis Spiritus Sancti, ac iustitiam per baptismum donari*; ergo Pelagius admisit gratiam habitualem.

Resp. dist. maj. Peccata dimittuntur per infusionem gratiæ habitualis, & gratia in baptismo donata, est sanctificans in sensu Catholico, *con. maj.* in sensu Pelagii, *neg. maj. dist. min.* atqui Pelagius admittit, peccata dimitti abundantia donationis Spiritus Sancti consistentis in aliquo dono interno habituali, ac iustitiam per baptismum donari, sumptam pro gratia habituali, *neg. min.* admittit, peccata dimitti per simplicem condonationem, & non imputationem, ac iustitiam donari consistentem in aliquo externo Dei favore, & deputatione ad vitam æternam, *con. min. & neg. conf.* Sicut enim Pelagius fraudulenter gratiam actionis admittere simulabat, ita & habitualem; infusionem verò charitatis, & aliorum donorum supernaturalium nunquam admisit, sed tantum gratias externas, & quæ ad externas reducuntur.

Inst. 1. Atqui Pelagius admisit gratiam habitualem in sensu Catholico; ergo &c. *Prob. subs.* Gratia fidei, quæ neque est lex, neque natura, est gratia habitualis etiam in sensu Catholico; est enim habitus supernaturalis gratiæ habituali annexus: atqui Pelagius admisit gratiam fidei, quæ neque est lex, neque natura, teste S. Augustino, qui Lib. de grat. & lib. arbitr. c. 13. de Pelagianis dicit: *Dicunt etiam, gratiam, quæ data est per fidem JESU CHRISTI, quæ neque est lex, neque natura, ad hoc tantum valere, ut peccata præterita dimittantur*; ergo Pelagius admisit gratiam habitualem in sensu Catholico.

Resp. dist. maj. Gratia fidei aliqua, quæ cum gratia habituali in sensu Catholico infunditur, est gratia habi-

realis in sensu Catholico, *con. maj.* omnis gratia fidei, & in sensu Pelagianorum sumpta, est gratia habitualis, *neg. maj. dist. min.* atqui teste S. Augustino Pelagius admisit gratiam fidei externam, quæ neque est lex, neque natura, quæ tamen ad legem, & doctrinam revocatur, ut Christi exempla; revelatio interna, & objectorum fidei clarior propositio, ac illuminatio ex parte illorum objectorum fidei se tenens, *con. min.* admisit gratiam fidei internam habitualem, *neg. min. & conf.* Unde gratia fidei, quam admisit Pelagius, est prædicatio Evangelii, ac mentis illuminatio, per clariorem objecti fidei revelationem viribus naturæ credendi, non verò sumpta pro habitu supernaturali ipsam potentiam intellectûs afficiente, & supra suas vires elevante.

Inst. 2. Atqui Pelagiani etiam admisērunt gratiam fidei internam habitualem; ergo &c. *Prob. subj.* Si Pelagiani non admisissent gratiam fidei internam, admissâ ab illis gratiâ actionis intellectûs, ac voluntatis, adhuc remansisset inter ipsos, & S. Augustinum controversia circa gratiam fidei internam, & habitualem: atqui S. Augustinus Lib. de grat. Christi c. 47. declarat, nihil amplius controversiæ cum Pelagio fore, si vellet agnoscere necessitatem gratiæ ad volendum, & operandum bonum; ergo Pelagiani etiam admisērunt gratiam fidei internam habitualem.

Resp. dist. min. Atqui S. Augustinus declarat, nihil amplius controversiæ fore quoad gratiæ actionis intellectûs, & voluntatis necessitatem præcisè, de qua tunc agebatur, *con. min.* nihil amplius controversiæ fore circa gratiam habitualem, & alios gratiæ caracteres, ac proprietates, *neg. min. & conf.*

Inst. 3. Atqui nulla amplius remansisset controversia etiam circa gratiam habitualem, & Pelagiani etiam admisērunt gratiam habitualem; ergo &c. *Prob. subj.* Si Pelagiani admisērunt effectus gratiæ habitualis, etiam ipsam gratiam admisērunt; ex effectu enim legitime demonstratur causâ, saltem à posteriori: atqui Pelagiani admisērunt effectus, quos Catholici gratiæ habituali attribunt, uti sunt per baptismum renovari, renasci, justitia, adoptio, hæreditas, fraternitas Christi, ac ejus membrum effici, quos effectus Pelagiani apud

S. Augustinum Lib. 1. contra Jul. c. 6. & Lib. de grat. Christi c. 38. baptismo attribuunt; ergo etiam gratiam habitualem admiserunt.

Resp. dist. maj. Si Pelagiani admiserunt effectus gratiæ habitualis tanquam à principio interno habituali provenientes, etiam ipsam gratiam habitualem admiserunt, *con. maj.* si admiserunt effectus gratiæ habitualis tanquam à principio extrinseco provenientes, etiam admiserunt ipsam gratiam habitualem, *neg. maj. dist. min.* atqui Pelagiani admiserunt effectus, quos Catholici gratiæ habituali attribuunt in eodem sensu, & ab eodem principio provenientes, *neg. min.* ab alio, & extrinseco provenientes, *con. min. neg. conf.* Nec præcipuum admiserunt gratiæ habitualis effectum, quo homo interne, ac formaliter sanctificatur, & à peccato originali liberetur.

Solvuntur objectiones contra tertiam partem, de gratiæ interioris necessitate Semipelagianorum.

Obj. 3. Si Semipelagiani non admisissent gratiæ interioris necessitatem ad initium fidei, ideo fuisset; quia supposuerunt naturam in statu præsentis, sicut in Adamo innocente integram: atqui in Adamo innocente, ac integro admiserunt necessitatem gratiæ interioris ad initium fidei, non obstante illius integritate; ergo & in præsentis statu. *Prob. min.* S. Augustinus Lib. de dono perf. c. 21. ait de Semipelagianis: *Respondent illi ita nos à nobis habere initium fidei, sicut finem:* atqui ex S. Hilario Epist. ad S. Aug. Semipelagiani admiserunt necessitatem interioris gratiæ ad finem, sine qua (Adamus) perseverare non poterat; ergo & ad initium fidei.

Resp. dist. min. Atqui juxta S. Hilarium Semipelagiani admiserunt necessitatem gratiæ ad finem indistinctam à libero arbitrio, *con. min.* distinctam, *neg. min. & conf.* Existimabant enim Semipelagiani juxta S. Hilarium, initium fidei esse ab eo, *cujus naturæ id voluntate conditoris concessum est, & nullam ita depravatam putant, ut non debeat, vel possit, se velle sanari.*

Inst. 1. Atqui juxta S. Hilarium Semipelagiani admiserunt necessitatem gratiæ à natura, & libero arbitrio

distinctæ; ergo &c. *Prob. subs.* Semipelagiani admiserunt necessitatem gratiæ à natura, & libero arbitrio distinctæ ad initium fidei, si docuerint ad nullum opus etiam incipiendum, ne dum perficiendum quemquam sibi sufficere posse: atqui S. Hilarius Ep. ad S. Aug. testatur, Semipelagianos ita docuisse: *Ad nullum opus etiam incipiendum, ne dum perficiendum quemquam sibi sufficere posse;* ergo juxta S. Hilarium Semipelagiani admiserunt necessitatem gratiæ à natura, & libero arbitrio distinctæ.

Resp. dist. maj. Semipelagiani admiserunt necessitatem gratiæ à natura & libero arbitrio distinctæ, si docuerint, ad nullum opus etiam præambulum, uti est initium fidei, ac salutis desiderium &c. etiam incipiendum, ne dum perficiendum, quemquam sibi sufficere posse, *con. maj.* si docuerint, ad nullum opus, sumptum pro actu formato, ut actu fidei, vel meritorio salutis æternæ, incipiendum, nedum perficiendum quemquam sibi sufficere posse, *neg. maj. dist. min.* atqui ex S. Hilario ita docuerunt de actibus formatis, & perfectis, *con. min.* de actibus præambulis, *neg. min. & conf.* Unde juxta S. Hilarium Semipelagiani docuerunt, hominem lapsum non posse incipere, nec perficere viribus naturæ, nec sine gratia actum formatum fidei, vel charitatis, nec sine gratia sanari, benè autem *ad hanc gratiam, quâ in Christo renascimur pervenire per naturalem scilicet facultatem, quærendo, petendo, pulsando, ut ideo accipiat, ideo inveniat, ideo introeat, quia bono naturæ usus est, ad istam salvantem gratiam initialis gratiæ operaverit pervenire, sub nomine initialis gratiæ intelligendo liberum arbitrium, seu gratiam Creatoris. Nec Semipelagiani initium fidei, ac desiderium salutis inter bona opera computabant.*

Inst. 2. Atqui Semipelagiani etiam admiserunt gratiæ necessitatem ad actus præambulos, uti est initium fidei &c. ergo &c. *Prob. subs.* Vocatio est prima gratia, & gratis data, ad fidem, & initium salutis requisita: atqui Semipelagiani admiserunt gratiam vocationis gratis datam juxta S. Prosperum Ep. ad S. Augustinum, ubi testatur, Semipelagianos docuisse: *Deum eos prædestinare in regnum suum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione. . esse prævideret;* ergo etiam admiserunt gratiæ necessitatem ad actus præambulos.

Q. I. DE ESSENT. ET NEC. GRAT. A. III. 43

Resp. dist. min. Atqui Semipelagiani admiserunt gratiam vocationis gratuitam externam sumptam pro prædicatione Evangelii, *con. min.* internam voluntatem ad assensum mysteriis fidei moventem, *neg. min. & conf.* *Hæc enim ipsorum definitio, ac professio est,* ait S. Prosper *cit. universis hominibus propitiationem, quæ est in Sacramento sanguinis Christi sine exceptione esse propositam (nempe per prædicationem Evangelii) ut quicumque ad fidem (viribus naturæ, & liberi arbitrii) & ad baptismum accedere voluerint, salvi esse possint.*

Inst. 3. Atqui Semipelagiani etiam tandem admiserunt gratiam internam voluntatis; ergo &c. *Prob. subs.* Gratia, quâ prævenitur voluntas, est gratia interna voluntatis: atqui Semipelagiani talem admiserunt ex S. Augustino, qui Lib. de præd. Sanct. c. 7. de Semipelagianis ait: *Pervenerunt etiam, ut præveniri voluntates hominum Dei gratiâ fateantur, atque ut ad nullum opus bonum vel incipiendum, vel perficiendum sibi quemquam sufficere posse, consentiant;* ergo tandem etiam admiserunt gratiam internam voluntatis.

Resp. dist. min. Atqui Semipelagiani talem admiserunt quoad actus, & opera bona formata fidei, charitatis &c. *con. min.* ad opera bona præambula, uti est desiderium salutis, boni conatus &c. *neg. min. & conf.* Tales enim conatus, ac initia bonorum operum non inter bona opera numerabant Semipelagiani.

Inst. 4. Atqui Semipelagiani etiam gratiæ necessitatem admiserunt ad conatus, ac initia bonorum operum, ut fidei; ergo &c. *Prob. subs.* Si Semipelagiani non admisissent gratiæ necessitatem ad conatus, ac initia bonorum operum, ut fidei &c. illorum sententia non vera fuisset pro statu naturæ innocentis, in quo gratia habitualis cum habitibus infusis, & gratia actualis fuit necessaria, etiam ad initium fidei, ac bonorum operum: atqui S. Augustinus Lib. de dono persever. cap. 7. refellens sententiam Semipelagianorum dicit, illam veram fuisse in statu naturæ innocentis; ergo Semipelagiani etiam gratiæ necessitatem admiserunt ad conatus, & initia fidei.

Resp. dist. maj. Si Semipelagiani non admisissent gratiæ necessitatem ad conatus, ac initia bonorum ope-

rum fidei &c. illorum sententia non fuisset vera pro statu naturæ innocentis quoad omnia, *con. maj.* non fuisset vera quoad aliqua, *neg. maj. dist. min.* atqui ex S. Augustino fuisset vera in statu naturæ innocentis quoad aliqua, quatenus nimirum admittebant necessitatem gratiæ ex parte intellectûs, *con. min.* quoad omnia etiam ex parte voluntatis, *neg. min. & conf.* Unde Semipelagiani non negabant Adamo innocenti, nec homini lapso gratiam fuisse necessariam ex parte intellectûs in revelatione legis, ac mandatorum Dei positam, quæ etiam Adamo innocenti sufficiebat absque prævia, ac indeliberata Dei motione, quâ voluntas excitaretur; quia instructus gratiâ habituali, ac habitibus infusis in bonum propentius nihil contrarii ex parte appetitûs sentiebat; nunc verò divina gratia non solum debet mentem ignorantem illustrare, sed etiam voluntatem torpentem, & languidam excitare ad fidem, & quodcunque opus bonum, quod constanter negabant Semipelagiani.

Inst. 5. Atqui Semipelagiani admiserunt gratiam, quæ non solum intellectum illuminat, sed etiam voluntatem movet; ergo &c. *Prob. subs.* S. Augustinus ipsemet factetur Lib. de præd. Sanct. c. 3. se ante suum Episcopatum errori Semipelagianorum fuisse addictum; & Vitalis Carthag., Faustus, Joannes Cass., Genadius erant Semipelagiani: atqui S. Augustinus in libris, quos nondum Episcopus scripsit, docuit interioris gratiæ prævenientis necessitatem ad initium fidei, similiter alii citati; Joannes Cass. enim collat. 13. c. 3. expressè ait: *Cogitationum bonarum principium ex Deo esse, qui nobis, & initia sanctæ voluntatis inspirat;* ergo Semipelagiani docuerunt, & admiserunt gratiæ necessitatem ad initium fidei.

Resp. dist. maj. S. Augustinus fuit errori Semipelagianorum addictus quoad aliqua, & reliqui erant Semipelagiani excepto Genadio, qui resipuit, *con. maj.* quoad omnia, *neg. maj. concessâ primâ parte min. quoad S. Augustinum dist. secundam:* atqui Vitalis, Faustus, Joannes Cass. & Genadius docuerunt, & admiserunt gratiæ interioris necessitatem pro aliquo tempore, vel subintelligendo gratiam illustrationis intellectûs, *con. min.* semper, & subintelligendo gratiam voluntatis,

Q. I. DE ESSENT. ET NEC. GRAT. A. III. 45

illam ad assensum fidei, vel alia bona opera moventem, *neg. min. & conf.* Joannes Cass. eniua teste S. Prospero cit. à sententia sua discessit. Genadius conversus necessitatem gratiæ asseruit. Viralis, & Faustus non aliam admiserunt gratiam, nisi Pelagianam sumptam pro doctrina, vel illustratione intellectûs per revelationem objecta fidei clariùs exhibentem; non verò intellectum, vel voluntatem ad assensum fidei physicè moventem.

Solvuntur objectiones contra quartam partem, de gratia inferente necessitatem.

Obj. De illa gratia erat inter S. Augustinum, & Pelagianos, ac Semipelagianos disputatio, & illam S. Augustinus ipsis persuasit gratiam, quam ipsi negabant: atqui Pelagiani, & Semipelagiani negabant inferentem necessitatem; ergo hanc S. Augustinus ipsis persuasit. *Prob. min.* Pelagiani, ac Semipelagiani illam negabant gratiam, cum qua non erat libertas; *in hoc tota hæresis ista consistit*, ait S. Augustinus Lib. de gestis Pelag. c. ult. *quod non sit liberum arbitrium, si indigeat auxilio Dei*: atqui cum sola gratia inferente necessitatem non est libertas; ergo Pelagiani, ac Semipelagiani negabant gratiam inferentem necessitatem.

Resp. dist. maj. Pelagiani, ac Semipelagiani negabant gratiam, cum qua non erat libertas ex falsa ipsorum suppositione, *con. maj.* cum qua non erat libertas in rei veritate, *neg. maj. concessa min. dist. conf.* ergo Pelagiani, ac Semipelagiani negabant gratiam inferentem necessitatem ex falsa ipsorum persuasione, & suppositione, *con. conf.* quæ in rei veritate talis erat, & necessitatem inferebat, *neg. conf.* Unde Pelagiani, ac Semipelagiani duplici errore juris, & facti fuerunt decepti. Primus erat juris; quia Pelagiani existimabant, omnem gratiam internam inferre necessitatem, ideo omnem gratiam internam negabant, solam externam legis, doctrinæ, remissionis peccatorum per externam condonationem, & exemplorum Christi, ac illustrationis intellectûs tandem admittentes. Semipelagiani verò putabant, prævenientem saltem liberi arbitrii esse destructivam; ideoque ad initium fidei, pium credulitatis affectum, conatum bonum necessitatem interioris gratiæ,

negabant, & gratiam voluntatem solum viribus naturæ conantem juvare, dicebant, ac voluntatis bonæ pedissequam faciebant. Secundus error eorum erat facti; quia gratiam, à S. Augustino propugnata, libertatem evertere, asserabant. Quibus S. Augustinus demonstrat, gratiam liberum arbitrium non evacuare, sed stabilire, Lib. de spir. & litt. c. 30. dicens: *Liberum ergo arbitrium evacuamus per gratiam? absit; sed magis liberum arbitrium statuimus. . . quia nempe gratia sanat voluntatem, quâ iustitia liberè diligitur.*

Inst. 1. Atqui S. Augustinus propugnabat contra Pelagianos, & Semipelagianos gratiam, cum qua non est libertas; ergo &c. *Prob. subs.* Qui indiget alterius ope, non habet libertatem, sic prostratus, qui non potest surgere, nisi ab alio adjuvetur, læsus in pede, qui non potest ambulare, nisi ab alio ducatur, non habet libertatem ad surgendum, & ambulandum: atqui S. Augustinus contra Pelagianos, & Semipelagianos propugnavit gratiam, sine qua prostratus in peccatis non potest resurgere, sine qua læsus concupiscentiâ non potest ambulare in via salutis; ergo S. Augustinus propugnavit gratiam, cum qua non est libertas.

Resp. dist. maj. Prostratus, qui non potest resurgere, nisi ab alio adjuvetur, læsus in pedibus, qui non potest ambulare, nisi ab alio ducatur, non habet libertatem ad surgendum & ambulandum se solo, *con. maj.* non habet libertatem ad surgendum, & ambulandum cum alterius adiutorio, *neg. maj. concessâ min. dist. conf.* ergo S. Augustinus propugnavit gratiam, cum qua non est libertas, quæ solis suis viribus potest bonum agere, *con. conf.* cum qua non est libertas simul cum gratia agendi bonum, *neg. conf.* Unde libertas in ordine ad actus supernaturales fidei, charitatis &c. per peccatum primi parentis prostrata, ac læsa est, ut se solâ, nec surgere, nec supernaturaliter ambulare possit ad vitam æternam; gratiâ autem præveniente erigitur, & cooperante suffulcitur, & ira sanatur, ut si cooperari velit, iustitiam diligere, & vitam æternam consequi possit. Unde ait S. Augustinus Lib. 4. ad Bonif. c. 3. *Non potest captiva voluntas, nisi Dei gratiâ respirare in salubrem libertatem; & probat verbis S. Joannis c. 8. Si vos filius liberaverit, verè liberi eritis.*

Q. I. DE ESSENT. ET NEC. GRAT. A. III. 47

Inst. Atqui S. Augustinus propugnavit gratiam, quæ omnem tollit libertatem; ergo &c. *Prob. subf.* Gratia, quæ tollit omnem voluntatis indifferentiam, omnem tollit libertatem: atqui S. Augustinus propugnavit gratiam, quæ omnem tollit indifferentiam voluntatis; ergo propugnavit gratiam, quæ omnem tollit libertatem. *Prob. min.* Gratia, quæ operatur velle, & perficere, quæ facit, ut non solum facienda noverimus, verum etiam cognita faciamus, nec solum diligenda credamus, verum etiam credita diligamus, tollit omnem voluntatis indifferentiam: atqui talem propugnavit S. Augustinus Lib. de grat. Christi c. 12; ergo S. Augustinus propugnavit gratiam, quæ omnem tollit voluntatis indifferentiam.

Resp. dist. min. Atqui talem propugnavit S. Augustinus gratiam, quæ in nobis operatur velle, & perficere &c. nobis liberè consentientibus, *con. min.* inferendo voluntati necessitatem, *neg. min. dist. conf.* ergo S. Augustinus propugnavit gratiam, quæ omnem tollit voluntatis indifferentiam voluntate liberè consentiente, ac cooperante, *con. conf.* vim, vel necessitatem ei inferendo, *neg. conf.* Gratia, quam S. Augustinus propugnat, voluntatem ita movet, ut liberum arbitrium gratiæ motum, & excitatum dissentire possit, si velit, ut declarat Conc. Trid. Sess. 6. Can. 4. ac proinde nullam ei infert necessitatem.

Inst. 3. Atqui S. Augustinus propugnavit gratiam, quæ in nobis operatur velle, & perficere independentè à nobis consentientibus; ergo &c. *Prob. subf.* S. Augustinus propugnavit gratiam operantem: atqui gratia operans operatur in nobis sine nobis, nempe consentientibus; ut ergo velimus sine nobis operatur, ait S. Augustinus Lib. de grat. & lib. arb. c. 17. ergo S. Augustinus propugnavit gratiam, quæ in nobis operatur velle, & perficere independentè à nobis consentientibus.

Resp. dist. min. Atqui gratia operans operatur in nobis sine nobis quoad actus indeliberatos, & prævenientes, *con. min.* quoad actus deliberatos, *neg. min. & conf.* Unde S. Augustinus ait loco mox cit. *Quoniam ipse, ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perfici-*

ciens . . . ut ergo velimus , sine nobis operatur ; cum autem volumus , ut faciamus , nobiscum operatur : tamen sine illo , vel operante , ut velimus , vel cooperante , cum volumus , ad bona pietatis opera nihil valeamus .

Inst. 4. Atqui S. Augustinus propugnavit gratiam , quæ in nobis operatur velle , & perficere sine nobis consentientibus etiam quoad omnes actus deliberatos ; ergo &c. *Prob. subs.* Si gratia , quam S. Augustinus propugnat , operaretur velle , & perficere dependenter à nobis consentientibus , velle , & esse , nempe actionis ad hominem referenda essent ; quia de arbitrii fonte descendunt , & in voluntate , & opere bono laus hominis esset , prout docuit Pelagius apud S. Augustinum Lib. de grat. Christi c. 4. atqui hæc in Pelagio reprobatur S. Augustinus , ergo propugnavit gratiam , quæ in nobis operatur velle , & perficere &c.

Resp. dist. maj. Si gratia , quam S. Augustinus propugnat , operaretur velle , & perficere nobis consentientibus , velle , & esse actionis ad hominem referenda essent &c. simul , & ad Deum gratiâ suâ excitantem , & cooperantem , *con. maj.* ad solum hominem , & naturales illius vires , ut docebat Pelagius , *neg. maj. dist. min.* atqui hæc reprobatur S. Augustinus in Pelagio velle , & esse actiones ad solum hominem esse referenda , ut docebat Pelagius , *con. min.* reprobatur in sensu Catholico , quatenus ad Deum , & hominem simul referuntur , *neg. min. & conf.* Ait enim Apostolus 1. Cor. 15. 10. *Abundantiùs illis omnibus laboravi : non ego aut. m. sed Gratia Dei mecum.* Et Concilium Arausicanum 2. Can. 9. ait : *Quoties bona agimus , Deus in nobis , & nobiscum , ut operemur , operatur.* Et sic laus Deo ut primo principio , & causæ primæ , & homini ut causæ secundæ in opere bono est adscribenda.

Inst. 5. Atqui juxta S. Augustinum Deus non operatur in nobis velle , & perficere suâ gratiâ nobis simul liberè consentientibus ; ergo. *Prob. subs.* Si Deus operaretur in nobis velle & perficere nobis liberè consentientibus , homo gratiâ motus posset adhuc facere , quod vellet : atqui falsum consequens. *Prob. min.* Si homo gratiâ Dei motus posset adhuc facere , quod vellet , non invictissimè moveretur : atqui homo lapsus gratiâ Dei
invi-

Q. I. DE ESSENT. ET NEC. GRAT. A. III. 49

invictissimè movetur ex S. Augustino, qui Lib. de corr. & grat. c. 12. ait: *Infirmis servavit, ut ipso donante invictissimè, quod bonum est, vellent, & hoc deserere invictissimè nollent*; ergo homo gratiâ Dei motus, non potest facere, quod vult.

Resp. dist. maj. Si homo gratia Dei motus posset adhuc facere, quod vellet, non invictissimè moveretur ex parte voluntatis, ita, ut roboratus gratiâ à nulla tentatione vincatur, *neg. maj.* non invictissimè moveretur ex parte gratiæ, *subd.* non invictissimè moveretur antecedenter per gratiam ex natura sua invincibilem, & à voluntate indeclinabilem, *con. maj.* non invictissimè moveretur consequenter ad scientiam Dei, *neg. maj. dist. min.* atqui ex S. Augustino homo gratiâ Dei invictissimè movetur antecedenter per gratiam ex natura sua invincibilem à nostra libertate, *neg. min.* invictissimè movetur consequenter ad scientiam Dei, & relativè ad tentationes, *con. min. & neg. conf.* Unde juxta S. Augustinum citatum Deus fortissimo Adamo quidem permisit facere, quod vellet; quia ipsius voluntas adhuc sana, & in bonum propensa præter justitiam originalem, & illuminationem intellectûs non indiguit aliâ gratiâ præveniente actuali voluntatis ad agendum bonum, & quamlibet tentationem vincere potuit gratiâ cooperante; lapsò verò, ac infirmo subventum est gratiâ, quæ à nulla tentatione vinceretur, & quæ voluntatem ita prævenit, quomodo scivit ei congruere, ut eam non respuar.

Inst. 6. Atqui S. Augustinus defendit gratiam invincibilem à nostra voluntate; ergo &c. *Prob. subf.* Si S. Augustinus tantum defendisset gratiam repudiabilem à voluntate, Pelagiani, ac Semipelagiani illam non rejecissent tanquam libertati repugnantem; quia non erant ita stupidi, ut talem libertati adversari credidissent; nec S. Augustinum Manichæismi accusassent, nisi eum gratiam necessitantem propugnare existimassent: atqui Pelagiani, &c. gratiam S. Augustini tanquam libertati repugnantem rejiciunt, & eum Manichæismi arguunt; ergo defendit gratiam invincibilem à nostra voluntate.

Resp. dist. maj. Si S. Augustinus tantum defendisset gratiam repudiabilem per voluntatem, Pelagiani, ac

Semipelagiani illam non rejecissent, nec S. Augustinum Manichæismi arguissent, si illam ut repudiabilem agnovissent, *con. maj.* si illam non ut talem, sed libertati repugnantem agnoverunt, *neg. maj. concessâ min. neg. conf.* Pelagiani ad libertatem exigebant potentiam ex se expeditam ad actus bonos, & independentem ab alterius auxilio, ideoque noluerunt cum libertate agnoscere gratiam ad actus bonos necessariam; & S. Augustinum accusabant Manichæismi; quia inferebant ex peccato originali à S. Augustino admissio, hominis naturam à Deo creari malam.

Inst. 7. Atqui S. Augustinus non defendit gratiam, quæ reipsa erat repudiabilis; ergo &c. *Prob. subs.* Si S. Augustinus defendisset gratiam reipsa repudiabilem, S. Prosper potuisset saltem facillè concipere, quomodo liberum arbitrium non impediat: atqui tamen nec ipse cum gratia S. Augustini libertatem potuit intelligere in Ep. ad S. Augustinum eum interrogans: *Obsecro, ut digneris aperire, quomodo per istam præoperantem, & cooperantem gratiam liberum non impediatur arbitrium?* ergo S. Augustinus non defendit reipsa repudiabilem.

Resp. dist. maj. Si S. Augustinus defendisset gratiam reipsa repudiabilem, S. Prosper saltem potuisset facillè concipere, quomodo liberum arbitrium non impediat, si hæc sola fuisset gratiæ proprietates, *con. maj.* si plures aliæ adhuc supererant gratiæ proprietates cum libertate reconciliandæ, uti infallibilitas, quod sit indebita ac gratis data, *neg. maj. concessâ min. neg. conf.* Ipsimet enim S. Augustino hæc reconciliatio non parum difficilis visa est.

Inst. 8. De illa potissimum gratia disputabat S. Augustinus cum Pelagianis, per quam justificamur, captiva voluntas liberatur, infirma sanatur, & quæ omnibus prædestinatis communis est: atqui sola gratia habitualis talis est; parvulis enim post baptismum morientibus actualis non est communis; ergo saltem disputatio S. Augustini cum Pelagianis non erat de gratia actuali.

Resp. dist. maj. De illa potissimum gratia disputabat S. Augustinus cum Pelagianis, per quam justificamur, vel formaliter, vel dispositivè, aut effectivè, per quam

captiva voluntas liberatur, infirma sanatur actu, vel habitu, quæ communis est omnibus prædestinatis adultis, *con. maj.* per quam tantum justificamur, liberamur, & sanamur formaliter, & quæ communis est etiam parvulis, *neg. maj. dist. min.* atqui sola gratia habitualis talis est formaliter, & quoad parvulos, *con. min.* dispositivè, & quoad adultos, *neg. min. & conf.* Gratia namque etiam actualis nos justificat, liberat, & sanat, quatenus nos disponit, ac præparat ad gratiam habitualem, & de gratia hac, quæ est voluntatis, & actionis ad singulos actus pietatis necessaria præcipuè disputabat S. Augustinus cum Pelagianis, quamvis nonnunquam etiam habitualem ipsis persuadere conatus sit.



ARTICULUS IV.

Quodnam gratiæ auxilium necessarium fuerit Adamo innocenti ad benè agendum, & in justitia accepta perseverandum.

Prænot. I. PRÆTER varias gratiæ divisiones superiùs allatas, eam ulterius S. Augustinus Lib. de corrept. & grat. cap. 12. n. 34. dividit, uti ibidem dictum est, in adjutorium quo, & sine quo, dicens: *Aliud est adjutorium, sine quo aliquid non fit, & aliud est adjutorium quo aliquid fit.* Sic juxta ipsum adjutorium alimenterum est sine quo non fit, non quo fit, ut vivamus. Nam sine alimentis non possumus vivere, nec tamen cum adsuerunt alimenta, eis fit, ut vivat, qui mori voluerit. At verò beatitudo adjutorium est non solum sine quo non fit, verum etiam quo fit, propter quod datur . . . quia & si data fuerit homini beatitudo, continuò fit beatus; & si data nunquam fuerit, nunquam erit. Primum idem est, ac sufficiens, ac fallibile; secundum efficax, ac infallibile; quia primum sumit S. Augustinus pro causa efficiente, & medio necessario, quod potest deficere, ut cibus in ordine ad vitam. Secundum pro causa formali, ut beatitudo, quo homo formaliter, ac infallibiliter est beatus. Non tamen potest intelligi de solo adjutorio for-

mali ut est beatitudo, quæ facit formaliter beatum; vel de gratia sanctificante, quæ facit formaliter justum; quia loquitur de adjutorio, quo Adamus caruit, sed potius de actuali, ac efficaci perseverantia, quæ ipsi defuit, ut patet in loco citato. Ubi etiam duplex distinguit donum perseverantiæ, nempe sufficiens & efficax, dicens: *Primò itaque homini . . . datum est adjutorium perseverantiæ, non quo fieret, ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc verò Sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis non tale adjutorium perseverantiæ datur, sed tale, ut eis perseverantia ipsa donetur: non solum, ut sine illo dono perseverantes esse non possint; verum etiam, ut per hoc donum nonnisi perseverantes sint.*

2. Gratia perseverantiæ finalis & efficax duplex est, nempe interna, actiosa, & efficax, per quam aliquis in justitia accepta perseverat; & externa, seu otiosa, quâ finit homo vitam istam, antequam ex bono mutetur in malum, ut ait S. Augustinus Lib. de corr. & grat. c. 9. hæc donantur, qui repentinâ morte ex hac vita in statu gratiæ rapiuntur.

3. Certum est 1.º Adamum in statu innocentiae habuisse gratiam sanctificantem à Deo in primo creationis instanti infusam; quia Eccles. 7. 30. dicitur, quòd *Deus fecerit hominem rectum.* 2.º Habuisse adjutorium, sine quo non perseverare potuisset, seu sufficiens, non verò adjutorium, quo perseveraret, seu efficax, ut docet S. Augustinus Lib. de corrept. & grat. c. 12. & c. 11. n. 31. ubi ait: *Tale quippe erat adjutorium, quod defere-ret, cum vellet, & in quo permaneret, si vellet, non quo fieret, ut vellet.* 3.º Non indignisse gratiâ, seu motione indeliberatâ præveniente voluntatem, sed tantum gratiâ justificante, & illustrante; prævenit enim, ut ait S. Augustinus Lib. de nat. & grat. cap. 31. *ut sanemur, quâ sanatione non indigebar ipsius voluntas noxiâ non laborans concupiscentiâ, nec naturæ corruptæ infirmitate. Indigebar tamen gratiâ cooperante; quia, ut ait S. Augustinus Enchirid. c. 10. 7. Factus est homo rectus, ut & manere in eo rectitudine posset, non sine adjutorio divino.* Et Lib. de Cantico nono c. 8. de Adamo loquens integro: *Ad malum sufficit sibi, ad bonum nonnisi ut juvetur à Deo.* Quæstio igitur duntaxat inter Theologos est,

an Adamus innocens indiguerit auxilio *quo*, seu efficaci ad benè agendum, ac perseverandum, vel tantùm auxilio *sine quo*, seu sufficiente. Circa quam duæ præcipuæ sunt opiniones Scholæ, nempe Thomistarum asserentium, Adamum & Angelos indiguisse adjutorio *quo* ad perseverandum, intelligentes ad actum perseverandum in actu secundo in utroque statu innocentiae, & lapsus, cum hac differentia, quòd in primo esset sanitatis, in secundo medicinalis, seu, ut ait S. Augustinus, *illa sit latior, ista potentior*. Alii verò, ut Janfenius, ac Molinistæ cum Tournely dicunt, Adamum & Angelos non indiguisse auxilio *quo*, sed solo auxilio *sine quo*, seu sufficiente, loquentes de perseverantia in actu primo, seu de posse actum perseverare, ac proinde controversia videtur oriri ex eo; quia se invicem malè intelligunt, & in diverso sensu loquuntur.

CONCLUSIO.

Quamvis juxta S. Augustinum Angeli, ac Adamus innocens habuerint adjutorium perseverantiae sufficiens, sine quo non permanere potuissent in justitia accepta, & quo in ea permanere potuissent, si voluissent; ut actu tamen, vel infallibiliter permanerent, indiguerunt adjutorio quo, seu efficaci, quo homo, & Angeli lapsi suâ culpâ caruerunt; quia sufficienti cooperari neglexerunt.

Prob. 1. pars, quòd Adamus, ut actu perseveraret, indiguerit gratia efficaci, 1.º ex ipsis adversariis. Juxta ipsum Tournely Tom. 1. de grat. art. 1. pag. 38. apud omnes exploratum est, gratiam actualem, seu cooperationem Dei Adamo necessariam fuisse, ut gratia habitualis in actum erumpere posset; sicut enim, ait S. Augustinus Lib. de nat. & grat. c. 26. n. 19. ibidem citatus, oculis corporis etiam plenissimè sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere; sic & homo etiam perfectissimè justificatus, nisi æternâ luce justitiæ divinitus adjuvetur, rectè non potest vivere: atqui gratia actualis cooperans, & adjuvans, quæ cum voluntate nostra opus bonum producit, est gratia efficax, & quidem in actu secundo; quia habet effectum à Deo ab æterno infallibiliter prævisum; ergo Adamus indiguit gratiâ efficaci ad actum operandum & perseverandum in bono, nempe ad in actu secundo perseverandum.

Prob. 2. eadem pars ex S. Augustino Lib. 12. de civit. Dei c. 9. docente: neminem suis viribus posse se meliorem facere, quàm factus sit à Deo: atqui si Angeli, & homo sine alia gratia efficaci actu perseverare potuissent, vel actu perseverassent, se meliores suis viribus, nempe voluntate consentiente, fecissent; melior est enim bonum faciens, quàm habens gratiam sufficientem ad illud faciendum, & actu in justitia accepta perseverans, quàm habens gratiam sufficientem tantum perseverandi; ergo Angelis, & Adamo præter gratiam sufficientem adhuc necessaria fuit alia gratia efficax ad actu, vel infallibiliter perseverandum; gratia enim sufficiens est fallibilis.

Confirmatur ratione. Si Angeli lapsi, & Adamus actu perseverassent, habuissent gratiam efficacem; habuissent enim gratiam, quam Deus prævidit ab æterno habituram effectum: atqui Deus, & natura nihil faciunt frustra; ergo gratia illa efficax fuit necessaria.

Prob. 2. pars, quòd Adamus, ac Angeli adjutorio quo, seu efficaci suâ culpâ caruerint. Adjutorium quo, seu efficax est juxta S. Augustinum citatum, quo fieret, ut perseveraret, & quo semper esset bonus: atqui suâ culpâ evenit, quod non perseverarent; quia juxta S. Augustinum habuerunt adjutorium, quo potuissent perseverare, si voluissent. Quia si hoc adjutorium vel Angelo, vel homini, cum primum facti sunt, defecisset, inquit Lib. de corr. & grat. c. 11. n. 32. non utique suâ culpâ cecidissent. Et si homo ille per liberum non deseruisset arbitrium, semper esset bonus, sed deseruit & desertus est; ergo adjutorio quo, seu efficaci suâ culpâ caruit. Unde ait S. Thomas 1. p. q. 94. a. 4. ad 5. Adæ in tentatione non fuit subventum; quia recursum non habuit ad Deum pro obtinendo auxilio quo perseveraret; ergo suâ culpâ caruit.

Solvuntur objectiones contra primam partem, de indigentia gratiæ efficaci pro actuali perseverantia.

Obj. Gratia efficax non magis Adamo fuit necessaria ad perseverandum, quàm Angelis: atqui Angelis non fuit necessaria gratia efficax; quia Angeli sancti steterunt per auxilium sufficiens; ergo nec Adamo. Prob. min.

Juxta S. Augustinum Angeli sancti per idem liberum arbitrium steterunt, per quod mali ceciderunt: atqui mali ceciderunt per arbitrium solo auxilio sine quo, seu sufficiente adjuti; ergo Angelis non fuit necessaria gratia efficax.

Resp. dist. maj. Angeli sancti steterunt per liberum arbitrium identitate virium naturalium, *con. maj.* identitate virium supernaturalium, *subdist.* ex parte potentiae, & actus primi, *con. maj.* ex parte actus secundi, *neg. maj. concessa min. neg. conf.* Mali namque angeli, aut minorem (ait S. Augustinus Lib. de civ. Dei c. 9. acceperunt amoris divini gratiam, quam illi, qui in eadem persisterunt; aut si utrique boni aequaliter creati sunt, istis mala voluntate cadentibus, illi amplius adjuti ad eandem beatitudinis plenitudinem, unde se nunquam casuros certissimi fierent, pervenerunt.

Inst. I. Atqui Angeli sancti per idem liberum arbitrium identitate virium supernaturalium ex parte actus secundi steterunt; ergo &c. *Prob. subsi.* Si illi, qui steterunt, habuissent aliud auxilium, nempe efficax, eorum merita fuissent propriissima dona Dei: atqui ex S. Augustino sub adjutorio primo, nempe in statu innocentiae fuerunt merita humana, & propria libero arbitrio, sub secundo vero, nempe in hoc statu naturae lapsae fuerunt propriissima dona Dei; nimirum ob gratiam efficacem, & fortiorem; ergo in primo statu illi, qui steterunt, non habuerunt aliud auxilium efficax.

Resp. dist. maj. Si illi, qui steterunt, habuissent aliud auxilium, nempe efficax, eorum merita fuissent propriissima dona Dei eodem modo, quo in hoc statu sunt, *neg. maj.* diverso modo, *con. maj. dist. min.* atqui ex S. Augustino non sunt propriissima dona Dei eodem modo, quo nunc sunt, *con. min.* diverso modo, *neg. min. & conf.* Unde in utroque statu gratia efficax necessaria fuit ad actu perseverandum, ac bonum in actu secundo perficiendum cum hoc discrimine, quod in primo fuisset sanitatis, in secundo medicinalis, seu ut ait S. Augustinus, *illa fit latior, ista potentior.* Ac ideo merita in hoc statu duplicem rationem doni habent, nempe ratione sanationis voluntatis infirmae, & majoris virtutis, non ita in statu innocentiae, sed tantum ratione virtutis actu cooperantis, non vero sanantis.

Inst. 2. Atqui Adamus non indiguit auxilio actu cooperante, & efficaci; ergo &c. *Prob. subs.* Adamus habuit omne auxilium, quo indiguit, ad actu perseverandum, aliàs non habuisset potentiam completeram, & expeditam ad bonum: atqui non habuit adjutorium quo, seu efficax juxta S. Augustinum Lib. de corrept. & grat. c. 12. n. 34. ubi ait: *Primo homini datum est adjutorium perseverantiæ, non quo fieret, ut perseveraret, sed sine quo liberum arbitrium perseverare non posset; ergo Adamus non indiguit auxilio actu cooperante, & efficaci.*

Resp. dist. maj. Adamus habuit omne auxilium, quo indiguit ex parte potentiæ simpliciter, *con. maj.* habuit omne auxilium ad actu, & infallibiliter conjungendam potentiam cum effectu, *neg. maj. concessã min. dist. conf.* ergo Adamus non indiguit auxilio actu cooperante, & efficaci simpliciter ad posse perseverare, *con. conf.* ad actu, & infallibiliter perseverandum, *subdist.* non indiguit alio auxilio ratione entitatis, seu entitativè ad actu, & infallibiliter perseverandum, *con. conf.* non indiguit alio auxilio ratione statûs, & aliis ad efficaciam infallibilem concurrentibus, *neg. conf.* Unde auxilium sufficiens est entitativè idem, ac efficax, differt tamen ratione statûs; sufficiens enim consideratur in actu primo, & efficax in actu secundo junctum cum actu, & prævisione illius infallibili, in quo statu aliam induit rationem, & vocatur auxilium efficax. Ad actu enim, & infallibiliter perseverandum duo requiruntur, 1.º ut potentia in actu primo completa, & expedita ad perseverandum, vel bonum operandum jungatur effectui per auxilium cooperans, ac efficax simul cum voluntate bonum in actu secundo producens. 2.º Ad infallibiliter perseverandum requiritur adjutorium, quo Deus ab æterno prævidit hominem infallibiliter perseveraturum, quod est gratia efficax, & quo caruit Adamus, qui habuit tantum auxilium, quo Deus ab æterno quidem prævidit, Adamum posse perseverare, & bonum operari, non verò infallibiliter operaturum, & perseveraturum; nec habuit auxilium cooperans, quia noluit cooperari, nec benè uti auxilio sufficienti.

Inst. 3. Atqui Adamus non indiguit auxilio actu cooperante, & efficaci ad actu, & infallibiliter perseverandum; ergo &c. *Prob. subs.* Si Adamus indiguisset

auxilio actu cooperante, & efficaci ad actu, & infallibiliter perseverandum, sine sua culpa caruisset auxilio necessario ad actu perseverandum, & esset inculpabilis, quod actu non perseveraverit: atqui consequens repugnat doctrinæ S. Augustini, & Ecclesiæ; ergo & antecedens. *Prob. maj.* In statu innocentiaë fuit sine culpa: atqui in statu innocentiaë caruit auxilio actu cooperante efficaci ad actu perseverandum necessario; ergo sine sua culpa caruisset auxilio necessario ad actu perseverandum &c.

Resp. dist. min. Atqui in statu innocentiaë caruit auxilio actu cooperante efficaci ad actu perseverandum necessario, ex ipsius culpa statum innocentiaë deserendo, *con. min.* sine sua culpa, & statum innocentiaë non deserendo, *neg. min. & conf.* Unde Adamus pro illo instanti, quo in justitia originali perseveravit, habuit illud auxilium cooperans, ac efficax, quod adjutorium, ait S. Augustinus Lib. de corr. & grat. c. 11. *Si homo ille per liberum non deseruisset arbitrium, semper esset bonus* (quia semper tale adjutorium cooperans, ac efficax retinisset) *se deseruit, & desertus est.* Et ideo est culpabilis, quia potuisset illud adjutorium efficax retinere, & actu perseverare, si voluisset. *Tale quippe erat adjutorium* (pergit idem S. Doctor) *quod desereret, cum vellet, & in quo permaneret, si vellet, non quo fieret, ut vellet;* quia illud libero suo arbitrio deseruit.

Inst. 4. Atqui S. Augustinus non agnovit gratiam efficacem Adamo innocenti necessariam ad actu perseverandum; ergo &c. *Prob. subs.* S. Augustinus repetit necessitatem gratiaë efficaciæ ex infirmitate naturæ lapsæ: atqui Adamus innocens talem infirmitatem non habuit; ergo nec agnovit in Adamo innocente gratiam efficacem necessariam ad actu perseverandum.

Resp. dist. maj. S. Augustinus repetit necessitatem gratiaë efficaciæ medicinalis, & in hoc statu ex infirmitate naturæ lapsæ, *con. maj.* repetit necessitatem omnis gratiaë efficaciæ etiam sanitatis, & in statu innocentiaë, *neg. maj. concessa min. neg. conf. vel dist.* ergo S. Augustinus non agnovit gratiam efficacem medicinale, qualis est in præsentis statu, Adamo necessariam, *con. conf.* non agnovit necessariam gratiam efficacem sani-

tatis, & cooperantem, *neg. conf.* Unde gratia simpliciter cooperans in utroque statu fuit necessaria ad operandum in actu secundo, non verò sanans, nisi in statu naturæ lapsæ.

ARTICULUS V.

An, & quomodo gratia sit necessaria ad cognitionem veri, ac prosecutionem boni?

Prænot. 1. **V**ERUM aliud est naturale, quod solo discursu naturali sine speciali revelatione cognosci potest; aliud supernaturale, quod solâ revelatione intelligi potest; quia naturales intellectûs vires excedit, vel ratione objecti, ut mysteria fidei, vel ratione modi, scientiæ supernaturaliter infusæ; aliud est speculativum, quod in sola objecti contemplatione sistit & ad nullam ordinatur actionem moralem, ut cognitio solis. Aliud practicum, quod ad praxim, seu operationem moralem ex se ordinatur, talia sunt principia moralia, bonum est faciendum, malum fugiendum. Hæc possunt considerari, vel speculative, & in genere, quatenus hic & nunc ad hominis actionem non referuntur, vel practice, quatenus actu ad hominis actionem hic & nunc ponendam referuntur, & dicuntur practice practica.

2. Tria in cognitione veri supernaturalis distingui possunt, nempe 1.º nuda rei supernaturalis apprehensio, suppositâ revelatione, per Scripturam, vel prædicationem credibiliter propositâ. 2.º Pius credulitatis affectus ac voluntatis imperium menti factum, ut rebus, quamvis non evidentibus in obsequium fidei consentiat. Et 3.º ipsæmet mentis assensus ex imperio voluntatis secutus.

3. Bonum duplex est, nimirum morale, seu honestum, quod conforme est rectæ rationi; & supernaturale, quod ad æternam hominis salutem pertinet.

4. In omni opere moraliter bono tria considerari possunt, videlicet 1.º substantia operis, quod agitur.

2.^o Objectum, seu materia, circa quam versatur. Et
3.^o finis, qui duplex est, nempe proximus, intrinsecus,
seu operis, & operantis, seu ultimus, ad quem actua-
liter, vel virtualiter opus bonum refertur; sic in elee-
mosyna substantia operis est elargitio eleemosynæ: ob-
jectum est ipsa eleemosyna, quæ datur; finis operis
sublevatio miseriæ alienæ, & finis operantis, seu ulti-
mus ipse Deus, in quem expressè, vel virtualiter,
generali quâdam intentione faciendi omnia in gloriam
Dei, refertur, in agente virtualiter perseverante, quam-
diu alio fine opposito non vitatur. Non tamen sufficit
habitualis, vel interpretativa intentio, ut actio ad Deum
referri censeatur, ut communiter docent Theologi.

5. Amor alius est naturalis, quo Deus per lumen
naturale cognitus, ut auctor bonorum naturalium ama-
tur; alius supernaturalis, quo Deus per fidem cogni-
tus ut auctor gratiæ, ac gloriæ diligitur. Alius est in-
natus, qui est veluti naturale pondus in bonum cuique
proprium; alius elicitus, quo aliquis ex apprehensio-
ne boni ad illud prosequendum se movet. Alius neces-
sarius, qui ex apprehensione boni sine deliberatione
procedit, & liber, qui ponderatis rei meritis ex deli-
beratione procedit. Hic, de quo præcipue agitur, ul-
terius dividitur 1.^o in affectivum, & inefficacem, qui
consistit in solo affectu inefficaci, & complacentia de
summa Dei bonitate, & in effectivum, seu efficacem,
qui simul includit observantiam omnium mandatorum
Dei. 2.^o In amorem concupiscentiæ, quo Deus amatur
propter nos, ut finem, cui infinitè bonus, ac æterna
beatitudo est. Et amorem amicitia, seu benevolentia,
quo Deus propter seipsum, ac propriam suam bonita-
tem infinitam diligitur. 3.^o In intensivè summum, quo
Deus summâ, ac ferventissimâ inclinationis tendentiâ
amatur, & appetitivè summum, quo nihil magis ama-
tur, vel nihil, factâ comparatione, Deo præferitur. 4.^o
In amorem perfectum, quo Deus diligitur propter se,
& non solum omnibus aliis rebus præferitur, sed etiam
observantiam mandatorum Dei includit, & dicitur amor
Dei super omnia. Et in imperfectum, quo Deus, vel
non propter se, vel non super omnia, vel non cum
voluntate servandi omnia ipsius mandata amatur.

6. Lex alia est naturalis, quæ hominem dirigit in finem naturalem nimirum ad morum honestatem. Alia supernaturalis, quæ eum dirigit in finem supernaturalem. Legis naturalis observantia considerari potest, vel quoad substantiam operis, id est, moralem honestatem; vel quoad modum, ac motivum, quo fit & meritorie, ita, ut ad vitam æternam conducat; vel collectivè quoad omnia mandata, vel distributivè quoad aliqua.

7. Gratia alia est supernaturalis simpliciter quoad substantiam, & modum, quæ adjuvat ad vires naturæ excedentia tam ratione principii, quàm objecti, ut habitus fidei. Alia est supernaturalis secundum quid, & naturalis, vel ratione objecti, cum effectum naturalem producit modo supernaturali, ut cæco visum, vel ratione principii, quæ res naturales dirigit ad finem supernaturalem, ut providentia ordinaria divitias ordinando ad vitam æternam.

8. Tentatio est provocatio ad peccatum, quæ fit à propria carne, à dæmone, & à mundo. Alia est gravis, quæ vehementer impellit, vel ratione durationis, vel objecti vividè repræsentati, vel habitus, vel peccandi consuetudinis. Alia levis, quæ leviter tantum allicit. Utraque potest vinci 1.º succumbendo alteri, ut motivo vanæ gloriæ, avaritiæ &c. 2.º Meritorie ad salutem ex motivo charitatis. 3.º Steriliter ex solo motivo naturalis honestatis.

9. Potentia alia est physica, quæ est vis operi faciendi proportionata, ac sufficiens. Alia moralis, quæ etiam sine magna difficultate potest exigere. Unde duplici modo potest aliquid esse impossibile sine gratia 1.º physicè ob defectum virtutis physicè per se sufficientis. 2.º Moraliter ob magna impedimenta, & difficultates superandas.

10. Perseverantia juxta S. Augustinum Lib. de dono persever. potest dupliciter sumi, nempe perseverantia secundum quid, quâ homo justus per aliquod tempus, non verò usque ad mortem in justitia accepta perseverat, quæ remotè sufficiens, & speciale donum, id est, distinctum à gratia justificante à Concilio Trid. Sess. 6. Can. 22. dicitur, cum quo perseverare possit, ut patet ex eodem Canone; & perseverantia simpliciter,

quam S. Augustinus definit : donum Dei , quo usque ad mortem perseveratur in Christo ; quod potest fieri dupliciter , nempe per conjunctionem gratiæ habitualis cum morte sine longa illius cum morte continuatione, uti fit in parvulis , vel in adultis statim post baptismum , vel gratiam sanctificantem morientibus , quæ passiva dicitur. Et per diuturnam in gratia sanctificante , ac bonis operibus usque in finem vitæ continuationem , quæ activa proxima efficax specialis electorum , ac magnum perseverantiæ donum à Concilio Trid. Sess. 6. Can. 16. & S. Augustino appellatur. Et sic strictè fumitur , & definitur : *Actualis continuatio in iustitia accepta usque in finem.* Et includit collectionem plurium auxiliorum tam externorum , ut est singularis Dei protectio , amorio peccandi occasionum &c. quàm internorum gratiæ illuminationis , ac inspirationis , quibus status gratiæ infallibiliter cum morte unitur. Differt à dono confirmationis , quòd hoc plures includat gratias sine interruptione continuatas ; illud verò , quamvis per peccatum mortale interrumpatur , gratiam tamen finalem includat.

CONCLUSIO I.

Homo lapsus solo Dei concursu ordinario multas intelligere potest veritates naturales tam practicas , quàm speculativas , potentia etiam morali ; imò omnes non solum sributivè , sed etiam collectivè potentiâ saltem physicâ ; non potest tamen omnes cognoscere potentiâ morali sine speciali gratiæ auxilio , multò minùs veritates supernaturales , ut mysteria fidei , nec potentiâ physicâ sine revelatione , nec ea credere fide supernaturali , etiam suppositâ revelatione , sine actuali gratia interna intellectum illuminante , & voluntatem ad assensum excitante : potest tamen eas credere fide humanâ , suppositâ gratiâ externâ prædicationis , vel revelationis externæ.

Prob. 1. pars , quòd homo lapsus plures veritates naturales tam practicas , quàm speculativas solo Dei concursu , etiam potentiâ morali possit cognoscere. Si homo lapsus solo lumine naturali intellectus sine magna difficultate potest cognoscere , Deum existere , bonum faciendum , malum fugiendum , parentes honorandos , variasque acquirere scientias naturales , potest solo Dei concursu

ordinario etiam potentiâ morali plures cognoscere veritates tam practicas, quàm speculativas, imò omnes etiam collectivè potentiâ saltem physicâ, si absolutè non repugnent, nec excedant physicam intellectûs capacitatem, abstrahendo ab impedimentis externis: atqui homo lapsus prædictas & similes veritates solo lumine naturali intellectûs sine magna difficultate potest cognoscere; imò plures nec potest invincibiliter ignorare, & absolutè etiam collectivè non repugnat cognoscere omnes, nec excedunt physicam intellectûs capacitatem, abstrahendo ab impedimentis externis; omnes enim sunt naturaliter cognoscibiles; ergo homo lapsus solo Dei concursu ordinario potentiâ etiam morali, plures potest cognoscere veritates tam practicas, quàm speculativas; imò omnes potentiâ saltem physicâ.

Prob. 2. pars, quòd homo lapsus non possit potentiâ morali cognoscere omnes veritates naturales sine speciali gratiæ auxilio. Homo lapsus non potest potentiâ morali omnes cognoscere veritates naturales, si pro omnibus cognoscendis tantæ superandæ sint difficultates, ut moraliter loquendo non possit omnes superare: atqui pro cognoscendis omnibus veritatibus naturalibus ob brevitatem vitæ, multitudinem veritatum naturalium quasi infinitam, ignorantiam innatam, sensuum fallaciam, carnis rebellionem, sæculi curam, corporis infirmitatem &c. tantæ oriuntur difficultates, ut moraliter loquendo non omnes possit superare; ergo homo lapsus non potest potentiâ morali omnes cognoscere veritates naturales sine speciali gratiæ auxilio.

Prob. 3. pars, quòd homo lapsus non possit cognoscere veritates supernaturales sine revelatione. Homo lapsus non potest cognoscere veritates supernaturales sine revelatione, si non possit illas audire; non enim sunt alio modo cognoscibiles, cum superent rationem sine prædicante; dicit enim Apostolus Rom. 10. 14. *Quomodo credent ei, quem non audierunt, quomodo autem audient sine prædicante;* ergo homo lapsus non potest veritates supernaturales cognoscere sine revelatione.

Confirmatur eadem pars ratione. Homo lapsus non potest cognoscere veritates supernaturales etiam potentiâ physicâ, si excedant omnem illius capacitatem.

naturalem, & physicam : atqui excedunt omnem illius capacitatem naturalem, & physicam ; aliàs non essent supernaturales ; ergo homo lapsus non potest cognoscere veritates supernaturales sine revelatione.

Prob. 4. pars, quòd homo lapsus non possit credere fide supernaturali veritates supernaturales, etiam supposità revelatione, sine gratia actuali interna. Homo lapsus non potest credere fide supernaturali veritates supernaturales, ac mysteria fidei sine gratia actuali interna, etiam supposità revelatione, si fides sit opus Dei, & homo lapsus non sit sufficiens cogitare aliquid à se, & sufficientia ipsius in ordine ad veritates supernaturales sit ex Deo, ita ut non solum supplementum, sed etiam initium fidei à Deo sit : atqui ita est ; namque Joan. 6. 29. Christus ait : *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, qui misit me.* Et teste Apostolo 2. Cor. 3. non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi à nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est, & non solum supplementum, sed etiam initium fidei à Deo est, prout indicat S. Augustinus in verba Apostoli citata Lib. de præd. Sanct. c. 2. dicens : *Attendant hic, & verba ista perpendant, qui putant ex nobis esse fidei ceptum, & ex Deo esse fidei supplementum. . . profecto non sumus idonei credere aliquid quasi ex nobismetipsis, quod sine cogitatione non possumus, sed sufficientia nostra, quâ credere incipiamus, ex Deo est.* Quocirca sicut nemo sibi sufficit ad incipiendum, vel perficiendum quocunque opus bonum . . . ita nemo sibi sufficit, vel ad incipiendam vel perficiendam fidem, sed sufficientia nostra ex Deo est, quoniam fides, nisi cogitetur, nulla est. Et S. Fulgentius Lib. de Incarn. & grat. Christi dicit : *In hominis corde nec concipi fides poterit, nec augeri, nisi eam Spiritus Sanctus effundat, & nutriat ; ergo homo lapsus non potest credere fide supernaturali veritates supernaturales, vel mysteria fidei, etiam supposità revelatione ; quia aliàs, eâ supposità, naturaliter, & ex se quis crederet, quod repugnat auctoritati citatæ.*

Confirmatur eadem pars ex Concilio Arausicano II. quod Can. 5. ait : Si quis sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsumque credulitatis affectum . . . non per gratiæ donum, id est, per inspirationem Spiritus Sancti, sed naturaliter nobis inesse, dicit, Apostolicis dogmatibus

adversarius approbatur. Ex quo sic argumentor : si nec initium fidei, nec illius augmentum, nec credulitatis affectus naturaliter nobis inesse possint nisi per gratiæ donum, & inspirationem Spiritûs Sancti, homo lapsus, etiam suppositâ revelatione, non potest credere fide, supernaturali veritates supernaturales, ac mysteria fidei sine gratia actuali, quæ est inspiratio, & donum Spiritûs Sancti : atqui ita est, ut patet ex concilio citato ; ergo homo lapsus non potest credere fide supernaturali sine gratia actuali, etiam suppositâ revelatione.

Prob. 5. pars, quòd homo lapsus possit veritates supernaturales apprehendere & credere fide humanâ, suppositâ revelatione. Si multi hæretici varias veritates supernaturales, ac mysteria fidei ipsis prædicata apprehendant, & fide humanâ credant, ac multi ex motivo humano, & pertinaciter credant, quæ omnem eorum captum superant, homo lapsus potest veritates supernaturales apprehendere, & fide humanâ credere, suppositâ solâ prædicatione, seu externâ revelatione : atqui multi hæretici plures veritates, & mysteria fidei nostræ apprehendunt, & credunt fide humanâ, ac motivo humano, & sine gratia eodem modo, quo suos errores credunt ; quia ipsis ita videntur honorifica, vel utilia, vel iudicio suo privato conformia ; aliàs, si motivo supernaturali, vel cum gratia crederent, omnia crederent ; & multi ex motivo humano, ac pertinaciter credunt tam in rebus historicis, quàm philosophicis, quæ omnem eorum captum superant ; ergo homo lapsus potest veritates supernaturales apprehendere, & credere fide humanâ, suppositâ solâ prædicatione, seu revelatione externâ.

Solvuntur objectiones contra primam partem, de cognitione veritatum naturalium sine gratia.

Obj. Homo lapsus comparatur à S. Gregorio Magno hom. 11. in Evang. cæco, cui Dominus Luc. 18. visum restituit, & Joan. 10. 5. dicitur : *Deus est lux lucens in tenebris, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Et S. Augustinus Tract. 1. in Joan. ait : *Omnis impius cæcus est corde* : atqui cæcus nihil omnino videt, nec videre potest ; ergo & homo lapsus nullam omnino cognoscere potest veritatem sine gratia.

Resp.

Q. I. DE ESSENT. ET NEC. GRAT. A. V. 65

Resp. dist. maj. Homo lapsus comparatur cæco quoad veritates ordinis supernaturalis, *con. maj.* quoad veritates naturales, *neg. maj. concessâ min. dist. conf.* ergo homo lapsus nullam omnino cognoscit veritatem naturalem sine gratia, *neg. conf.* nullam supernaturalem sine gratia, *con. conf.* multa enim homo lapsus nec ignorare potest, uti Deum existere, parentes esse colendos.

Inst. 1. Atqui homo lapsus cæcus est etiam quoad veritates naturales; ergo &c. *Prob. subs.* Homo lapsus cæcus est, etiam quoad veritates naturales, si ex se nullum omnino verum possit cognoscere: atqui ex se nullum omnino verum potest cognoscere; ergo cæcus est etiam quoad veritates naturales. *Prob. min.* Homo lapsus nullum omnino verum potest cognoscere, si ex se nihil possit cogitare: atqui homo lapsus ex se nihil potest cogitare juxta Apostolum 2. Cor. 3. 5. ubi ait: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est;* ergo ex se nullum omnino verum potest cognoscere.

Resp. dist. min. Atqui homo lapsus nihil potest ex se cogitare, quod pertinet ad finem supernaturalem, & vitam æternam sine gratia, *con. min.* quod pertinet ad finem naturalem, vel ordinis naturalis, *subd. sine concursu Dei ordinario, con. min. sine gratia, & auxilio supernaturali, neg. min. & conf.* Apostolus autem loquitur de cogitatione in ordine ad vitam æternam; ut testatur S. Augustinus Lib. 2. de præd. Sanct. c. 2. dicens: *Quod ergo pertinet ad religionem, atque pietatem, de qua loquitur Apostolus, si non sumus idonei cogitare aliquid, quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est, profecto non sumus idonei credere aliquid, quasi ex nobismetipsis, quod sine cogitatione non possumus, sed sufficientia nostra, quâ credere incipiamus, ex Deo est.*

Inst. 2. Atqui homo lapsus ex se nihil veri potest cogitare, quod pertinet ad finem ordinis naturalis, etiam cum concursu Dei ordinario; ergo &c. *Prob. subs.* Si homo lapsus aliquid veri ordinis naturalis ex se posset cogitare cum concursu Dei ordinario, aliquod haberet de se, quod non esset mendacium, & peccatum: atqui ex Concilio Arausicano 2. Can. 22. *nemo habet de suo, nisi mendacium, & peccatum;* ergo homo

lapsus nihil veri potest cogitare, quod pertinet ad finem ordinis naturalis etiam cum concursu Dei ordinario.

Resp. dist. min. Nemo habet de suo, nisi mendacium, & peccatum, nempe formale, & independenter à concursu Dei ordinario, *con. min.* dependenter à concursu Dei ordinario, *neg. min. & conf.* Unde Concilium citatum vult tantum dicere, hominem posse se solo peccare, non verò bonum operari in ordine ad salutem, prout se clariùs explicat Canone 7. dicens: *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet, vitæ æternæ cogitare, ut expedit, confirmat, absque illuminatione & inspiratione Spiritûs Sancti, hæretico fallitur spiritu.*

Inst. 3. Atqui homo nihil habet veritatis, etiam naturalis, sine concursu supernaturali; ergo &c. *Prob. subsf.* Homo nihil habet veritatis, etiam naturalis, sine concursu supernaturali, si omne, quod habet veritatis, sit à Deo ut auctore gratiæ: atqui omne, quod homo habet veritatis, est à Deo ut auctore gratiæ; ergo nihil habet veritatis, etiam naturalis, sine concursu supernaturali. *Prob. min.* Idem Concilium Arausicanum cit. in eodem textu pergit dicens: *Si quid autem habet homo veritatis, atque justitiæ, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo &c.* atqui in hac eremo debemus sitire Deum, ut auctorem gratiæ; ergo homo nihil habet veritatis; etiam naturalis, nisi à Deo ut auctore gratiæ, & sine concursu supernaturali. Negatio enim est malignantis naturæ, negat omnia post se, ac proinde omne verum.

Resp. dist. maj. Si quid autem homo habet veritatis atque justitiæ supernaturalis, est ab illo fonte supernaturali, *con. maj.* si quid habet veritatis atque justitiæ naturalis, *neg. maj. concessâ min. neg. conf. & rationem illius dist.* negationes sunt malignantis naturæ, negant omnia post se, nisi restringantur, *conc.* si restringantur, *neg.* Restringitur autem textus citatus Concilii Araus. ad veritatem conducentem ad justitiam, & salutem, ut patet legenti.

Inst. 4. Atqui, si quid habet homo veritatis naturalis, à Deo est ut fonte supernaturali; ergo &c. *Prob. subsf.* Quod in nobis est à natura, à Deo non petimus. Nam ut ait S. Augustinus Epist. 177. aliàs 95. *Ipsa oratio*

Q. I. DE ESSENT. ET NEC. GRAT. A. V. 67

clarissima est gratiæ testificatio : atqui Psalmista orat Ps. 118. *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, & petimus cognitionem etiam rerum naturalium, orando in initio scholæ, & id commendamus scholaribus; ergo quidquid habet homo veritatis naturalis, à Deo est, ut fonte supernaturali.*

Resp. dist. min. Atqui Psalmista orat, & nos orare solemus pro cognitione rerum naturalium, quas nondum cognoscimus, & in ordine ad salutem, *con. min.* pro cognitione, quam jam possidemus, *neg. min. & conf.* Quamvis enim aliquas veritates speculativas, & practicas naturaliter cognoscere possimus; attamen & multas ignoramus, nec eas sine magna difficultate, nec bene, & ut oportet ad salutem, eas concipere possumus sine gratia. Unde ait S. Augustinus Lib. de bono viduitatis c. 17. *Quidquid dedit (Deus) ut conservet oremus; quod autem nondum dedit, ut suppleat, oremus.*

Inst. 5. Atqui pro omni cognitione veritatis orare debemus; ergo &c. *Prob. subs.* Pro eo orare debemus, quod donum Dei est: atqui omnis cognitio veritatis est donum Dei; nam Conc. Milevitanum cap. 4. ait: *Utrunque Dei donum est, scire, quid agere debeamus, & diligere, ut faciamus.* Et Arausicanum 2. Can. 9. *Divini muneris est, cum rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate, & injustitia continemus; ergo orare debemus pro omni cognitione veritatis.*

Resp. dist. maj. Pro eo orare debemus, quod donum Dei est, indebitum, & supernaturale, *con. maj.* quod donum Dei est naturale, & naturæ debitum, *subdist.* ut Deus conservet, ut ait S. Augustinus supra cit. *con. maj.* ut illud conferat, *neg. maj. dist. min.* atqui omnis cognitio veritatis est donum Dei naturale, vel supernaturale, *con. min.* supernaturale, *neg. min. & conf.* Sic non solemus orare, ut sol oriatur, & natura à Deo instituta suos producat actus, sed ut eundem ordinem conservet, quem posset absolutà suâ potestate destruere. Unde omnia dona Dei sunt; quia omnia posset auferre, & pro omnibus orare possumus; non tamen sequitur, nos nihil posse agere cum concursu Dei ordinario.

Inst. 6. Saltem homo lapsus non potest potentiâ physicâ omnes omnino veritates naturales collectivè

cognoscere concursu Dei ordinario; ergo &c. *Prob. subs.* Deus, & natura nihil faciunt frustra: atqui talis potentia esset frustranea; ergo homo lapsus non potest potentiam physicam omnes veritates naturales cognoscere collectivè. *Prob. min.* Nullus homo unquam assequetur cognitionem omnium rerum naturalium collectivè; ergo talis potentia est frustranea, & inutilis.

Resp. dist. ant. Talis potentia ad nihil inservit, nec inservire potest, *neg. ant.* ad nihil inservit, posset tamen inservire; *con. ant.* & *neg. conf.* Quamvis enim talis potentia non integrum suum effectum assequatur; attamen ex parte suum assequitur effectum, quatenus inservit ad cognitionem aliquarum veritatum naturalium, & ad integrum inservire posset, si nulla essent impedimenta, ut brevitatis vitæ, infirmitas naturæ &c. quod sufficit, ut non sit frustranea.

Inst. 7. Atqui talis potentia physica ad nihil inservit, nec inservire potest; ergo &c. *Prob. subs.* Ad nihil inservit, nec inservire potest, si naturaliter non possit assequi suum effectum, nec physicè: atqui naturaliter non potest assequi suum effectum, nec physicè; ergo talis potentia ad nihil inservit, nec inservire potest. *Prob. min.* Si talis potentia physica naturaliter physicè posset assequi suum effectum, etiam id posset moraliter sine gratia supernaturali: atqui non potest moraliter assequi suum effectum sine gratia; quia non possunt omnes veritates naturales cognosci collectivè potentiam morali; ergo naturaliter non potest assequi suum effectum, nec physicè. *Prob. maj.* Ad effectum naturalem potentiam naturalis non requiritur auxilium supernaturale, uti est gratia: atqui effectus, seu cognitio omnium rerum naturalium esset naturalis suæ potentiam, nempe intellectui; ergo si potentia physica naturaliter physicè possit assequi suum effectum, etiam id potest moraliter sine gratia supernaturali.

Resp. dist. maj. Ad effectum naturalem potentiam tam quoad modum, quam entitatem non requiritur auxilium supernaturale, *con. maj.* ad effectum naturalem quoad entitatem, & supernaturalem quoad modum non requiritur auxilium supernaturale, *neg. maj. dist. min.* atqui cognitio rerum omnium naturalium est naturalis

quoad entitatem actûs, & ratione objecti, *con. min. quoad modum, neg. min. & conf.* Quamvis enim cognitio rerum omnium naturalium sit naturalis ratione objecti; quia non excedit vires potentiae naturalis; pro illa tamen acquirenda tot sunt impedimenta superanda, ut sine auxilio supernaturali non omnia possint superari.

Solvuntur objectiones contra quartam partem, de fide veritatum supernaturalium sine gratia.

Obj. 2. Possumus naturaliter, & sine gratiae auxilio credere, quae lumine rationis judicamus fide digna, sic multa facta, & historias, quae narrantur credimus; nam 1.º fides ex auditu. 2.º Judæi moderni credunt Messiam venturum sine gratia; etiam motivo supernaturali, nempe ob auctoritatem Scripturae: atqui solo lumine rationis possumus convinci, & judicare, mysteria fidei esse fide digna; sunt enim evidenter credibilia; ergo possumus mysteria fidei credere naturaliter, & sine gratiae auxilio.

Resp. dist. maj. Possumus naturaliter, & sine gratiae auxilio credere fide humanâ sterili, & assensu incerto inutili ad salutem innixo evidentiae signorum, quae lumine rationis judicamus fide digna, *con. maj.* fide divinâ, & salutari innixâ auctoritati divinæ, & motivo supernaturali ob auctoritatem Dei revelantis, & assensu certo, *neg. maj. concessâ min. dist. conf.* ergo possumus mysteria fidei credere naturaliter fide humanâ, *con. conf.* divinâ & ex motivo supernaturali, ut oportet ad salutem, *neg. conf.* Quacunque enim ratione credibilitatis suppositâ in se mysteria fidei remanent inevidentia, & ut mens humana captiveretur in obsequium fidei, gratiae auxilio indiget. Deinde fides supernaturalis non est ex solo auditu, nec Judæorum fides in Messiam supernaturalis est; credunt enim sicut hæretici innixi suo iudicio privato, & fallibili.

Inst. 1. Atqui possumus credere mysteria fidei naturaliter, & sine gratia, etiam fide divinâ innixâ revelationi divinæ; ergo &c. *Prob. subsf.* Lutherani credunt mysterium Incarnationis, & SS. Trinitatis ex motivo; quia Deus ita revelavit, & quidem ita credunt naturaliter, & sine gratia; quia gratia fidei non subsistit cum infidelitate; quia per illam amittitur: atqui fides

innixa divinæ revelationi est divina, & ex motivo supernaturali; ergo possumus credere mysteria fidei naturaliter, & sine gratia etiam fide divinâ.

Resp. dist. maj. Lutherani credunt mysterium Incarnationis, & SS. Trinitatis ex motivo supernaturali, nempe revelationis divinæ apparenter, & oretenus, *con. maj.* in veritate rei fide supernaturali, ut oportet ad salutem, *neg. maj. concessâ min. neg. conf.* Ad hoc ut credant, prout oportet ad salutem tria requiruntur 1.º quòd certò credant ex parte objecti tanquam à Deo revelati. 2.º Firmiter ex parte subjecti, ita ut mallent mori potius, quàm non credere. 3.º Pio affectu, & inclinatione erga Deum, cervicem Deo flectendo ad obedientiam fidei in rebus, ac mysteriis, quæ non apparent, quod sine auxilio supernaturali gratiæ actualis fieri nequit. Si itaque Lutherani, ac alii hæretici quædam mysteria crederent ex tali motivo supernaturali revelationis divinæ, etiam alia crederent, quæ pariter revelata sunt, & ab eadem auctoritate, nempe Ecclesiæ, ut revelata, ac credenda proponuntur. Unde quamvis aliqua credant; quia revelata sunt, non tamen credunt esse revelata, nisi quia ipsis ita apparet, & placet iudicio suo privato: Catholici autem verâ fide cum auxilio supernaturali gratiæ credunt; quia infallibilem Ecclesiam ita proponentem, ac dicentem, ea esse revelata, audiunt.

Inst. 2. Atqui possumus credere ex motivo supernaturali in veritate rei sine gratia, & naturaliter; ergo. *Prob. subsf.* Si Tyriis Christus miracula fecisset, illis visis credidissent, & habuissent fidem divinam ex motivo supernaturali; fuisset enim talis, quæ fuisset requisita ad salutem; aliàs ineptè Judæos increpâisset non credentes: atqui juxta S. Augustinum Lib. de dono perf. c. 14. credidissent propter quandam naturalem credendî facultatem, quam quidam habent, & quam affert S. Doctor pro ratione illorum fidei dicens: *Apparet habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mensibus, vel audiant verba, vel signa conspiciant;* ergo possumus credere ex motivo supernaturali in veritate rei sine gratia, & naturaliter.

Q. I. DE ESSENT. ET NEC. GRAT. A. V. 71

Resp. dist. min. Tyrii credidissent propter quandam naturalem credendi facultatem gratiâ supernaturali suffultam, *con. min.* propter solam naturalem credendi facultatem absque gratia, *neg. min. & conf.* S. Augustinus vult tantum dicere, Tyrios quosdam naturales habuisse dispositiones, nempe cor docile, quod morioni gratiæ non ita resistisset, sicut cor obduratum Judæorum, & cum iisdem gratiis Judæis oblati fuisse conversos. Quæ tamen naturalis dispositio non fuisset causa, vel ratio conferendi gratiam, sed tantum facilioris cooperationis.

Inst. 3. Atqui Tyrii propriis viribus naturalibus potuissent credere; ergo &c. *Prob. subs.* Si Tyrii non propriis viribus naturalibus potuissent credere, ideo esset; quia mysteria fidei non fuissent proportionata ipsorum facultati naturali intellectivæ: atqui fuissent proportionata; ergo potuissent credere viribus naturalibus. *Prob. min.* Objectum specificativum potentiæ est proportionatum potentiæ: atqui mysteria fidei sunt de objecto specificativo facultatis intellectivæ, quod est omne verum; ergo mysteria fidei fuissent proportionata ipsorum facultati naturali intellectivæ.

Resp. dist. min. Atqui mysteria fidei sunt de objecto specificativo facultatis intellectivæ obediæntialis, *con. min.* naturalis, *neg. min. dist. conf.* ergo mysteria fidei fuissent proportionata potentiæ intellectivæ obediæntiali, *con. conf.* naturali, *neg. conf.* Unde mysteria fidei ac veritates supernaturales sunt de objecto specifico potentiæ intellectivæ non naturaliter, sed supernaturaliter duntaxat, & per gratiam supernaturalem elevata illas attingere, & cognoscere potest.

Inst. 4. Atqui mysteria fidei sunt de objecto specifico potentiæ intellectivæ naturalis; ergo &c. *Prob. subs.* Quod intellectus naturaliter potest attingere, & circa quod naturaliter potest versari, est de objecto specifico potentiæ intellectivæ naturalis: atqui intellectus potest naturaliter attingere, & versari circa veritates fidei, apprehendendo mysteria fidei solâ auditâ externâ illorum revelatione per prædicationem & lectionem Scripturæ; quia omnis, qui audit, in Deo esse unam naturam, & tres personas, apprehendit Trinitatem, & qui audit, secundam personam assumpsisse naturam hu-

manam, apprehendit Incarnationem; quia illa mysteria ita definiuntur, & auditâ definitione, etiam concipitur, & apprehenditur ipsa res definita; ergo mysteria fidei sunt de objecto specifico potentia intellectivæ naturalis.

Resp. dist. min. Atqui intellectus potest naturaliter attingere, & versari circa veritates fidei, apprehendendo mysteria fidei, solâ auditâ illorum revelatione per prædicationem &c. simplici quâdam apprehensione absque consensu fidei divinæ, *con. min.* cum consensu fidei supernaturalis, ut oportet ad salutem, *neg. min.* & *conf.* Unde non negamus, intellectum posse apprehensione simplici apprehendere naturaliter mysteria fidei per revelationem seu prædicationem proposita absque actu, & consensu fidei; quod enim ad aures, vel alios sensus pervenit, transfertur necessario, & naturaliter ad intellectum, qui audita, vel visa apprehendit; ut autem mysteria ipsi proposita non evidentia pio affectu obediendi Deo revelanti, eique se submittendi, firmiter credat, firmumque assensum præbeat, adjutorio actuali interioris gratia intellectum illuminantis, & voluntatem excitantis indiget ad assensum intellectui imperandum.

Inst. 5. Saltem sequitur initium fidei esse à sola potentia naturali intellectûs absque gratia: falsum consequens. *Prob. sequelam maj.* Apprehensio mysteriorum fidei auditâ eorum prædicatione est à sola potentia naturali intellectûs, & concursu Dei ordinario absque gratia supernaturali; quia nullus est, qui audit dicta mysteria, & non necessario apprehendit, quod audit, nec id potest impedire: atqui apprehensio mysteriorum fidei est initium fidei; ergo initium fidei est à sola potentia naturali intellectûs absque gratia.

Resp. dist. maj. Apprehensio mysteriorum fidei supernaturalis est à potentia naturali intellectûs absque gratia, *neg. maj.* apprehensio mysteriorum fidei naturalis est à sola potentia naturali intellectûs absque gratia, *subdist.* est absque gratia interiori, *con. maj.* absque gratia exteriori & doctrinæ, *neg. maj.* ait enim Apostolus Rom. 10. 14. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante, dist. min.* atqui apprehensio mysteriorum fidei est initium

fidei remotum, *con. min.* proximum, *neg. min. dist. conf.* ergo saltem initium fidei supernaturalis est à sola potentia naturali intellectûs absque gratia, *neg. conf.* ergo saltem initium remotum fidei naturalis est à sola potentia naturali intellectûs absque gratia, *subdist.* absque gratia interna, *con. conf.* absque gratia externa, & revelatione, *neg. conf.* Quamvis enim posset dari aliqua nuda, ac naturalis mysteriorum fidei apprehensio ex solis naturalibus intellectûs viribus, suppositâ divinâ revelatione, seu prædicatione; hæc tamen apprehensio nec meritoria gratiæ est, nec sufficiens ad salutem, nec initium fidei, nisi remotè, dici potest. Ad initium enim proximum fidei requiritur etiam pius credulitatis affectus, ac firmus assensus præcisè propter auctoritatem Dei revelantis, & differt tantum à fide perfecta; quia non est ita appetitativa, ut vellet potius mori, quàm non credere, & nec ita universalis explicitè ad omnes articulos fidei, & utraque superat vires naturæ.

Inst. 6. Saltem ex dictis præcedit gratiam internam aliquod naturale initium fidei, quamvis remotum, nempe apprehensio naturalis mysteriorum fidei, quæ disponit ad fidem; quia sine illa non potest actus fidei elici; apprehensio enim mysteriorum fidei concurrat ad actum fidei; quia debet aliquis prius apprehendere mysterium, quàm credere: atqui hoc impugnat S. Augustinus, ac Ecclesia contra Semipelagianos; ergo saltem nulla adhuc solutio.

Resp. dist. maj. Saltem præcedit gratiam internam aliquod naturale initium fidei, quamvis remotum, nempe apprehensio naturalis mysteriorum fidei, quæ disponit ad fidem supernaturalem per modum motivi conferendi gratiam internam fidei, *neg. maj.* quæ disponit ad fidem naturalem, vel tanquam aliquid se tenens ex parte potentiæ naturalis, quæ simul cum gratia interna ad assensum fidei concurrere potest, *con. maj. dist. min.* atqui hoc impugnat S. Augustinus, ac Ecclesia contra Semipelagianos, qui admittebant initium aliquod naturale fidei tanquam motivum ad gratiam fidei supernaturalis, *con. min.* impugnat aliquod initium naturale ad fidem humanam se non habens ut motivum ad super-

naturalem, *neg. min. & conf.* Multi enim apprehendunt mysteria quædam fidei nostræ, propterea Deus non movetur per talem apprehensionem ad conferendam gratiam fidei, nec propterea magis ad illam recipendam sunt dispositi; gratia enim fidei gratis, & sine ullo merito naturali, vel præparatione naturali datur.

Inst. 7. Atqui apprehensio naturalis mysteriorum fidei est præparatio etiam ad fidem supernaturalem; ergo &c. *Prob. subs.* Fides supernaturalis non potest haberi sine apprehensione mysteriorum, vel veritatum fidei; ergo est præparatio ad fidem supernaturalem.

Resp. 1. Retorqueo argumentum, fides supernaturalis non potest haberi sine intellectu; ergo intellectus etiam est præparatio ad fidem supernaturalem.

Resp. 2. dist. conf. Ergo apprehensio mysteriorum fidei est præparatio, id est, aliquod requisitum ex parte potentiæ naturalis, quæ simul cum gratia interiori concurrat ad actum supernaturalem fidei, *con. conf.* est aliquid exigens collationem gratiæ, vel ad illam conferendam movens, *neg. conf.* Talis enim apprehensio non est ratio, vel causa, quæ Deus movetur ad conferendam gratiam fidei, sed pertinet ad potentiam naturalem & cum illa ad fidem supernaturalem concurrat simul cum gratia.

Inst. 8. Si dæmones credunt motivo supernaturali, & assensu firmo sine gratia, etiam id possunt homines: atqui Jacob. 2. 19. *dæmones credunt motivo supernaturali*; quia sciunt revelationem à Deo factam, & assensu firmo; quia sciunt revelationes Dei esse infallibiles, & sine gratia; quia nullam habent; ergo & homines.

Resp. dist. min. Atqui dæmones credunt ex motivo supernaturali, & assensu firmo fide naturali ob evidentiam revelationis, *con. min.* fide supernaturali pio affectu se subjiciendo Deo revelanti, ut oportet ad salutem, *neg. min. & conf.* Unde fides dæmonum est merè naturalis, ac materialis, non verò formalis, ac requisita ad salutem.

Inst. 9. Atqui dæmones credunt fide supernaturali sine gratia; ergo &c. *Prob. subs.* Fides, quæ fit de objecto supernaturali, & ex motivo supernaturali, est supernaturalis; actus enim specificatur ab objecto:

Q. I. DE ESSENT. ET NEC. GRAT. A. V. 75

atqui dæmones credunt objecta supernaturalia, ex motivo supernaturali, nempe propter revelationem, quæ est motivum supernaturale; ergo credunt fide supernaturali sine gratia.

Resp. dist. maj. Fides, quæ est de objecto supernaturali, & ex motivo supernaturali est supernaturalis demonstrativè, & extrinsecè, *con. maj.* est supernaturalis intrinsecè, & entitativè, *neg. maj. dist. min.* atqui dæmones credunt objectum supernaturale, ex motivo supernaturali, nempe revelatione pio affectu se Deo subjiendo, ut oportet ad salutem, *neg. min.* evidentiam revelationis, ac veritatis quasi coacti, & non præcisè ratione revelationis, nec pio affectu, se Deo subjiendo, nec propter auctoritatem revelantis, *con. min. neg. conf.* Unde fides ad salutem requisita debet esse supernaturalis non solum ratione objecti, & motivi, seu revelationis, sed etiam ratione principii effectivi actûs fidei, quod est habitus fidei, & gratia actualis interna, quibus carent dæmones, ac hæretici, licet habeant quosdam actus fidei humanæ circa quædam mysteria fidei.

Inst. 10. Atqui ad fidem ad salutem requisitam eliciendam non requiritur principium intrinsecum supernaturale; ergo &c. *Prob. subsf.* Fides, de qua loquitur Apostolus Paulus Rom. 10. 17. dicens: *Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi*, est fides requisita, & sufficiens ad salutem: atqui auditus, & verbum Christi, ex quibus illa fides esse dicitur, non sunt principium intrinsecum, sed extrinsecum; ergo ad fidem ad salutem requisitam eliciendam non requiritur principium intrinsecum supernaturale.

Resp. dist. min. Atqui auditus, & verbum Christi, ex quibus fides illa esse dicitur, non sunt principium intrinsecum, sed extrinsecum, & est ex solo auditu, & verbo Christi, *neg. min.* & est simul à gratia interna, *con. min. & neg. conf.* Non enim doctrinâ solum sonante forinsecus, sed etiam internâ, & occultâ mirabili, ac ineffabili potestate operatur Deus in cordibus hominum, non solum veras revelationes, sed bonas etiam voluntates, ut docet S. Augustinus contra Pelagianos Lib. de grat. Christi c. 24.

CONCLUSIO II.

Homini in statu naturæ lapsæ, etiam justificato gratia actualis interior absolutè est necessaria ad omne opus bonum salutare conducens ad vitam æternam incipiendum, vel perficiendum; nec viribus naturæ ad gratiam se præparare potest, ita ut concedatur vitæ ex sola recta ratione sine gratia institutæ, vel amotioni obicis gratiæ tanquam dispositioni etiam tantùm remotæ, vel conditioni, aut occasione certâ lege; sed prima gratia est omnino gratuita.

Prob. 1. pars quoad omnia illius membra in genere, quòd homini lapsò gratia actualis interior absolutè necessaria sit ad omne opus salutare &c. ex S. Scriptura. Joan. 6. 44. Christus ait: Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. Et S. Apostolus Paulus Rom. 11. ait: Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Et 1. Cor. 4. 7. Quis te discernit? Quid habes, quod non accepisti? si acceperis, quid gloriaris, quasi non acceperis?

Ex quibus textibus sic argumentor: Si gratia actualis interior non esset absolutè necessaria ad omne opus salutare, & homo lapsus se solo, ac viribus naturæ posset resurgere à peccato, posset se solo, quin à Patre trahatur, ad Christum venire, & non omnia essent ex ipso, sed ex propriis viribus naturæ, seipsum discerneret ab alio, qui talia præstaret; possetque de suo opere ex propriis viribus factò gloriari: atqui hæc omnia falsa sunt, ut patet ex textibus allatis; ergo gratia actualis interior non tantùm ad facilius, sed absolutè est necessaria &c.

Confirmatur 1. ex S. Scriptura, & simul ex S. Augustino. Idem Apostolus Paulus 2. Cor. 3. 5. ait: Non sumus sufficientes aliquid cogitare ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Quæ verba S. Augustinus allegans Lib. de præd. Sanct. cap. 2. n. 5. dicit: Unde in omni opere bono & incipiendo, & perficiendo sufficientia nostra ex Deo est: ita nemo sibi sufficit, vel ad incipiendam, vel ad perficiendam fidem, sed sufficientia nostra ex Deo est. Et Christus Joan. 15. ait: Quia sine me nihil potestis facere. Quæ verba S. Augustinus exponens Lib. de grat. & lib. arb. c. 17. n. 33. ait: Sine illo vel operante, ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona

pietatis opera nihil valemus. Et Lib. de grat. Christi c. 26. n. 27. Gratia Dei, quâ charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, sic confiteatur, qui vult veraciter confiteri, ut omnino nihil sine illa, quod ad pietatem pertinet, veramque justitiam, fieri posse non dubitet. Non quomodo iste (Pelagius) qui dicit, propterea dari gratiam, ut, quod à Deo præcipitur, facilius impleatur.

Ex quibus textibus sic arguo: Si non simus sufficientes aliquid cogitare ex nobis, & sufficientia nostra in omni opere bono incipiendo, & perficiendo ex Deo fit; si sine illo vel operante, ut velimus, vel cooperante, cum volumus, nihil possumus, & sine gratia Dei nihil omnino, quod ad pietatem pertinet, veramque justitiam valeamus, non tantum ad facilius, sed absolute ad omne opus bonum est gratia actualis interior necessaria: atqui ex textibus citatis S. Scripturæ, ac S. Augustini res ita se habet; ergo dicta gratia non solum ad facilius, sed absolute est necessaria ad omne opus bonum.

Confirmatur 2. ex S. Scriptura & simul ex Concilio Trid. Joan. 6. v. 4. Sicut palmes non potest facere fructus à semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis. Quæ verba Concilium Trid. allegans dicit Sess. 6. c. 16. Cum enim ille ipse CHRISTUS JESUS tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites in ipsos justificatos jugiter virtutem influat; quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur, & sine quâ nullo pacto Deo grata, & meritoria esse possent.

Ex quibus sic infero: Gratia actualis interna est homini lapsio etiam justificato absolute necessaria ad omne opus salutare, & conducens ad vitam æternam, si sine divino influxu Apostoli nullum fructum facere, & bona justorum opera sine illo nullo pacto Deo grata, & meritoria esse possint: atqui ex textu S. Scripturæ, ac Concilii Trid. Apostoli sine influxu divino, nempe Christi tanquam vitis, ac capitis in membra nullum fructum facere, nec bona justorum opera Deo grata, & meritoria esse possunt; ergo gratia homini lapsio etiam justificato absolute est necessaria ad omne opus salutare, ac conducens ad vitam æternam.

Prob. 2. pars, quòd nec viribus naturæ homo lapsus se ad gratiam præparare possit. Rom. II. ait Apostolus: *Quis prior dedit illi, & retribuatur ei?* atqui si homo lapsus se viribus naturæ ad gratiam præparare posset, prior ei nempe Deo daret, & ei gratia retribuatur, quod negat Apostolus; ergo homo lapsus non potest se viribus naturæ ad gratiam præparare.

Confirmatur 1. ratione ex S. Thoma. Homo non potest se præparare viribus naturæ ad gratiam, si donum gratiæ excedat omnem præparationem virtutis humanæ: atqui ex S. Thoma q. 112. de verit. a. 3. *donum gratiæ excedit omnem præparationem virtutis humanæ, & ratio ipsa hoc dicit;* quia præparatio humana est naturalis, & donum gratiæ est supernaturale; ergo homo non potest se præparare viribus naturæ ad gratiam.

Confirmatur 2. ex Concilio Arausicano. Si prima gratia non esset omnino gratuita, sine gratia credentibus, volentibus, desiderantibus misericordia confereretur: atqui Concilium Arausicanum 2. Can. 6. hanc propositionem damnat; ergo homo non potest viribus naturæ se præparare ad gratiam.

Solvuntur objectiones contra utramque partem.

Obj. Gratia actualis interna non est absolute necessaria ad omne opus salutare, si propriâ virtute salutem nostram possumus incipere: atqui propriâ virtute possumus salutem nostram incipere; ergo gratia actualis interna non est absolute necessaria ad omne opus salutare. *Prob. min.* Si propriâ virtute possumus obtinere gratiam, propriâ virtute possumus incipere nostram salutem: atqui propriâ virtute possumus acquirere gratiam; ergo & propriâ virtute incipere salutem. *Prob. min.* Matth. 25. 15. *unicuique talenta dedit secundum propriam virtutem:* atqui per talenta intelliguntur gratiæ; ergo propriâ virtute possumus acquirere gratiam.

Resp. dist. textum maj. Unicuique talenta dedit secundum propriam virtutem cum gratia comparatam, *con. maj.* sine gratia comparatam, *neg. maj. dist. min.* atqui per talenta intelliguntur gratiæ secundæ, vel justificans, quæ datur secundum dispositiones cum gratia factas, *con. mia. gratia prima, neg. min. & conf.* De gratiâ enim

prima ait Apostolus Eph. 4. *Unicuique enim nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.*

Inst. 1. Atqui quilibet potest propriam virtute naturali obtinere talenta, seu gratiam; ergo &c. *Prob. subs.* Si non quilibet posset obtinere gratiam propriam virtute naturali, infideles, ac peccatores non essent inexcusabiles, se ad fidem, & gratiam non convertentes: atqui tamen dicuntur inexcusabiles; ergo quilibet potest propriam virtute naturali obtinere gratiam. *Prob. maj.* Ille non est inexcusabilis, qui non habet virtutem ex se, nec propriis viribus illam habere potest ad se convertendum; sicut vinculis ligatus non est inexcusabilis, si non ambulet, si se solvere non potest: atqui infideles, & peccatores non haberent vires ex se ad se convertendum, nec illas propriam virtute habere possent; ergo infideles, & peccatores se ad fidem, & gratiam non convertentes non essent inexcusabiles.

Resp. dist. maj. Ille non est inexcusabilis, qui non habet vires ex se ad convertendum, nec propriis viribus eas habere potest, nec illas gratuito habet, *con. maj.* si non habeat vires ad convertendum ex se, sed gratuito à Deo, *neg. maj. dist. min.* atqui infideles non haberent vires ex se, nec suam propriam virtute illas habere possent, nec à Deo gratuito illas habent ad se convertendum, *neg. min.* non habent vires ex se, sed gratis à Deo ad se convertendum, *con. min. & neg. conf.* Unde sicut ligatus vinculis liber est ad ambulandum, sive à se, sive ab alio habeat media solvendi vincula; sic & infideles, & peccatores habent libertatem se convertendi; quia Deus omnibus gratis dat gratias proximè, vel remotè sufficientes, prout indicat S. Augustinus Lib. de grat. & lib. arb. cap. 151. n. 31. dicens: *Dat scilicet Deus, quod jubet, cum adjuvat, ut faciat, quæ jubet.* Et Apostolus Rom. 8. 26. *Spiritus enim adjuvat infirmitatem nostram, nam quid oremus, sicut oportet, nescimus, sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus innarrabilibus.* Et Christus ait Luc. 11. 9. *Petite, & dabitur vobis &c.*

Inst. 2. Atqui infideles, & peccatores non habent vires sufficientes ad conversionem à Deo; ergo &c. *Prob. subs.* Si infideles, & peccatores haberent à Deo

vires sufficientes ad conversionem, non opus esset orare pro conversione; quia juxta S. Augustinum *irrisoria est petitio, cum ab eo petitur, quod in nostra habemus potestate*: atqui tamen petimus illorum conversionem à Deo.

Resp. dist. maj. Si infideles, ac peccatores haberent à Deo vires sufficientes ad conversionem, non opus esset orare pro conversione per easdem vires, quas habent, *con. maj.* per vires efficaciores, *neg. maj. dist. min.* atqui petimus illorum conversionem per gratias uberioribus & efficaciores, *con. min.* per illas sufficientes, quas jam habent, *neg. min. & conf.* Unde gratiæ non sunt eodem modo efficaces, sed aliæ aliis magis, minusve sunt efficaces, nec unica ad conversionem ac salutem concurrunt, sed plures, ac innumeræ ad salutem nostram cooperantur; unde plures, ac efficaciores petimus, ita ut tandem salutem æternam actu consequantur.

Inst. 3. Atqui infideles, & peccatores non indigent gratiâ præveniente conversionem; ergo &c. *Prob. subs.* Si ad actum conversionis sufficiat liberum arbitrium, & non requiratur actus naturam humanam excedens, infideles, ac peccatores non indigent gratiâ præveniente ad conversionem: atqui ex S. Thoma ad actum conversionis sufficit liberum arbitrium, & non requiritur actus naturam humanam excedens in 2. d. 5. q. 1. a. 1. dicens: *Dicendum, quod ad eliciendum actum conversionis sufficit liberum arbitrium, quod se ad habendam gratiam per hunc actum præparat, & disponit.* Et ibidem d. 28. q. 1. a. 4. ait: *Non oportet, ut actus, quibus homo se ad gratiam præparat, sint naturam humanam excedentes;* ergo infideles, & peccatores non indigent gratiâ præveniente ad conversionem.

Resp. 1. S. Thomam prædictos textus in sententias, dum erat junior 25. annorum scriptos in aliis suis libris posterioribus, nempe in summa revocasse, & sententiam suam mutasse, vel saltem alio modo suam opinionem exposuisse, ut putat Billuart.

Resp. 2. dist. min. Atqui ex S. Thoma ad actum conversionis sufficit liberum arbitrium cum exclusionem gratiæ habitualis, id est, non requiritur gratia habitualis, nec

nec actus naturam humanam excedens ratione habitus, sicut ad meritum, quod per gratiam habitualement dignificatur, *con. min.* sufficit liberum arbitrium per modum principii actualis, & cum exclusione gratiæ actualis, & non requiritur actus naturam humanam excedens ratione principii, & per gratiam actualem, *neg. min. & conf.* Unde S. Thomas vult tantum dicere, non requiri ad conversionem aliquod principium per modum habitus; quia ad gratiam habitualement acquirendam per conversionem non requiritur alia gratia habitualis, & actus conversionis non excedit naturam humanam in hoc sensu quod non requiratur illius elevatio per gratiam habitualement, sed sufficiat principium activum supernaturale, nempe gratia actualis.

Inst. 4. Atqui ex S. Thoma nec requiritur gratia actualis ad conversionem; ergo &c. *Prob. subs.* Non requiritur ad conversionem gratia actualis, si homo se ad gratiam habitualement solo arbitrio possit præparare: atqui ex S. Thoma homo potest solo arbitrio se præparare ad gratiam habitualement, loco citato dicente: *Ad gratiam gratum facientem habendam ex solo arbitrio se homo potest præparare*; ergo nec requiritur gratia actualis ad conversionem.

Resp. dist. min. Atqui homo potest se solo arbitrio præparare ad gratiam habitualement cum exclusione doni supernaturalis per modum habitus infusi, quod quidam suo tempore exigebant, *con. min.* cum exclusione gratiæ actualis, *neg. min. & conf.* Nam S. Thomas q. 24. de verit. a. 15. expressè ait: *Liberum arbitrium non potest se ad gratiam præparare, nisi ad hoc divinitus dirigatur.* Et hic q. 109. a. 6. *Potest intelligi præparatio voluntatis humanæ ad consequendum ipsum gratiæ habitualis donum: ad hoc autem, quod præparet se homo ad susceptionem hujus doni, non oportet præsupponere aliquod aliud donum habituale; quia sic procederetur in infinitum; sed oportet præsupponi aliquod auxilium gratuitum Dei interiùs animam moventis, sive inspirantis bonum propositum. Eadem responsio potest applicari aliis ipsius textibus.*

Inst. 5. Atqui homo se potest præparare ad gratiam juxta S. Thomam solo arbitrio cum exclusione gratiæ actualis; ergo &c. *Prob. subs.* Si sit in potestate liberi

arbitrii impedire divinæ gratiæ receptionem, vel non impedire, potest se præparare ad gratiam, nempe illam non impediendo: atqui ex S. Thoma 3. contra gent. c. 150. est in potestate liberi arbitrii impedire, vel non impedire gratiæ receptionem sine gratia actuali; loquitur enim de arbitrio gratia actuali, & habituali destituito, & de eo, qui gratiam positivè promereri non potest; ergo homo potest se præparare ad gratiam.

Resp. dist. min. Atqui ex S. Thoma in potestate est liberi arbitrii impedire, vel non impedire receptionem gratiæ ad breve tempus, id est, potest per breve tempus evitare peccatum, quo gratia impeditur, *con. min.* ad longum tempus, *neg. min. dist. conf.* ergo potest se saltem disponere positivè, *neg. conf.* negativè, *subdist.* dispositione absolutâ, & infallibili, *neg. conf.* fallibili, nullaque certâ lege, *con. conf.* Ait enim idem S. Doctor loco cit. *Si tamen diu sibi relinquitur, in peccatum cadet, per quod gratiæ impedimentum præstatur.* Et Lect. 3. in c. 12. Heb. *Hoc ipsum, quod aliquis non ponit obstaculum gratiæ, ex gratia procedit.* Non enim legem naturalem integram sine gratia homo servare potest in mente S. Doctoris, nec viribus naturæ abstinendo à peccato certâ lege mereri gratiam; videmus enim pluries minoribus peccatoribus gratias speciales negari, & majoribus concedi iudicio Dei inscrutabili.

Infl. 6. Atqui juxta S. Thomam homo potest se præparare ad gratiam dispositione infallibili sine gratia præveniente; ergo &c. *Prob. subs.* S. Thomas q. 14. de verit. a. 11. ad 1. dicit: *Si quis enutritus in sylvis ductum naturalis rationis sequatur in appetitu boni, & fuga mali, certissimè tenendum est, quod ei Deus, vel per inspirationem revelaret ea, quæ ad credendum sunt necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium:* atqui enutritus in sylvis, de quo loquitur S. Thomas, nullam habet gratiam; quia non habet fidem, quæ est prima gratia, ac proinde non habet nisi meram dispositionem ex viribus naturæ, & tamen infallibiliter, seu certissimè gratiam accipiet; ergo homo potest se præparare ad gratiam dispositione infallibili sine gratia præveniente.

Resp. dist. min. Atqui talis educatus in sylvis nullam habet gratiam proximam, ac immediatam fidei, *con.*

min. non habet remotam, & pro observatione legis naturalis, *neg. min.* & *conf.* Talis enim in sylvis educatus non potest longo tempore sequi ductum rationis sine gratia; quia juxta ipsum S. Thomam observantia legis naturalis non est possibilis sine gratia, sicut etiam asserit de Cornelio allegato, eum fecisse, quod in se est, cum auxilio gratiæ.

Inst. 7. Atqui homo potest se præparare ad fidem, & gratiam sine ulla gratia proxima, & remota; ergo. *Prob. subs.* Homo potest se præparare ad fidem, & gratiam sine ulla gratia, etiam remota, si Deus det fidem, ac primam gratiam propter opera merè naturalia: atqui Zachæus ob desiderium videndi Christum, & eum recipiendo in domum obtinuit fidem, latro in cruce ob verba, *memento mei*, promissionem paradisi, quæ opera purè naturaliter fieri potuerunt. Et S. Thomas de verit. q. 24, a. 1. ad 2. ait: *Quodd, quamvis gratiam, quæ opera meritoria facit, non possit homo ex libero arbitrio acquirere; potest tamen se ad gratiam habendam præparare, quæ ei à Deo non denegabitur, si fecerit, quod in se est.* Deinde commune est axioma SS. Patrum, ac Theologorum; facienti, quod est in se, Deus non denegat gratiam: atqui, quod in se est, est merè naturale; ergo homo potest se præparare ad fidem, & gratiam sine ulla gratia proxima, & remota.

Resp. dist. min. Atqui Deus dedit gratiam Zachæo ob desiderium videndi Christum; latroni in cruce ob verba, *memento mei*, quæ potuerunt fieri sine gratia meritoriè, & facienti, quod est in se viribus naturæ, non denegat gratiam, *neg. min.* & potuerunt fieri sine gratia non meritoriè, & facienti cum gratia, quod est in se, non negat ulteriorem gratiam, *con. min.* & *neg. conf.* Zachæi autem desiderium, & latronis oratio non facta sunt sine gratia præveniente. Unde de Zachæo ait S. Prosper: *Zachæi animam gratia præparaverat, cujus hospitium elegerat Christus.* Et de latrone, ac aliis ait Concilium Arausicanum 2. Can. 25. *Manifestissimè credendum est, quòd illius latronis, quem Dominus ad paradisi patriam revocavit, & Cornelii centurionis, ad quem Angelus Domini missus est, & Zachæi, qui ipsum Dominum suscipere meruit illa tam admirabilis fides non fuit de natura, sed di-*

vinæ largitatis donum. Deinde licet Deus nulli denegēt gratiam; illam tamen non dat propter præparationem, vel merita naturæ.

Inst. 8. Atqui Deus dedit gratiam primam propter opera reipsa facta sine gratia; ergo &c. *Prob. subs.* Si Deus dedit gratiam primam propter vitia, & peccata, dat propter opera sine gratia facta: atqui Apostolus consecutus est gratiam propter peccata, ut ipse testatur 1. Tim. 1. 13. dicens: *Misericordiam Dei consecutus sum; quia ignorans feci in incredulitate, nempe persecutionem, & blasphemiam; ergo Deus dedit gratiam propter opera facta sine gratia.*

Resp. dist. min. Apostolus gratiam consecutus est propter peccata tanquam ob motivum conferendi gratiam, *neg. min.* tanquam ob objectum, circa quod Deo suam misericordiam exercere placuit, & ex mera liberalitate, *con. min. & neg. conf.* Unde sicut dicitur Ps. 40. 5. *Sana animam meam; quia peccavi tibi,* sic Paulus misericordiam consecutus est; quia illâ maximè indigni ob suam infirmitatem, & Deus eum non omnino rejiciendum censuit; quia non ex malitiâ, sed ignorantia peccavit.

Inst. 9. Atqui homo potest consequi misericordiam, ac primam gratiam propter opera saltem moraliter tantum bona tanquam motivum; ergo &c. *Prob. subs.* Si homo non posset consequi primam gratiam propter opera tantum moraliter bona tanquam motivum, Deus prius præveniret nostras voluntates, non nostrum, sed ipsius esset incipere, præparare animam ac disponere vias nostras: atqui ex S. Chrysostomo hom. 12. in Ep. ad Hebr. *Non prævenit nostras voluntates, ne perdat liberum arbitrium.* Ex S. Hieronymo dial. 3. cont. Pelag. *Nostrum est incipere, illius perficere.* Prov. 16. 1. *Hominis est præparare animam.* Et v. 9. *Cor hominis disponit viam suam;* ergo homo potest consequi misericordiam, ac primam gratiam propter opera moraliter bona tanquam motivum.

Resp. dist. min. Deus non prævenit nostras voluntates cum læsione libertatis, nostrum est incipere, præparare animam, & disponere viam nostram cum gratia excitante, *con. min.* non prævenit nostras voluntates modo proportionato libertati, nostrum est incipere,

præparare animam, ac disponere sine gratia, *neg. min. & conf.* Unde S. Scriptura, ac SS. Patres ita asserunt nostrum conatum, & operationem, ut non excludant Dei auxilium. Et S. Chrysoſtomus hom. 13. in Joan. expreſſè ait: *Gratia Dei ſemper in beneficiis priores ſibi partes vindicat.*

Inſt. 10. Atqui noſtrùm eſt incipere, & præparare animam ſine, & ante omnem gratiam; ergo &c. *Prob. ſubſ.* Noſtrùm eſt incipere ſine gratia, ſi Deus neceſſariò, & certò diſtribuat gratiam ſecundùm merita noſtra naturalia: atqui Deus ita diſtribuit ſuam gratiam; ergo noſtrùm eſt incipere ſine gratia. *Prob. min.* Deus neceſſariò, & certò facit, quod recta ratio dictat: atqui recta ratio dictat, gratiam potiùs illis diſtribuendam, qui plura opera moraliter bona, ac minora, & pauciora peccata faciunt; aliàs eſſet acceptor perſonarum, ſi beneficia non ſecundùm merita diſtribueret; ergo Deus neceſſariò, & certò diſtribuit gratiam ſecundùm merita noſtra naturalia.

Reſp. diſt. min. Atqui recta ratio dictat, gratiam potiùs illis diſtribuendam, qui plura opera moraliter bona, & pauciora peccata faciunt, ſi illa bona opera aliquam condignitatem proportionem, vel rationem meriti haberent, *con. min.* ſi nullam habeant, *neg. min. & conf.* Illa enim bona opera naturalia, vel evitatio peccati viribus naturæ ſunt ordinis inferioris, & Deo debita, & cùm ſint purè naturalia, nullam habent proportionem ad ſupernaturalia promerenda, nec ulla propterea fit acceptio perſonarum. Nam S. Auguſtinus Lib. 2. contra duas Epift. Pelagian. c. 7. ait: *Nec eſt ulla acceptio perſonarum in duobus debitoribus æqualiter reis, ſi alteri dimittitur, alteri exigitur, quod pariter ab utroque debetur.* Et Chriſtus Matth. 20. 15. *An non licet mihi facere, quod volo facere? an oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?* Unde licet non diſtribuat gratiam ſecundùm merita naturæ, nulli facit injuriam; quia, cùm omnes ſint filii iræ ante gratiam, nulli ob opera merè naturalia debetur gratia.

CONCLUSIO III.

Non poteſt homo lapſus ſine gratia interna actuali 1.º à peccato reſurgere, 2.º nec juſtificatus in juſtitia accepta diu, &

usque in finem perseverare, 3.^o nec omnes tentationes, præcipuè graviores, superare, 4.^o nec Deum, etiam ut auctorem naturæ, amore efficaci, & appetitivè perfecto super omnia amare, 5.^o nec potentiam morali omnia legis naturalis præcepta, etiam quoad substantiam, tantum observare sine gratia supernaturali, saltem secundum quid; multò minus supernaturalia, vel naturalia quoad modum, nempe meritorie, etiam potentiam physicam sine gratia simpliciter supernaturali, 6.^o nec omnia peccata mortalia longo tempore evitare sine gratia habituali, 7.^o nec omnia venialia toto vitæ suæ tempore, cum gratiis ordinariis sine speciali Dei privilegio (quale B. Virgini MARIÆ concessum fuisse, creditur) evitare.

Prob. 1. pars, quòd homo lapsus non possit sine gratia actuali interna à peccato resurgere. Si homo lapsus posset sine gratia actuali interna à peccato resurgere, non esset justificatus gratis per gratiam ipsius, nempe Christi: atqui Apostolus ait Rom. 3. 23. *Sumus justificati gratis per gratiam ipsius*; ergo homo lapsus non potest sine gratia actuali interna à peccato resurgere.

Confirmatur ex Concilio Araus. & Trid. Si homo lapsus posset sine gratia actuali interna à peccato resurgere, posset sine gratia reparare quod perdidit, & sine Spiritus Sancti inspiratione pœnitere, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur: atqui ex Concilio Araus. sine gratia non potest reparare, quod perdidit; & ex Concilio Trid. non potest sine Spiritus S. inspiratione pœnitere; dicit enim Concilium Araus. 2. Can. 19. *Natura humana . . . cum sine gratia Dei salutem non possit custodire, quam accepit, quomodo sine gratia reparare, quod perdidit?* Et Concilium Trid. Sess. 6. Can. 3. dicit: *Si quis dixerit, hominem sine Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus auxilio, credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit*; ergo homo lapsus non potest sine gratia actuali interna à peccato resurgere.

Prob. 2. pars, quòd nec justificatus in justitia accepta diu, & usque in finem sine gratia actuali interna perseverare possit. Homo justificatus non potest in justitia diu, & usque in finem sine gratia actuali interna perseverare, si Concilium Trid. ita declaravit, & ita perseverare magnum

Dei donum sit, & etiam justus, ut bene vivere possit, adjuvari debeat : atqui ita est. Siquidem Concilium Trid. Sess. 6. Can. 22. expressè declaravit dicens : *Sz quis dixerit justificatum, vel sine speciali Dei auxilio in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse, anathema sit.* Et Can. 16. appellavit ita perseverare magnum perseverantiæ donum. Et S. Augustinus Lib. de corrept. & grat. c. 6. *Perseverantiam in bono proficientem usque in finem magnum esse Dei munus, asserit, & justum non posse benè vivere, nisi adjuvetur, Lib. de nat. & grat. c. 26. n. 29. dicit : Sicut oculus corporis etiam plenissimè sanus, nisi candore lucis adjutus non potest cernere, sic homo etiam perfectissimè justificatus, nisi æternâ justitiæ luce divinitus adjuvetur, rectè non potest vivere ; ergo homo justificatus non potest in justitia accepta diu, & usque in finem sine gratia actuali interna perseverare.*

Prob. 3. pars, quòd homo nec omnes tentationes, præcipuè graviores, possit sine gratia actuali interna superare. Non potest homo sine gratia actuali interna omnes superare tentationes, si non possit esse continens, nisi Deus det, nec vincere, nec pugnare possit, nisi Deus adjuvet : atqui Sap. 8. 21. dicit Sapiens : Scivi, quoniam aliter non possum esse continens, nisi Deus det. Et S. Augustinus serm. 156. aliàs 13. de verb. Apost. c. 9. ait : Si enim non ipse nos adjuvat, non dico vincere, sed nec pugnare poterimus ; Et Coelestinus Papa in Epist. ad Gallos c. 3. Nemo etiam per baptismatis gratiam renovatus idoneus est ad superandas diaboli insidias, & ad vincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adiutorium Dei, perseverantiam bonæ conversationis accipiat ; ergo non possumus sine gratia actuali interna omnes superare tentationes, præcipuè graviores.

Prob. 4. pars, quòd homo nec Deum, ut auctorem naturæ, sine gratia actuali interna amare possit amore efficaci, & appetitivè perfecto. Si homo sine gratia actuali interna posset amare Deum amore efficaci, & appetitivè perfecto, posset sine Spiritûs Sancti inspiratione Deum diligere, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur ; quia per talem amorem justificaretur, non enim remaneret Dei inimicus, & posset Deus amari sine auxilio gratiæ naturam sanantis : atqui ex Concilio Trid.

Sess. 6. Can. 3. suprâ citato in Confirm. 1. part. homo non potest sine Spiritûs Sancti inspiratione, atque ejus auxilio Deum diligere, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, & ex S. Thoma hic q. 109. a. 3. *Ad diligendum Deum naturaliter super omnia indiget auxilio gratiæ naturam sanantis; ergo homo sine gratia actuali interna non potest Deum amare amore efficaci & appetitiivè perfectò. Hinc ait S. Augustinus Epist. 107. Liberum arbitrium ad diligendum Deum (nempe amore perfectò, & sine gratia) primi parentis peccati granditate perdimus.*

Prob. 5. pars, quòd homo possit servare omnia præcepta naturalia quoad substantiam, multò minùs supernaturalia. Homo lapsus non potest potentia morali omnia præcepta naturalia servare quoad substantiam sine gratia actuali interna, si non possit esse continens, nisi Deus det, nec alias vincere tentationes sine tali gratia, multò minùs supernaturalia, vel naturalia quoad modum, nempe meritoriè, etiam potentia physica, si non possit viribus naturæ elicere actus supernaturales præceptos, ac meritorios: atqui non potest esse continens, nisi Deus det, nec vincere omnes tentationes sine tali gratia, ut probatum est in prob. tertiæ partis; nec potest viribus naturæ elicere actus supernaturales præceptos, nec meritorios vitæ æternæ; quia superant naturam; alias non essent supernaturales; ergo homo lapsus non potest potentia morali omnia præcepta naturalia servare quoad substantiam sine gratia actuali interna, multò minùs supernaturalia, vel naturalia quoad modum, ac meritoriè etiam potentia physica.

Confirmatur ex SS. Patribus. S. Augustinus Lib. de spir. & lit. c. 10. dicit: Credat nullo modo posse suæ infirmitati, adimplenda ea, quæ lex jubet, nisi divinâ gratiâ subveniri. Et Lib. de pecc. merit. & remiss. c. 5. n. 5. Justitiæ præceptum omni ex parte implere non possumus, nisi adjuvemur à Deo. Et S. Thomas 1. 2. q. 109. a. 4. In statu naturæ corruptæ non potest homo implere mandata divina sine gratia sanante. Et Concilium Carthag. III. Can. 5. anathematizat asserentes, nos sine gratia posse divina mandata implere; ergo homo lapsus non potest omnia servare præcepta naturalia, nec supernaturalia.

Q. I. DE ESSENT. ET NEC. GRAT. A. V. 89

Prob. 6. pars, quòd homo lapsus non possit potentiâ morali vitare omnia mortalia longo tempore sine gratia habituali. Homo lapsus non potest longo tempore potentiâ morali omnia evitare mortalia sine gratia habituali, si peccatum, quod non citius deletur, sit causa peccati, & gratiâ habituali sanari debeat, ut omnino à peccato abstineat, & si sine illa divina mandata adimpleri non possit longo tempore: atqui, ut ait S. Gregorius hom. 4. in Ezech. Peccatum, quod per pœnitentiam citius non deletur, est causa peccati simul & pœna peccati; Et S. Thomas 1. 2. q. 109. a. 8. ait: *In statu naturæ corruptæ indiget homo gratiâ habituali sanante naturam ad hoc, quod omninò à peccato abstineat.* Et juxta Concilium Carthag. suprâ citatum sine gratia justificationis mandata divina servare non possumus, saltem longo tempore; ergo homo lapsus non potest vitare omnia mortalia potentiâ morali longo tempore sine gratia habituali.

Prob. 7. pars, quòd homo lapsus cum gratiis ordinariis sine speciali Dei privilegio non possit totâ vitâ omnia vitare venialia. Non potest homo cum gratiis ordinariis sine speciali Dei privilegio omnia peccata venialia totâ vitâ evitare, si Concilia, SS. Patres ita declarant, & ipsa ratio ita dictat: atqui Concilium Trid. Sess. 6. Can. 2. ita expressè declarat, dicens: *Si quis hominem semel justificatum dixerit . . . posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.* Et S. Thomas hîc a. 8. ait: *Non potest abstinere homo ab omni peccato veniali propter corruptionem inferioris appetitûs sensualitatis &c. & alii SS. Patres asserunt cum Scriptura Paral. 26. 36. non est homo, qui non peccet, & ratio, & experientia etiam dictat, quòd licet nullum sit peccatum singulare, cui vitando justus non pares habeat vires; spectatâ tamen multitudine, varietate, frequentia, & vi tentationum, occasionum, infirmitate naturæ corruptæ, sine speciali privilegio aliquando, saltem leviter, succumbi necesse est; ergo non potest homo cum gratiis ordinariis sine speciali Dei privilegio omnia peccata, etiam venialia, totâ vitâ evitare.*

Solvuntur objectiones contra primam partem, de conversione peccatoris sine gratia.

Obj. Si homo lapsus prius debeat converti ad Dominum antequam recipiat gratiam, potest à peccato resurgere sine gratia actuali: atqui homo lapsus prius debet converti ad Dominum juxta ipsius verba apud Ezech. 1. 3. *Convertimini ad me, & convertar ad vos;* ergo potest resurgere à peccato sine gratia actuali.

Resp. dist. maj. Si homo lapsus prius debeat converti ad Dominum, antequam recipiat gratiam tam actualem prævenientem, quam habitualem potest resurgere à peccato sine gratia actuali, *con. maj.* antequam recipiat habitualem, *neg. maj. dist. min.* atqui debet prius converti ad Dominum cum gratia præveniente antequam recipiat habitualem, & Deus se ad ipsum convertat suâ amicitia, *con. min.* sine gratia præveniente; *neg. min. & conf.* Unde homo debet prius cooperari gratiæ prævenienti eliciendo veram contritionem suorum peccatorum, & tunc Deus suâ gratiâ habituali se ad ipsum convertet, & pristinâ stolâ suæ amicitiae induet. Dicit enim Concilium Trid. Sess. 6. c. 5. *Cum dicitur convertimini ad me, & ego convertar ad vos, libertatis nostræ admonemur: cum respondemus converte nos Domine ad te, & convertemur, Dei gratiâ nos præveniri, profitemur.*

Inst. I. Atqui homo lapsus debet se prius convertere ad Dominum, antequam recipiat gratiam actualem, & prævenientem; ergo &c. *Prob. subsf.* Gratia, quâ homo lapsus illuminatur, est gratia actualis, ac præveniens: atqui se debet convertere ad Dominum, antequam illuminetur juxta verba Apostoli Ephes. 5. 14. *Excurge à mortuis, & illuminabit te Christus;* ergo debet prius se convertere ad Dominum, antequam recipiat gratiam actualem.

Resp. dist. maj. Gratia prima, quâ homo illuminatur, est gratia actualis præveniens, *con. maj.* gratia secunda & cooperans, est gratia actualis præveniens, *neg. maj. dist. min.* atqui juxta Apostolum debet prius se convertere ad Dominum, antequam illuminetur gratiâ subsequente, & cooperante, seu habituali, *con. min.* antequam illuminetur gratiâ præveniente, *neg. min. & conf.* S. Thomas enim ait: *Non potest homo per seipsum reparari, sed indiget, ut denuò ei lumen gratiæ infundatur.*

Inst. 2. Atqui homo lapsus debet se convertere ad Dominum, antequam illuminetur gratiâ præveniente; ergo &c. *Prob. subs.* Homo lapsus debet se convertere ad Dominum antequam illuminetur gratia præveniente, si debeat se convertere, dum nullum lumen gratiæ habet: atqui ex eodem Apostolo debet surgere, dum nullum lumen gratiæ habet; ergo homo lapsus debet se convertere, antequam illuminetur gratiâ præveniente. *Prob. min.* Apostolus in eodem textu citato dicit: *Propter quod dicit: surge, qui dormis:* atqui ille qui dormit, nullum lumen habet; ergo homo lapsus debet surgere, dum nullum gratiæ lumen habet.

Resp. dist. min. Atqui ille, qui dormit, nullum habet lumen habituale, *con. min.* nullum habet actuale, *subd.* dum actu dormit, *con. min.* nullum habet, quo à somno excitatur, *neg. min. & conf.* Unde Apostolus non excludit gratiam prævenientem, sed potius illam supponit, dicens in versu præcedente, nempe v. 8. ad eos, quos à somno exurgere hortatur: *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino;* ergo quos à somno surgere exhortatur, jam supponit habere lumen per gratiam Christi.

Solvuntur objectiones contra secundam partem, de perseverantia in justitia accepta sine gratia.

Obj. Quod peccato Adæ fuit amissum, hoc abundanter gratiâ Christi fuit restitutum, & natura per peccatum corrupta fuit gratiâ Christi sanata, ut patet ex Apostolo Rom. 5. atqui Adam sanus potuit perseverare absque alio speciali auxilio, ut docet S. Augustinus Lib. de corrept. & grat. c. 11. & 12; ergo & nunc possumus perseverare sine speciali gratia.

Resp. dist. maj. Quod peccato Adæ fuit amissum, hoc abundanter gratiâ Christi fuit restitutum quoad aliqua, & natura per peccatum corrupta fuit sanata per ablationem culpæ, *con. maj.* quoad omnia auferendo etiam infirmitatem, ita non indigeat gratiâ actuali corroborari, *neg. maj. dist. min.* atqui Adamus potuit perseverare absque alio auxilio speciali sufficienter, & in actu primo, *con. min.* potuit efficaciter, & in actu secundo sine alio auxilio, *neg. min. & conf. vel dist. conf.* ergo &

nunc possumus perseverare in gratia accepta sine speciali auxilio distincto à gratia habituali, *neg. conf. sine speciali auxilio distincto à gratia actuali sufficiente, subd.* possumus perseverare sufficienter, & in actu primo, *con. conf.* possumus perseverare efficaciter, *neg. conf.* Unde juxta S. Augustinum Adamus habuit auxilium, quo potuisset perseverare in justitia accepta, sed non habuit, quo perseveraret; ergo auxilium, quo perseverasset, seu efficax est in mente S. Augustini aliud, quàm gratia habitualis, & sufficiens, quas habuit, ac proinde ad actu perseverandum requiritur auxilium distinctum à gratia habituali, & à gratia sufficiente, quod Adamo fuit denegatum, & multis in statu naturæ lapsæ concessum, quod Concilium Trid. & S. Augustinus appellant magnum perseverantiæ donum, nempe efficax, quod dat actu, & infallibiliter perseverare. Donum autem perseverantiæ sufficiens in moderno statu non est sola gratiâ habitualis; quia non integrè sonat naturam, sed solùm à peccato, & in ordine ad meritum, concupiscentiam, & infirmitatem voluntatis relinquens, quæ gratia actuali sanari, & adjuvari debet, ut possit perseverare, quo auxilio præveniente Adamus sanus non indigebat, benè autem cooperante, & efficaci, saltem ad actu perseverandum, ut supra dictum est. Et sic Rom. 5. 20. *Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia*; quia homo lapsus saltem prædestinatus accepit gratiam efficacem perseverantiæ; homo verò innocens tantùm sufficientem.

Inst. 1. Atqui etiam homo lapsus potest in justitia accepta perseverare sine speciali auxilio distincto à gratia habituali; ergo &c. *Prob. subs.* Ad perseverandum in justitia accepta, etiam actu, & efficaciter sufficit actu non amplius peccare: atqui homo justus potest actu non peccare; quia est liber, aliàs non peccaret; ergo etiam potest in justitia accepta perseverare sine speciali auxilio distincto à gratia habituali.

Resp. dist. min. Atqui homo justus potest actu non peccare gratiâ actuali corroboratus, *con. min.* sine gratia actuali, *subd.* per breve tempus nullâ occurrente gravi tentatione, vel præcepto supernaturali, *con. min.* per longum tempus, vel occurrente gravi tentatione,

vel præcepto supernaturali, *neg. min. & conf.* Unde homo quidem liber est ad non peccandum cum gratia, quam Deus urgente præcepto non denegat.

Inst. 2. Atqui homo justus potest non peccare etiam sine gratia actuali; ergo &c. *Prob. subs.* Gratia habitualis sufficit ad non peccandum; ergo potest non peccare sine gratia actuali. *Prob. ant.* Gratia habitualis sufficit ad non peccandum, si valeat non solum ad remissionem peccatorum, sed etiam in adiutorium, ne iterum committantur: atqui gratia habitualis valet non ad solam remissionem, sed etiam ne peccata commissa iterum committantur; Concilium enim Millevitanum Can. 8. expressè definit: *Si quis dixerit, gratiam, per quam justificamur per Christum, valere ad solam remissionem peccatorum, quæ commissa sunt, & non in adiutorium, ne iterum committantur, anathema sit*; ergo gratia habitualis sufficit ad non peccandum.

Resp. dist. min. Atqui gratia habitualis valet non ad solam remissionem peccatorum, sed etiam ne commissa iterum committantur cum gratia actuali, *con. min. sine gratia actuali, neg. min. & conf.* Ut enim homo justus in sua justitia perseveret, debet servare omnia præcepta non solum naturalia, sed etiam supernaturalia, quæ varios actus supernaturales præcipiunt, quæ sine gratia actuali perfici nequeunt, & superare omnes tentationes ex parte carnis infirmæ & corruptæ, dæmonis & mundi, contra quas corroborari debet gratiâ actuali. Unde ait S. Thomas 1. 2. q. 109. ad 1. *Sicut enim donum habitualis gratiæ non ad hoc datur nobis, ut per ipsum non indigeamus alterius divini auxilii; indiget enim quilibet creatura, ut à Deo conservetur in bono.* Ita etiam actualis non dicitur ita necessaria, docet idem Sanctus, ut excludatur habitualis ad evitandum omne peccatum.

Inst. 3. Atqui gratia habitualis sola sine gratia actuali valet ad non peccandum usque ad mortem; ergo &c. *Prob. subs.* Potest homo justus acceptâ gratiâ sanctificante subito mori nullâ occurrente gravi tentatione, & obligatione præcepti supernaturalis: atqui in tali suppositione gratia habitualis sola sine actuali valet ad non peccandum usque ad mortem; ergo gratia habitualis sola sine actuali valet ad non peccandum usque ad mortem.

Resp. dist. min. Atqui in tali gratia habitualis sola sine actuali valet ad non peccandum usque ad mortem, si mors subito sequatur gratiam acceptam, *con. min.* valet ad non peccandum per longum tempus, & pulsante gravi tentatione, vel obligatione præcepti supernaturalis, *neg. min.* & sub datâ distinctione *neg. conf.* Unde potest quidem aliquis sine gratia actuali perseverare in iustitia accepta usque ad mortem perseverantiâ passivâ, de quâ hic non agitur, & quæ tamen speciale Dei donum est; quia eripi ex hac vita in statu gratiæ singulare Dei beneficium est, prout docet S. Augustinus Lib. de dono pers. c. 17. n. 14. dicens: *Videte à veritate quàm sit alienum negare Dei donum esse perseverantiâ usque ad finem hujus vitæ: cum vitæ huic, quando voluerit ipse, dat finem: quem si dat ante imminentem lapsum facit hominem perseverare* (nempe perseverantiâ passivâ) *usque in finem. Sed mirabitur* (pergit idem Sanctus) *& fidelibus evidentior largitas bonitatis Dei est, quod etiam parvulis, quibus obedientia non est illius ætatis ut detur, datur hæc gratia.* Ad perseverantiâ verò activam per longum tempus præter gratiam habitualem requiritur etiam actualis ob rationes jam dictas.

Inst. 4. Ergo saltem non requiritur specialis gratia ad perseverandum in iustitia accepta usque ad mortem: falsum consequens ex Concilio Trid. Sess. 6. Can. 22. ubi dicit: *Si quis dixerit justificatum, vel sine speciali auxilio in accepta iustitia perseverare posse, vel cum eo non posse, anathema sit; ergo &c. Prob. maj.* Illa gratia non est specialis, quæ omnibus iustis datur: atqui omnibus iustis datur gratia actualis, quibus omnia Dei mandata servare, & in iustitia accepta perseverare possunt; ergo non requiritur gratia specialis ad perseverandum in iustitia accepta usque ad mortem.

Resp. dist. maj. Illa gratia non est specialis, id est, distincta à gratia habituali, quæ omnibus iustis datur, *neg. maj.* non est specialis, id est, singulare donum, *con. maj. dist. min.* atqui omnibus iustis datur gratia sufficiens, quâ omnia Dei mandata servare, & in iustitia accepta perseverare possunt, *con. min.* efficax finaliter, *neg. min. dist. conf.* ergo requiritur specialis gratia distincta à gratia habituali ad perseverandum in iustitia accepta usque in finem, *neg. conf.* non requiritur specialis gra-

Q. I. DE ESSENT. ET NEC. GRAT. A. V. 95

ria, id est, singulare donum, *subd.* non requiritur singulare donum ad posse perseverare, *con. conf.* ad actu, & infallibiliter perseverare, *neg. conf.* Unde quando S. Augustinus, ac Concilium Tridentinum gratiam perseverantiæ magnum, ac speciale appellant donum, non de sufficienti, sed efficaci loquuntur, quod proprie donum perseverantiæ dicitur, ac speciale donum, 1.^o quia est efficax; omnis autem gratia efficax est speciale donum, quod non omnibus datur. 2.^o Quia est efficax finaliter jungens justum æternaliter cum Deo, quod summum est hominis bonum; ideoque merito magnum usque in finem perseverantiæ donum à Concilio Trid. appellatur.

Inst. 5. Atqui non requiritur specialis gratia sumpta pro singulare dono ad actu perseverandum usque in finem; ergo &c. *Prob. subs.* Ad actu perseverandum usque in finem sufficit, ut homo adimpleat ultimum præceptum confessionis, ac communionis cum actibus fidei, spei, & charitatis: atqui hoc præceptum cum dictis actibus potest implere actu cum gratia ordinaria, quia alio tempore per vitam ista implevit; ergo non requiritur specialis gratia sumpta pro singulari dono ad actu perseverandum usque in finem.

Resp. dist. min. Atqui hoc præceptum cum dictis actibus potest implere actu cum gratia ordinaria efficaci, quæ singulare est donum, quo alio tempore per vitam ista implevit, *con. min.* potest implere cum gratia ordinaria tantum sufficiente, & actu cum ea implet, *neg. min. & conf.* Unde quamvis cum omni gratia ordinaria sufficiente posset ultimum præceptum communionis adimplere cum actibus aliis præceptis, non tamen cum illa actu fit, sed gratia efficaci; & quamvis omnis gratia efficax, quæ ad opus aliquod salutare datur, singulare sit donum, singularis tamen est, si detur circa ultimum; quia ab illo dependet beata æternitas. Deinde in articulo mortis juxta SS. Patres graviores instant tentationes, & ob infirmitatem morbi difficilius actus salutares eliciuntur, ac proinde uberior etiam gratia requiritur.

Inst. 6. Atqui non requiritur specialis gratia, ac singulare donum etiam circa ultimum opus salutare, ac

finalem perseverantiam; ergo &c. *Prob. subs.* Conc. Trid. Sess. 6. Can. 11. ait: *Deus namque suâ gratiâ semel justificatos non deserit, nisi ab iis prius deseratur.* Idem ait S. Augustinus. Atqui si ad finalem, & actualem perseverantiam requireretur speciale, ac singulare donum, quod non omnibus justis datur, eos prius derelinqueret, non dando illis istud donum, dum justi sunt; ergo non requiritur specialis gratia, ac singulare donum etiam circa ultimum opus salutare, ac finalem perseverantiam.

Resp. dist. min. Atqui si ad finalem, & actualem perseverantiam requireretur speciale, ac singulare donum, quod non omnibus justis datur, eos prius derelinqueret, si non haberent sufficiens, & efficax donum finale non possent promereri, *con. min.* si habeant sufficiens, quo possent perseverare, si vellent, & possint illud efficax promereri, *neg. min. & conf.* Unde qui non obtinent illud magnum perseverantiæ donum, sibi adscribant; quia auxiliis sufficientibus cooperari neglexerunt. *Hoc enim donum, ait S. Augustinus Lib. de dono perf. c. 6. suppliciter emereri potest, nempe cooperando gratiis sufficientibus, saltem de congruo.*

Solvuntur objectiones contra tertiam partem, de tentatione superanda sine gratia.

Obj. Unusquisque tentatur à concupiscentiâ suâ, ait Jac. 1: atqui quilibet potest propriâ virtute concupiscentiam superare juxta illa verba Gen. 4. *Sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius;* ergo potest homo lapsus omnes superare tentationes. *Prob. min.* Si appetitus nobis est subjectus, & ei dominari possumus, possumus superare concupiscentiam propriis viribus: atqui Gen. 4. appetitus nobis est subjectus, & ei dominare possumus juxta textum citatum; ergo quilibet potest propriâ virtute superare concupiscentiam.

Resp. dist. maj. Si appetitus nobis sit subjectus, & illius dominari possumus sine gratia, possumus superare concupiscentiam propriis viribus, *con. maj.* si possumus eam superare cum gratia, *neg. maj. dist. min.* atqui appetitus nobis est subjectus, & illius dominari possumus cum gratia, *con. min.* sine gratia; *neg. min. & conf.* Ait enim Apostolus Rom. 7. 23. *Video aliam legem in membris meis*

Q. I. DE ESSENT. ET NEC. GRAT. A. V. 97

meis repugnantem legi mentis meae, & captivantem me sub lege peccati, à qua liberari sperat gratiâ Dei per JESUM CHRISTUM. Deinde homo non à solâ concupiscentiâ, sed etiam à dæmone, & mundo tentatur.

Inst. 1. Atqui possumus dominari concupiscentiæ, aliasque vincere tentationes sine gratia; ergo &c. *Prob. subs.* S. Hieronymus Lib. 2. contra Jovinianum ait: *Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur: atqui si non possemus sine gratia dominari concupiscentiæ, nec alias vincere tentationes, Deus nos non condidisset liberi arbitrii, & ad vitia necessitate traheremur, & non peccaremus; quia nullus peccat in eo, quod vitare non potest,* ait S. Aug. Lib. de lib. arb. cap. 8. ergo possumus dominari concupiscentiæ aliasque vincere tentationes sine gratia.

Resp. dist. min. Atqui si non possemus sine gratia dominari concupiscentiæ, nec alias vincere tentationes, Deus nos non condidisset liberi arbitrii, & ad vitia necessitate traheremur, si non daret gratiam ad vincendas tentationes, *con. min.* si det gratiam, *neg. min.* & *cons.* *Fidelis autem est Deus,* ait Apostolus Cor. II. *Qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, & propterea non excusatur à peccato; quia, ut ait S. Thomas q. 109. a. 8. ad 1. Ex ejus defectu est, quod homo se ad gratiam habendam non præparet (cooperando gratiis sufficientibus) propter hoc à peccato non excusatur, quod sine gratia peccatum vitare non potest.*

Inst. 2. Atqui etiam, seclusâ gratiâ, homo potest vincere tentationes omnes; ergo &c. *Prob. subs.* Seclusâ omni gratiâ, remanet in homine libertas, ubi non subvertitur judicium rationis: atqui si non posset omnes vincere tentationes, non remaneret in homine libertas; ergo omnes potest vincere tentationes etiam seclusâ gratiâ.

Resp. dist. maj. Seclusâ omni gratiâ remanet in homine libertas circa supernaturalia, *neg. maj.* circa naturalia, *subd.* remanet libertas physica, *con. maj.* moralis iterum, *subd.* ubi non urgent graves tentationes, *con. maj.* ubi urgent graves tentationes, *neg. maj.* eodem modo *distin. min. neg. cons.* Unde licet in homine conservata fuerit libertas, ita tamen debilitata est, ut non omnes possit vincere tentationes etiam contra legem natura-

lem potentiâ morali , nisi divino roboretur auxilio ; quod nulli denegat.

Inst. 3. Atqui remanet in homine libertas ad superandas omnes , etiam graves tentationes sine gratia ; ergo. *Prob. subsf.* Si homo sine gratia possit omnia peccata mortalia , licet difficilia evitare , potest etiam sine gratia omnes , etiam graves tentationes superare : atqui S. Thomas docet in 2. dist. 28. q. 1. a. 2. hominem sine gratia posse omnia peccata mortalia , licet difficilia vitare ; ergo remanet in homine libertas ad superandas omnes , etiam graves tentationes sine gratia.

Resp. 1. S. Thomas hanc sententiam à se juniore scriptam retraxit in summa 1. 2. q. 63. a. 2. ad 2. ubi ait : *Sunt quædam peccata mortalia ; quæ homo sine gratia nullo modo potest vitare.*

Inst. 4. Atqui homo lapsus potest etiam mortalia difficiliora sine gratia evitare ; ergo &c. *Prob. subsf.* Nulla sunt difficiliora , quàm ea , ad quæ metu mortis impellimur : atqui etiam ista potest superare naturæ viribus , & sine gratia , ut mori pro patria , urgente præcepto exponendi vitam pro bono communi , etiam sine honesto ; quia ratio statûs , ac officii ita exigit ; ergo homo justus potest etiam mortalia difficiliora sine gratia evitare.

Resp. dist. min. Atqui ea , ad quæ metu mortis impellimur , possumus evitare sine gratia , ex vana gloria alteri tentationi succumbendo , *con. min.* ex motivo honestatis , vel virtutis , *subd.* aliqua , *con. min.* omnia , *neg. min. & conf.* Non enim negamus , aliquas tentationes , etiam graves , posse vinci succumbendo alteri , vel etiam unam , aut alteram sine honesto , non verò omnes.

Solvuntur objectiones contra quartam partem , de amore Dei auctoris naturæ sine gratia.

Obj. Deus est auctor naturæ , prout est principium & finis naturalis boni v. g. creationis mundi : atqui ex Thoma 1. 2. q. 109. a. 3. ad 1. *Natura diligit Deum super omnia , prout est principium , & finis naturalis boni ;* ergo homo potest diligere Deum , ut auctorem naturæ , amore efficaci , & appetitativè perfectò sine gratia interna.

Q. I. DE ESSENT. ET NEC. GRAT. A. V. 99

Resp. dist. min. Natura sana diligit Deum super omnia, *con. min.* natura corrupta, ac infirmata per peccatum, *neg. min. & conf.* In eodem enim loco se ita explicat S. Thomas dicens: *Homo in statu naturæ integræ non indigebat dono gratiæ superadditæ naturalibus bonis ad diligendum Deum naturaliter super omnia, licet indigeret auxilio gratiæ ad hoc eum moventis; sed in statu naturæ corruptæ indiget homo etiam ad hoc auxilio gratiæ naturam sanantis.*

Inst. 1. Atqui etiam natura corrupta potest naturaliter diligere Deum auctorem naturæ; ergo &c. *Prob. subs.* Natura corrupta potest naturaliter Deum cognoscere super omnia amabilem, & ut summum bonum; quia non est objectum supernaturale ut auctor naturæ super omnia diligendus; ratio enim hoc dicitur: atqui illud, quod cognoscit naturaliter ut summum bonum, potest etiam super omnia amare; quia S. Damascenus Lib. de duabus voluntatibus Christi ait: *Homo quæ rationis particeps est, rationem ducem in appetendo sequitur.* Ergo etiam natura corrupta potest naturaliter diligere Deum auctorem naturæ.

Resp. dist. min. Atqui potest id, quod naturaliter cognoscit ut summum bonum super omnia amare amore inefficaci, ac imperfecto, *con. min.* amore efficaci, & perfecto, *neg. min. & conf.* Amor Dei efficax, ac perfectus includit observationem omnium mandatorum; non verò amor creaturæ. Deinde S. Thomas ait ad 3. *Natura humana magis est corrupta per peccatum, quantum ad appetitum boni, quàm quantum ad cognitionem mali;* unde apparet disparitas ad utrumque.

Inst. 2. Atqui potest homo lapsus Deum auctorem naturæ amare amore efficaci, & perfecto naturaliter; ergo &c. *Prob. subs.* Amor Dei efficax, & perfectus super omnia lege naturali præcipitur, etiam naturæ corruptæ; aliàs natura corrupta non obligaretur ad talem amorem lege naturali: atqui lex naturalis nihil præcipit supra naturam; aliàs non esset naturalis; ergo potest homo lapsus Deum auctorem naturæ amare amore efficaci, & perfecto naturaliter.

Resp. dist. maj. Amor Dei efficax, & perfectus lege naturali præcipitur, etiam naturæ corruptæ, supposita

gratiâ : *con. maj.* non suppositâ gratiâ, *neg. maj.* eâdem distinctione applicatâ minori, *neg. conf.* Ait enim S. Leo ferm. 16. de pass. Dom. *Iuste instat præcepto, qui semper præcurrit auxilio.* Unde licet in statu naturæ integræ præceptum amoris Dei fuerit naturale, est tamen in hoc statu supernaturale ratione gratiæ, quæ ad illius observationem pro longo tempore, & urgente gravitate requiritur; quia integra illius observatio est supra naturam corruptam, saltem quoad potentiam moralem.

Inst. 3. Ex his sequeretur, hominem non esse liberum circa amorem Dei: falsum consequens &c. *Prob. subs.* Ex eo quod cæcus possit videre lumen cum auxilio supernaturali non potest dici liber ad videndum: atqui homo non posset amare Deum amore perfecto sine auxilio supernaturali; ergo homo non esset liber circa amorem Dei.

Resp. dist. maj. Ex eo, quod cæcus possit videre lumen cum auxilio supernaturali, non potest dici liber ad videndum lumen naturaliter, *con. maj.* supernaturaliter, *neg. maj. concessâ min. neg. conf.* Disparitas est; quia homini lapsò datur ordinariè tale auxilium, quo ipsius infirmitas sanatur; non verò cæco, ut lumen videat, nisi extraordinariè.

Solvuntur objectiones contra quartam partem, de observantia præceptorum sine gratia.

Obj. Rom. 2. Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt: atqui quod naturaliter fit, sine gratia fit; ergo homo lapsus potest observare omnia legis naturalis præcepta sine gratia supernaturali.

Resp. dist. maj. Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt in quibusdam, *con. maj.* in omnibus, & ubi graves premunt tentationes, *neg. maj. concessâ min. neg. conf.* Apostolus vult tantum dicere à gentibus generaliter sumptis, quæ legis sunt, servari, quædam ab uno, alia ab alio, non verò omnia ab uno, ita ut in nullo à lege quandoque deficiat.

Inst. 1. Atqui gentes in omnibus naturaliter, quæ legis sunt, faciunt; ergo &c. *Prob. subs.* S. Chryso-

Q. I. DE ESSENT. ET NEC. GRAT. A. V. IOI

mus hom. 5. in Ep. ad Rom. de gentibus dicit: *Admiracione digni sunt, quod nec lege illis opus fuit, & omnia, quæ legis erant, præstiterunt; ergo gentes in omnibus naturaliter, quæ legis sunt, faciunt.*

Resp. dist. ant. Omnia, quæ legis erant, præstiterunt faciliora, vel gentes collectivè sumptæ singula à diversis, *con. ant.* difficiliora, vel distributivè sumptæ, ita ut unus omnia, & longo tempore servaverit, *neg. ant. & conf.* Unde gentes admiratione dignæ sunt, quod tota collectio gentilium, cum legem non habuerit, tamen diversa à diversis cognita, & servata fuerint, non verò omnia à singulis.

Inst. 2. Atqui gentes totam legem servârunt, ita ut unus omnia, quæ legis sunt, servaverit; ergo &c. *Prob. subs.* Qui omnem Dei voluntatem implet, etiam implet legem, quæ à Dei voluntate derivatur: atqui Isai. 44. de Cyro Rege Persarum dicitur: *Pastor meus es, & omnem voluntatem meam implebis; ergo unus omnia legis servavit.*

Resp. dist. min. Cyrus omnem Dei voluntatem implevit circa reditum populi Israël in Judæam, *con. min.* quoad omnia alia, quæ lex naturalis præcipit sine gratia, *neg. min. & conf.* Etiam gentilibus datur gratia sufficiens, quâ legem servare, & ad fidem pervenire possunt. Eadem responsio valet pro adolescente illo Marc. 10. *Hæc omnia servavi à juventute mea.* Et de Apostolo Paulo Philip. 3. 6. *Secundum justitiam, quæ in lege est, conversatus sine querela, nempe cum gratia Dei.*

Inst. 3. Atqui homo lapsus potest etiam sine gratia servare totam legem naturalem; ergo &c. *Prob. subs.* Si homo lapsus non posset servare totam legem, saltem naturalem sine gratia, lex naturalis esset supra ipsius naturam: atqui Deut. 3. Deus dicit: *Mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, non est supra te; ergo homo lapsus potest sine gratia servare totam legem naturalem.*

Resp. dist. maj. Lex naturalis esset supra ipsius naturam sanam, *neg. maj.* corruptam, *subdist.* sine gratia sanante, *con. maj.* suppositâ gratiâ sanante, *neg. maj. dist. min.* mandatum, quod ego tibi hodie præcipio, non est

supra te cum gratiâ, *con. min.* sine gratiâ, *neg. min.* & *conf.* Ibidem enim Deus promittit: *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor hominis tui* (nempe per collationem gratiâ) *ut diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Unde ait S. Augustinus Lib. de perfect. justitiâ c. 2. Cœlestio respondens: *Respondemus, vitari posse peccatum, si natura vitata sanetur gratiâ Dei per JESUM CHRISTUM Dominum nostrum. In tantum enim sana non est, in quantum id, quod faciendum est, aut cœcitate non videt, aut infirmitate non implet.*

Inst. 4. Atqui mandata naturalia non sunt supra naturam, etiam non suppositâ gratiâ sanante; ergo &c. *Prob. subs.* Mandata naturalia non sunt supra naturam, etiam non suppositâ gratiâ, si illorum observatio à solâ hominis voluntate dependeat, & transgressio ipsi soli attribuatur: atqui ita est; quia Eccles. dicitur: *Si volueris mandata servare, conservabunt te; & ob transgressionem punitur, quod esset injustum, si suâ voluntate illa non posset servare.* Deinde S. Augustinus ait Lib. de nat. & grat. c. 43. *Deus impossibilia non jubet; ergo mandata naturalia non sunt supra naturam, etiam non suppositâ gratiâ sanante.*

Resp. dist. min. Atqui mandatorum observatio à solâ voluntate hominis pendet, suppositâ gratiâ, *con. min.* sine illa, *neg. min.* & *conf.* Unde ait S. Augustinus Lib. cit. c. 16. *Certum est, nos mandata servare, si volumus, sed quia præparatur voluntas à Domino (nempe gratiâ) ab illo petendum est, ut tantum volumus, quantum sufficit, ut volendo faciamus.* Et c. 43. *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere, quod possis, & petere, quod non possis, & adjuvat, ut possis.*

Inst. 5. Atqui mandatorum observatio dependet à solâ voluntate independenter à gratiâ; ergo &c. *Prob. subs.* Psal. 118. 113. *Iniquos odio habui.* Unde sic argumentor: Peccatores possunt servare mandata Dei: atqui Deus peccatoribus non dat gratiam; illis enim, quos odit, non dat gratiam; quia dare gratiam est amare, est enim velle bonum; ergo mandatorum observatio dependet à solâ voluntate independenter à gratiâ.

Resp. dist. rationem min. Illis, quos odit, odio universali, eos excludendo ab omni beneficio supernaturali,

non dat gratiam, *con. rationem min.* quos odit quoad aliqua, excludendo eos à vita æterna, & gratia sanctificante, *neg. rationem min. & conf.* Deus neminem ita odit, ut eum non sub aliqua ratione amet eum conservando, & aliquas gratias concedendo.

Solvuntur objectiones contra sextam partem, de potentia evitandi peccata mortalia & venialia.

Obj. Potest saltem homo lapsus cum gratiis ordinariis sine speciali privilegio omnia evitare peccata venialia; ergo &c. *Prob. subs.* Si gratiã ordinariã possit aliqua evitare, potest etiam omnia: atqui gratiã ordinariã potest evitare aliqua; ergo etiam omnia. *Prob. maj.* Si non possit evitare omnia, ideo esset; quia tandem, ob multitudinem tentationi sine speciali privilegio succumberet: atqui non succumberet; ergo si possit evitare aliqua peccata, potest etiam omnia. *Prob. min.* Non tandem succumberet, si vincendo semper fiat fortior: atqui cum gratia ordinaria vincendo semper fit fortior, majoresque gratias acquireret; ergo non succumbet.

Resp. dist. min. Atqui cum gratia ordinaria vincendo fit fortior, ita ut nunquam succumbat, *neg. min.* ita ut tamen aliquando ex fragilitate succumbat, *con. min. & neg. conf.*

Inst. 1. Atqui fit fortior, ita, ut non succumbat; ergo. *Prob. subs.* Fit fortior, ita, ut non succumbat, si peccatum non faciat, nec possit peccare: atqui fit ita fortior, ut non amplius faciat peccatum, nec possit peccare; ergo fit fortior, ita, ut non succumbat. *Prob. min. 1.* Joan. 3. 9. ait: *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quia semen ejus in ipso manet, & non potest peccare; quoniam ex Deo natus est:* atqui talis cum gratiis ordinariis ex Deo natus est; ergo fit ita fortior, ut non amplius faciat peccatum, nec peccare possit.

Resp. dist. maj. S. Joan. *Omnis, qui natus est ex Deo generatione perfectã, & consummatã in patria, peccatum non facit, & non potest peccare, con. maj. qui natus est ex Deo generatione inchoata, & instabili in hac vita, subd. non facit peccatum, & non potest peccare manendo justus, con. maj. derelinquendo justitiam, neg. maj. dist. min. atqui talis ex Deo natus est genera-*

tione inchoatâ, & instabili, *con. min.* consummatâ, & immutabili, *neg. min. & conf.* Unde ait S. Augustinus Lib. 2. de pecc. mer. & remiss. c. 8. n. 10. *Illinc ergo peccare non possumus, hinc verò, si dixerimus; quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus.* Et S. Joannes, ex quo S. Augustinus prædicta verba sumpsit, sibi non contradicit, sed tantum vult dicere, quòd sicut ille, qui facit peccatum, ex diabolo est, ita ille, qui ex Deo natus est, non peccet, quamdiu justus est. Quod & indicat S. Augustinus Lib. contra Gaudentium cap. 30. dicens: *Quod non potest justè, non potest justus; quoniam hoc discernendo prius amittit justitiam, ut quod non potest justus, possit injustus, nempe peccare.*

Inst. 2. Atqui ille, qui ex Deo natus est generatione inchoatâ, & in hac vita, cum gratiis ordinariis potest non peccare desectendo à justitia, ergo &c. *Prob. subsf.* Homo in hac vita potest implere id, quod Deus ei præcipit: atqui Christus Matth. 5. 48. præcipit: estote perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est, qui ita perfectus est, ut nullo modo possit peccare; ergo ille, qui ex Deo natus est generatione inchoatâ, & in hac vita, cum gratiis ordinariis potest non peccare.

Resp. dist. min. Atqui Christus præcepit Matth. 5. estote perfecti, sicut & Pater vester cœlestis, in omni genere, *neg. min.* in aliquo, nempe diligendo inimicos, ut patet ex contextu, *con. min. & neg. conf.*

Inst. 3. Christus saltem præcipit evitare omnia peccata venialia; ergo cum gratia ordinaria illa possumus evitare; aliàs præciperet impossibilia.

Resp. dist. subsf. Christus saltem præcipit evitare omnia venialia in particulari, & distributivè, *con. ant.* præcepto generali, & collectivè, *neg. ant.*

Inst. 4. Atqui Christus præcipit evitare etiam omnia venialia collectivè; ergo &c. *Prob. subsf.* Si non præciperet evitare omnia venialia collectivè, homo non omnia collectivè evitando non peccaret; quia non ageret contra præceptum, imò posset velle non omnia vitare collectivè: quia non esset peccatum, cum non sit præceptum, nec in nostra potestate: falsum consequens &c.

Resp. dist. maj. Si Deus non præciperet evitare omnia venialia collectivè præcepto distincto, nec indistincto à prohibitione particulari, non omnia collectivè evitando non peccaret, & posset velle non omnia evitare, *con. maj.* si non præciperet omnia evitare venialia collectivè præcepto distincto, sed indistincto à prohibitione particulari cujuslibet venialis non peccaret non omnia evitando collectivè, *neg. maj. concessã min. dist. conf.* ergo præcipit evitare omnia collectivè præcepto distincto, & speciali, *neg. conf.* præcepto indistincto à prohibitione particulari cujuslibet venialis, *con. conf. dist. rationem maj.* non ageret contra præceptum aliquod generale omnia simul prohibens, & non esset peccatum speciale, nec in nostra potestate in communi, *con. rationem maj.* non ageret contra præceptum particulare prohibens omnia venialia in particulari, & non esset peccatum contra præceptum particulare, nec in nostra potestate particulari cum gratia ordinaria, *neg. rationem maj. & conf.* Unde Deus prohibendo omnia venialia in particulari, etiam omnia prohibet collectivè, non tamen speciali præcepto, ita ut non omnia evitando speciale committat peccatum, & omnia sunt in nostra potestate, saltem in particulari cum gratia ordinaria.

Inst. 5. Luc. 5. 6. de Zacharia & Elisabeth dicitur: erant justi ambo ante Deum incedentes in omnibus mandatis, & justificationibus sine querela: atqui non constat, eos speciale privilegium habuisse; ergo potest aliquis gratiis ordinariis sine speciali privilegio omnia peccata venialia evitare.

Resp. dist. maj. Erant justi ambo sine querela in re gravi, *con. maj.* in re levi, & totã vitã, *neg. maj.* de neutro enim constat, quod nec in re levi, & in tota vita non peccaverint. *concessã min. neg. conf.*

Inst. 6. Ergo esset necessitas peccandi sine speciali Dei privilegio: atqui ubi est necessitas, eò ipsò non est peccatum; ergo potuerunt etiam evitare omnia venialia.

Resp. dist. maj. Ergo esset necessitas moralis peccandi venialiter saltem aliquando ex infirmitate, *con. maj.* absoluta, *neg. maj.* atqui ubi est necessitas absoluta, & distributivè peccandi, eò ipsò non est peccatum, *con. min.*

ubi est necessitas moralis, & collectivè peccandi, eò ipso non est peccatum, *neg. min. & conf.* Unde necessitas est, sicut Christus dicit: *Neesse est, ut veniant scandala*, id est, moraliter loquendo non potest fieri, ut non fiant scandala, propterea tamen non excusantur à peccato illi, per quos scandala eveniunt juxta verba Christi: *Verùntamen vae homini illi, per quem scandalum venit.*

CONCLUSIO IV.

Potest homo lapsus sine gratia, & fide, solo Dei concursu ordinario 1.º aliqua opera moraliter bona ordinis naturaliter perficere, uti diligere Deum, ut auctorem naturæ, amore inefficaci, & imperfecto tam benevolentia, quam castæ concupiscentiæ laudabili; ac leves superare tentationes; ita, ut non omnia infidelium, & peccatorum opera sint peccata. 2.º Potest etiam aliqua ordinis supernaturalis, ut contritionem elicere, saltem sine gratia habituali cum sola interna actuali. 3.º Legis naturalis præcepta absolutè potentiâ physicâ servare.

Prob. 1. pars, quòd homo lapsus sine fide & gratia, aliqua possit perficere opera moraliter bona ordinis naturalis. Si homo lapsus sine fide, & gratia nullum posset perficere opus moraliter bonum ordinis naturalis, omnia infidelium, ac peccatorum opera essent peccata; quia non dantur opera in individuo indifferentia, ut communiter docetur, & infideles & peccatores multa opera faciunt sine fide & gratia: atqui non omnia opera infidelium, & peccatorum sunt peccata, ut patet ex damnatione propositionis 25. Baji, quæ sic sonat: *Omnia infidelium opera peccata sunt.* Et 35. *Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est,* quæ à PIO V, GREGORIO XIII. & URBANO VIII. damnatæ sunt, & Concilio Trid. Sess. 6. Can. 7. contra Luth. & Calv. definiunt: *Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacunque ratione facta sint, vera esse peccata. .. anathema sit;* ergo homo lapsus potest sine fide & gratia, aliqua perficere opera moraliter bona.

Confirmatur. Si Deus aliqua infidelium, & peccatorum opera remuneratus sit, non omnia eorum opera sunt peccata; quia Deus peccatum non remuneratur:

atqui Deus aliqua opera infidelium, & peccatorum remuneratus est, sic Exod. 1. *Benefecit Deus obstetricibus; quia timuerunt Deum, non occidendo infantes Israëlitarum, prout iusserat Rex Ægypti, de quibus ait S. Augustinus Lib. contra mend. c. 15. n. 32. Non est in eis remunerata fallacia, sed benevolentia, benignitas mentis, non iniquitas mentientis.* Et Ezech. 29. 18. Nabuchodonosor remuneratus est ob bellum contra Tyrios gestum; *dedit ei terram Ægypti pro eo, quod laboraverit mihi, ait Dominus, v. 21. in quem locum ait S. Hieronymus: Ex eo, quod Nabuchodonosor accepit mercedem boni operis, intelligimus, etiam ethnicos, si quid boni fecerint, non absque mercede Dei iudicio præterire; ergo &c.*

Prob. 2. pars, quòd homo lapsus etiam possit perficere opera bona ordinis supernaturalis sine gratia habituali cum sola gratia actuali. Si homo lapsus in statu adhuc disgratiæ cum sola gratia possit elicere actus perfecti amoris, & contritionis, potest sine gratia habituali perficere opera bona ordinis supernaturalis; quia isti actus sunt supernaturales, quibus homo justificatur: atqui homo lapsus potest cum sola gratia actuali in statu adhuc disgratiæ tales actus perfecti amoris, & contritionis elicere, quibus justificatur, ut patet. Ezech. 14. 21. *Si impius egerit pœnitentiam... omnium iniquitatum ejus non recordabor.* Et S. Hieronymus in Epitaphio Fabiolæ de contritione dicit: *Quæ peccata stetus iste non purget? quas inveteratas maculas hæc lamenta non abluant.* Et Concilium Trid. Sess. 14. de pœnit. c. 4. declarat: hominem per contritionem charitate perfectam Deo reconciliari ante Sacramenti susceptionem; ergo potest homo lapsus sine gratia habituali cum sola gratia actuali opera aliqua bona ordinis supernaturalis perficere.

Prob. 3. pars, quòd præcepta legis naturalis absolutè, ac potentiâ physicâ homo servare possit quoad substantiam. Potentia physica nihil aliud est, quàm ipsa essentia libertatis: atqui homo hanc, ut Fides docet, non amisit quoad naturalia; ergo homo habet potentiam physicam, & absolutè omnia potest servare præcepta naturalia quoad substantiam: non verò quoad modum, seu meritorie, ut supra probatum fuit.

Solvuntur objectiones contra primam partem, de potentia perficiendi opera moraliter bona sine gratia & fide.

Obj. 1. Omnia opera infidelium peccata sunt; ergo nullum opus moraliter bonum potest fieri sine fide. *Prob. ant.* S. Apostolus Paulus Rom. 14. 23. ait: *Quod non est ex fide, peccatum est*: atqui opera infidelium non sunt ex fide; ergo peccata sunt.

Resp. dist. maj. Quod non est ex fide morali, quâ agens credit licitum esse, quod facit, *con. maj.* quod non est ex fide theologica, *subd.* quod non est ex fide theologica contrariè, id est, quod est contra fidem theologiam, seu ex motivo infidelitatis, peccatum est, *con. maj.* quod non est ex fide theologica negativè, id est, quod fit ab aliquo privato fide theologica, *neg. maj. dist. min.* atqui opera infidelium non sunt ex fide theologica, id est, ex motivo fidei theologice, *con. min.* non sunt ex fide morali, *subd.* si ex perversa operentur intentione, & sine, prout plerumque fit, *con. min.* si agant ex fine honesto, prout saltem aliquando fit, ut dando pauperi ex commiseratione naturali elemosynam, *neg. min. & conf.* Unde ait S. Augustinus Lib. 4. contra Jul. c. 3. n. 32. *Ipsorum (infidelium) sunt peccata, quibus & bona malè fiunt; quia ea non fidei, sed infidei, id est, stultâ, & noxiâ faciunt voluntate.* Nec Apostolus loquitur de fide theologica mysteriorum fidei infallibili, sed de cibo sumendo non reluctante conscientia, & cum offensione, ac scandalo infirmorum.

Inst. 1. Atqui quod non est ex fide theologica, peccatum est; ergo &c. *Prob. subs.* S. Augustinus Lib. 4. contra Julian. c. 3. præfatum Apostoli textum interpretatur de fide credendi in Christum Tract. 86. in Joan. dicens: *Non est, ut dicas, antequam crederem, jam bona operabar; quid enim est boni operis ante fidem, cum dicat Apostolus, omne, quod non est ex fide, peccatum est*: atqui fides credendi in Christum est theologica; ergo quod non est ex fide theologica peccatum est.

Resp. dist. maj. S. Augustinus præfatum textum Apostoli interpretatur de fide credendi in Christum cum exclusionem veri sensus litteralis, *neg. maj.* sine illius exclu-

sione, *con. maj. concessâ min. neg. conf.* Juliano enim dicit: *Sed ut hoc tibi de cibus tantum intelligendum esse concedam, quid de alio dicturus es testimonio, quod ad Hebræos scriptum est: Sine fide impossibile est placere Deo.*

Inst. 2. Atqui præfatus textus debet intelligi de sola fide theologica; ergo &c. *Prob. subs.* Si sine fide theologica posset fieri aliquod opus moraliter bonum, posset infideles sine fide placere Deo; quia opus moraliter bonum, cum non esset peccatum, posset Deo placere: atqui ex eodem Apostolo ad Heb. 11. 6. à S. Augustino mox citato sine fide, & quidem theologica impossibile est placere Deo; quia ibi de fide theologica agitur, & dicitur: *Crederè enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquiringibus se remunerator sit.* v. 6. ergo supradictus textus debet intelligi de fide theologica.

Resp. dist. min. Sine fide impossibile est placere Deo quoad personam in ordine ad obtinendam vitam æternam, *con. min.* ratione honestatis operis, vel personæ in ordine ad accipiendam aliquam remunerationem temporalem, *neg. min. & conf.* Sic enim Deus remuneratus est obstetrices Ægypti, & Regem Nabuchodonosor, ut dictum est in probatione. Deinde Apostolus in loco mox citato loquitur de fide, sine qua impossibile est placere Deo in ordine ad vitam æternam, sicut Henoch & Noë placuerunt fide, quâ consecuti sunt vitam æternam.

Inst. 3. Atqui sine fide theologica impossibile est placere Deo ratione honestatis operis; ergo &c. *Prob. subs.* Quod non est bonum, saltem moraliter, & ratione honestatis non potest placere Deo: sed opus ratione honestatis non est bonum sine fide theologica juxta S. Augustinum, qui in Psalm. 31. in præfat. ait: *Nemo computet opera sua bona ante fidem.* Et Lib. de gestis Pelag. c. 14. rationem reddit dicens: *Cum ipsa sit initium, unde opera bona incipiunt;* ergo opus ratione honestatis non est bonum sine fide theologica.

Resp. dist. min. Sed opus ratione honestatis sine fide non est bonum meritorie vitæ æternæ, *con. min.* non est bonum moraliter, *neg. min. & conf.* Unde S. Augustinus requirens fidem ad bona opera vitæ æternæ meritoria, propterea non negat illorum bonitatem moralem:

Inst. 4. Atqui opera sine fide nec sunt bona moraliter; ergo &c. *Prob. subs.* S. Augustinus Lib. de nupt. & concup. c. 3. ait: *Vera pudicitia dicenda non est, nisi quæ veræ fidei mancipatur*; Et Lib. 4. contra Julian. c. 3. probat, virtutes infidelium, ut pudicitia conjugalis, & misericordia non esse veras virtutes; sed vera vitia: atqui vera vitia non sunt bona moraliter; ergo opera sine fide nec sunt bona moraliter.

Resp. dist. maj. Vera pudicitia sine fide dicenda non est, & virtutes infidelium sunt vera vitia, si fiant perversâ stultâ, & noxiâ voluntate, ut loquitur S. Augustinus, *con. maj.* si fiant voluntate, & intentione moraliter bona, & ex defectu solius fidei, *neg. maj. concessâ min. neg. conf.* Unde pudicitia à S. Augustino vitium dicitur; quia per illam, vel hominibus placere student, vel vitiosa concupiscunt, vel dæmonibus servientes non peccata coercent, sed peccatis peccata vincunt, vel malè misferentur, & sic bono malè utuntur, ut patet ex iisdem locis citatis. Deinde S. Thomas 2. 2. q. 23. a. 7. ad 1. S. Augustinum sic explicat dicens: *S. Augustinus dicit in 4. contra Julianum, quod actus infidelis, in quantum est infidelis, semper est peccatum, etiam si nudum operiat, vel aliquid hujusmodi faciat ordinans ad finem suæ infidelitatis.*

Inst. 5. Opera moralia infidelium non possunt fieri bene, ac bonâ intentione; ergo &c. *Prob. subs.* S. Augustinus super Psal. 31. ait: *Bonum opus intentio facit, intentionem fides dirigit*: atqui infidelis non habet fidem; ergo opera infidelium non possunt fieri bonâ intentione.

Resp. dist. maj. ex S. Augustino intentionem fides dirigit in finem supernaturalem, *con. maj.* in finem honestum, & naturalem, ita ut sine fide non possit in illum dirigi, *neg. maj. concessâ min. dist. conf.* ergo opera infidelium non possunt fieri bonâ intentione directivâ in finem supernaturalem, *con. conf.* directivâ in finem honestum naturalem, *neg. conf.* S. Augustinus loquitur de hono opere ad vitam æternam conducente, quod in fide radicatur.

Inst. 6. Atqui opera infidelium non possunt dirigi in finem honestum, & sunt peccata; ergo &c. *Prob. subs.* S. Augustinus Lib. 4. contra Jul. c. 3. *Disce eum, qui non*

Q. I. DE ESSENT. ET NEC. GRAT. A. V. III

facit opera bonâ intentione fidei bona, hoc est ejus, quæ per dilectionem operatur, totum quasi opus . . . tenebrosum esse, hoc est, plenum nigredine peccatorum; ergo opera infidelium sunt peccata.

Resp. dist. ant. Qui non facit bona intentione fidei bonæ, quæ per dilectionem operatur, totum opus plenum est nigredine peccatorum in sensu lato sumptorum, quatenus eis deest plenitudo perfectionis ad vitam æternam requisitæ, *con. ant.* in sensu proprio, *neg. ant. & conf.* Hoc unum contendit S. Augustinus, opera, & virtutes infidelium non esse bona in ordine ad vitam æternam, & dici peccata, ac vitia; quia ab ordine vitæ æternæ deficiunt, & illis deest plenitudo perfectionis ad vitam æternam requisitæ.

Inst. 7. Atqui infideles sine fide virtutes non possunt dirigere in finem honestum; ergo &c. *Prob. subs.* Quod non dirigitur in Deum verum tanquam finem ultimum non est honestum, sed peccatum; quia sistit in creatura: atqui infideles, qui non cognoscunt Deum verum, virtutes suas morales non dirigunt in Deum verum tanquam finem ultimum; ergo sine fide virtutes non possunt dirigere in finem honestum.

Resp. dist. maj. Quod non dirigitur in Deum tanquam finem ultimum virtualiter, nec implicite, ac mediate; non est honestum, *con. maj.* si non dirigatur in Deum actu explicito, & immediate, *neg. maj. dist. min.* atqui infideles, qui non cognoscunt Deum verum, virtutes suas morales non dirigunt in Deum verum actu explicito, immediate, & directe, *con. min.* implicite mediate, & nativo quodam pondere, & virtualiter, *neg. min. & conf.* Ad opus honestum sufficit, quod sit de objecto, & sine honesto, vi cujus implicite refertur in Deum, à quo finis honestus ordinatus est, ut edere propter vitæ conservationem, dare eleemosynam propter pauperis indigentiam. Deinde peccatum veniale non refertur in finem ultimum, non tamen sistit in creatura; aliàs esset morale.

Inst. 8. Atqui quod dirigitur in Deum verum tanquam finem ultimum tantum virtualiter, & implicite, non est honestum; ergo &c. *Prob. subs.* Clerus galli-

canus in comitiis gen. anno 1700. damnavit hæreticam hanc propositionem : *Sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretativè* : atqui infidelium intentio non alio modo in Deum refertur; ergo quod dirigitur in Deum verum tanquam finem ultimum tantum virtualiter, & implicite non est honestum.

Resp. dist. maj. Clerus gallicanus damnavit hanc propositionem : *sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretativè*, ita, ut non teneatur amare Deum, neque in principio, neque in fine vitæ, ut expressè propositio damnata sonat, *con. maj.* ita, ut non possit esse moraliter bonus, *neg. maj. concessâ min. neg. conf.* Unde mutilata est propositio allata.

Inst. 9. Atqui sine charitate non potest esse actus moraliter bonus, quam infidelis non habet; ergo &c. *Prob. subs.* S. Thomas 2. 2. q. 23. a. 7. ad 1. ait : *Sine charitate potest quidem esse aliquis actus bonus in suo genere, non tamen perfectè bonus; quia deest debita ordinatio ad finem ultimum* : atqui deficiente debitâ ordinatione in finem ultimum, nec moraliter est bonus; ergo sine charitate non potest esse actus moraliter bonus.

Resp. dist. min. Deficiente omni debitâ ordinatione tam implicite, quàm explicitè nec moraliter est bonus, *con. min.* deficiente ordinatione requisitâ pro actu perfectè bono, *neg. min. & conf.*

Inst. 10. Atqui quod non dirigitur in Deum verum tanquam finem ultimum directè, & explicitè non est honestum, sed peccatum; ergo &c. *Prob. subs.* Est præceptum Dei dirigendi directè, & explicitè omnia opera in Deum tanquam finem ultimum; ergo quod non ita dirigitur, non est honestum, sed peccatum. *Prob. ant.* Est præceptum referendi omnia in gloriam Dei & faciendi ex charitate Dei juxta verba Apostoli 1. Cor. 10. 31. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in Dei gloriam facite*; & 1. Cor. 16. 14. *Omnia vestra in charitate fiant* : atqui hoc est directè, & explicitè omnia dirigere in Deum; ergo est præceptum Dei dirigendi directè, & explicitè omnia opera in Deum tanquam finem ultimum. Et S. Thomas 2. 2. q. 69. a. 1. ait : *Ex præcepto tenemur omnia in gloriam Dei referre*, ac proinde non tantum est consilium; ergo est præceptum.

Resp.

Q. I. DE ESSENT. ET NEC. GRAT. A. V. 113

Resp. dist. maj. Est præceptum positivum non obligans semper, & pro semper referendi omnia in gloriam Dei, & omnia faciendi ex illius amore, *con. maj.* est præceptum negativum obligans semper, & pro semper, *subd.* est tale præceptum omnia faciendi in gloriam Dei virtualiter, & implicite, vel negative in eo sensu, ne aliquid contra gloriam Dei agamus, *con. maj.* est negativum omnia referendi in Deum actu amore explicito, formali, reflexo, ac positive, *neg. maj. dist. min.* atqui omnia facere in gloriam Dei, & ex illius amore positive actu formali, & explicito, est omnia explicitè referre in Deum, *con. min.* omnia facere in gloriam Dei, & ex illius amore negative, nihil contrarium gloriæ, & amori Dei agendo, vel virtualiter, & implicite honestè agendo, est omnia referre explicitè in Deum, *neg. min. & conf.* Unde ait S. Thomas 2. 2. q. 88. *Dicendum, quòd illud præceptum Apostoli est affirmativum, unde non obligat ad semper, & sic non facit contra hoc præceptum, quicumque actu non refert in gloriam Dei omne, quod facit. Sufficit ergo, quod aliquis habitualiter referat se, & omnia sua in Deum ad hoc, quòd non semper mortaliter peccet, cum aliquem actum non refert in gloriam Dei actualiter. Imò nec virtualiter; nam, ut ait Bellarminus Lib. 5. de grat. & lib. arb. c. 10. saltem implicite omnia refert in gloriam Dei, qui operatur propter bonum aliquem finem. Rationem reddit dicens c. 9. Sicut enim omne agens particulare agit in virtute primi motoris, id est, Dei, sic etiam omnis bonus finis movet virtute ultimi finis.*

Inst. 11. Atqui etiam si non esset præceptum negativum referendi explicitè omnia opera in gloriam Dei non potest à peccatore, & infideli esse actio moraliter bona; ergo &c. *Prob. subs.* Actio moraliter bona esset munda; quia est honesta: atqui à coinquinatis, ut sunt peccatores, & infidelibus nihil potest esse mundum juxta Apostolum Tit. 1. 15. dicentem: *Coinquinatis autem, & infidelibus nihil est mundum, sed coinquinata sunt eorum mens, & conscientia;* ergo non potest à peccatore & infideli esse actio moraliter bona.

Resp. dist. min. Atqui à coinquinatis, & infidelibus nihil potest esse mundum, si perversà agant intentione, ut plurimum fit, *con. min.* si moraliter bona agant

intentione, *neg. min. & conf.* Loquitur enim Apostolus de iis, qui confitentur, se nōsse Deum, factis autem negant, perversè vivendo.

Inst. 12. Atqui coinquinati, ac infideles non possunt habere intentionem bonam; ergo &c. *Prob. subs. Matth. 7. 18. Non potest arbor mala bonos fructus facere*: atqui coinquinati, & infideles sunt arbor mala, & intentio moraliter bona esset fructus bonus; ergo coinquinati, ac infideles non possunt bonam habere intentionem.

Resp. dist. maj. Non potest arbor ex omni parte mala bonos fructus facere, *con. maj.* non potest arbor mala ex aliqua parte bonos fructus facere, *subd.* non potest arbor ex aliqua parte mala bonos fructus facere ex ea parte, quā est mala, & ex malitia agens, *con. maj.* ex alia parte, quā est bona, & non ex malitia agens, sed sine moraliter bono, non potest bonos fructus facere, iterum, *subd.* non potest bonos fructus in ordine ad salutem facere, *con. maj.* non potest moraliter bonos fructus facere, *neg. maj. dist. min.* atqui coinquinati, & infideles sunt arbor mala in ordine ad fructus salutares vitæ æternæ, *con. min.* sunt arbor mala in ordine etiam ad fructus moraliter bonos, *neg. min. & conf.* Unde licet coinquinati & infideles non possint proferre fructus salutares vitæ æternæ sine gratia, possunt tamen sine illa aliquos actus moraliter bonos producere; quia non sunt arbor ex omni parte mala; nam in ipsis remanet libertas, & recta ratio, quam possunt sequi, dum non pulsatur gravis tentatio. Unde ait S. Augustinus Lib. 4. contra Jul. c. 3. *Non in quantum homo est, quod est opus Dei, sed in quantum malæ voluntatis est, quisque arbor mala est, & bonos fructus facere non potest.*

Inst. 13. Isai. 10. 13. *Incensum abominatio mihi.* Et Prov. 15. 8. *Victimæ impiorum abominabiles Domino*: atqui si non essent malæ, sed moraliter bonæ non essent abominatio Dei; ergo omnia sunt mala opera impiorum.

Resp. dist. maj. Incensum est abominatio, & victimæ impiorum abominabiles Domino; quia ordinariè fiunt perversâ intentione, *con. maj.* si fiant intentione moraliter bonâ, *neg. conf.*

Inst. 14. Atqui sacrificium impij, etiam intentione moraliter bonâ factum, est abominatio; ergo &c. *Prob.*

subf. Sacrificium impii, intentione moraliter bonâ factum, est sacrilegium; ergo abominatio.

Resp. dist. ant. Sacrificium impii, intentione moraliter bona factum, est sacrilegium ex defectu debitæ dispositionis, *con. ant.* in aliis actibus ubi talis dispositio non est requisita, *neg. ant.*

Inst. 15. Concilium Arauf. Can. 22. ait: *Nemo habet de se, nisi mendacium, & peccatum; ergo omnia opera impii, etiam intentione moraliter bonâ facta, sunt peccatum.*

Resp. dist. ant. Nemo habet de se solo, nisi mendacium, & peccatum, *con. ant.* de se cum concursu Dei ordinario, *neg. ant.*

Inst. 16. Idem Concil. Arauf. Can. 9. ait: *Quoties bonâ agimus, Deus in nobis, atque nobiscum, ut operemur, operatur.* Ergo sine Deo nullum potest esse bonum.

Resp. dist. ant. Deus nobiscum operatur bonum ut auctor gratiæ, vel naturæ, *con. ant.* ut auctor gratiæ, *subd.* si opus est supernaturaliter bonum, *con. ant.* moraliter, *neg. ant.* Nam Can. 7. ait: *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ aternæ, cogitare, aut elicere asserit, absque illuminatione Spiritûs Sancti . . . hæretico fallitur sensu.* Non autem negat opera moraliter bona infidelium.

Inst. 17. Atqui coinquinati, & infideles sunt arbor mala ex omni parte, ac proinde semper ex malitiâ agunt; ergo &c. *Prob. subf.* Si coinquinati, & infideles essent arbor bona sub aliqua ratione, & possent agere, ut arbor bona sine malitiâ, ideo esset, quia retinent liberum arbitrium, quo aliquando possent benè agere: atqui ex S. Augustino Lib. de spir. & litt. c. 3. *Neque liberum arbitrium quidquam, nisi ad peccandum valet, si lateat veritatis via; prout later infidelibus.* Et Lib. 1. ad Bonif. c. 3. n. 7. *Nec potest homo boni aliquid velle, nisi adjuvetur ab eo, qui malum non potest velle, hoc est gratiâ Dei; ergo coinquinati, & infideles sunt arbor mala sub omni ratione, & semper ex malitiâ agunt.*

Resp. dist. min. Atqui liberum arbitrium non valet, nisi ad peccandum ex se sine ordinario Dei concursu & non potest aliquid boni salutaris velle, nisi adjuvetur gratiâ Dei; quod conducit ad vitam æternam, *con.*

min. liberum arbitrium non valet, nisi ad peccandum cum ordinario Dei concursu, nec potest aliquid moraliter boni velle sine gratia Dei, *neg. min. & conf.* Unde S. Augustinus ait Lib. de corrept. & grat. c. 11. *Arbitrium ad malum sufficit; quia potest se solo deficere à bono; ad bonum autem parum est, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono concursu ordinario, videlicet ad bonum morale, & supernaturali gratiâ ad opus salutare.*

Inst. 18. Atqui liberum arbitrium etiam cum concursu Dei ordinario non valet, nisi ad peccandum, nec valet ad opus moraliter bonum sine gratia; ergo &c. *Prob. subsf.* S. Augustinus Enchirid. ad Laurent. c. 117. n. 31. *Regnat carnalis cupiditas, ubi non est Dei charitas.* Et Lib. de spir. & litt. c. 14. *Non est fructus bonus, qui de charitatis radice non surgit:* atqui, etiam supposito concursu ordinario, sine gratia non est charitas in coinquinatis, & infidelibus; ergo liberum arbitrium etiam cum concursu Dei ordinario non valet, nisi ad peccandum, nec valet ad opus moraliter bonum.

Resp. dist. maj. Regnat carnalis cupiditas habitualiter, ubi non est Dei charitas, & non est fructus bonus salutaris, ac meritorius sine charitate; *con. maj.* regnat carnalis cupiditas semper actualiter, ubi non est Dei charitas, & non est fructus bonus moraliter sine charitate, *neg. maj. concessâ min.* saltem intellectâ de charitate perfectâ, *neg. conf.* Unde juxta S. Augustinum regnat carnalis cupiditas habitualiter, ubi non est charitas; quia homo est justus, vel injustus; & per fructum bonum intelligit actum vitæ æternæ meritorium, uti se explicat Lib. contra Jul. c. 5. dicens: *Scito, nos illud bonum hominum dicere . . . per quod solum homo potest ad æternum Dei donum, regnumque perducere.*

Inst. 19. Atqui ubi non est Dei charitas, regnat carnalis cupiditas actualiter, nec potest esse fructus tantum moraliter bonus sine charitate; ergo &c. *Prob. subsf.* Ubi non est Dei charitas regnat carnalis cupiditas actualiter, si sine amore Creatoris nullis quisquam benè utatur creaturis, nec potest sine illa esse fructus moraliter tantum, & sine merito bonus, si non possimus esse steriliter boni, id est, sine merito: atqui ex S. Augustino Lib. 4. contra Jul. c. 3. n. 33. *Sine amore*

Q. I. DE ESSENT. ET NEC. GRAT. A. V. 117

Creatoris nullis quisquam bene utitur creaturis. Et ibidem: Fieri non potest, ut steriliter boni simus, sed boni non sumus, quidquid steriliter sumus. Et Lib. contra Jul. c. 3. Voluntas sterilis non est bona; ergo ubi non est Dei charitas, regnat carnalis cupiditas actualiter, nec potest esse fructus bonus moraliter tantum sine charitate.

Resp. dist. min. Sine amore Creatoris nullis quisquam bene utitur creaturis in ordine ad vitam æternam, & fieri non potest, ut steriliter boni simus in sensu Juliani, videlicet ex objecto, & vitiosi ex fine, & voluntas sterilis ex omni parte non est bona, *con. min.* sine amore Creatoris nullis quisquam bene utitur creaturis moraliter, & fieri non potest, ut steriliter boni simus in sensu catholico, nempe boni moraliter, & steriliter in ordine ad vitam æternam, & voluntas sterilis supernaturaliter non est bona moraliter, *neg. min. & conf.* Nam idem S. Doctor dicit ibidem: hoc amore opus est, ut bonum beatificum sit, & opus sterile est ad vitam æternam, non solum quod bonum est ex objecto & vitiosum ex fine, sed etiam bonum ex utraque parte, nempe objecti, & finis, si fiat sine gratia; quod reprobat Julianus. Unde infideles arbores steriles sunt, ac eorum fructus steriles sunt in ordine ad vitam æternam, non verò moraliter saltem semper.

Inst. 20. Atqui non potest fieri, ut steriliter boni simus in sensu catholico, & moraliter; ergo &c. *Prob. subs.* Non potest fieri, ut steriliter boni simus moraliter, si sine gratia sit necessitas peccandi: atqui ex S. Augustino est necessitas peccandi sine gratia; alloquens enim Julianum Lib. 1. operis imperf. c. 105. ait: *Multum erras, qui vel necessitatem nullam putas esse peccandi;* ergo non potest fieri, ut steriliter boni simus sine gratia moraliter.

Resp. dist. min. Atqui ex S. Augustino est necessitas indeterminata, & vaga peccandi sine gratia aliquando, quando gravis urget tentatio, *con. min.* determinata exercitii, & semper, *neg. min. & conf.* S. Augustinus refellit Julianum existimantem omnes tentationes, etiam graves posse vinci sine gratia.

Inst. 21. Saltem non possumus esse steriliter boni moraliter; ergo &c. *Prob. subs.* Si possemus esse steri-

liter boni moraliter, sterilium arborum fructus possent laudari; quia essent moraliter boni, & arbores steriles non essent: atqui S. Augustinus ait Lib. 4. contra Jul. c. 3. *Sterilium fructus arborum non sunt laudandi, & si fructus boni sunt, profecto steriles arbores non sunt; ergo non possumus esse steriliter boni moraliter.*

Resp. dist. min. Sterilium arborum fructus ex parte objecti, & mali ex fine, & in sensu Juliani laudandi non sunt, & arbores steriles non sunt, si sint boni simpliciter, *con. min.* si sint steriles in ordine ad vitam æternam, & boni ratione finis moraliter honesti non sunt laudandi, *subd.* moraliter, *neg. min.* ut supernaturales, *con. min.* & arbores steriles non sunt moraliter, *con. min.* supernaturaliter, *neg. min.* & *conf.*

Inst. 22. Atqui est necessitas semper peccandi sine gratia; ergo &c. *Prob. subs.* Est necessitas semper peccandi sine gratia, si libero arbitrio malè utens homo se perdidit, & ipsum: atqui ex S. Augustino in Enchir. c. 30. *Libero arbitrio malè utens homo & se perdidit & ipsum; ergo est necessitas semper peccandi sine gratia.*

Resp. dist. min. Atqui ex S. Augustino libero arbitrio malè utens homo se perdidit, & ipsum ad bonum supernaturale, *con. min.* ad bonum naturale, vel morale, *subd.* quoad facilitatem illud promptè, & expedite operandum, *con. min.* quoad essentiam, & facultatem electivam, *neg. min.* & *conf.* Unde S. Augustinus se explicans Lib. 1. ad Bonif. c. 3. ait: *Libertas quidem perit per peccatum, sed illa, quæ in paradiso fuit habendi plenam cum immortalitate justitiam, propter quod natura humana divinâ indiget gratiâ dicente Domino, si vos filius liberaverit, tunc verè liberi eritis: utique liberi ad bonè justèque vivendum.* Et Lib. de corr. & grat. c. 12. vocat Adami libertatem facultatem bonè vivendi. Hanc amisit prolapsus in difficultatem, scilicet concupiscentiam, quæ bono se opponit. Et Concilium Trid. Sess. 6. de justif. c. 1. declarat, *Libenum arbitrium minimè extinctum esse, viribus licèt attenuatum, & inclinatum.*

Inst. 23. Atqui libero arbitrio malè utens homo ipsum perdidit, etiam quoad bonum naturale, ac morale; ergo &c. *Prob. subs.* Joan. 15. 5. Christus ait: *Sine me nihil potestis facere; in quæ verba S. Augustinus Tract.*

81. dicit: *Non ait, quia sine me parum potestis facere, sed nihil potestis facere*: atqui si homo lapsus retinisset libertatem ad bonum naturale, ac morale sine gratia, posset saltem parum agere sine Deo cooperante; ergo homo liberum arbitrium perdidit etiam quoad bonum naturale, ac morale.

Resp. dist. maj. Sine me nihil nec parum supernaturale potestis facere, *con. maj.* sine me nihil, nec parum potestis facere naturale, vel morale, *subdist.* sine me concurrente concursu ordinario, vel extraordinario per gratiam, *con. maj.* sine me concurrente concursu extraordinario gratiæ, *neg. maj. dist. min.* atqui si retinisset libertatem ad bonum naturale, & morale sine gratia posset saltem parum morale agere sine Deo cooperante ut auctore gratiæ concursu extraordinario gratiæ, *con. min.* sine concursu ordinario, & Deo cooperante ut auctore naturæ, *neg. min. & conf.*

Inst. 24. Atqui sine Deo cooperante gratiâ, nec bonum morale operari potest homo lapsus; ergo &c. *Prob. subs.* Si homo lapsus sine Deo cooperante gratiâ posset bonum morale operari, hoc fieret per legem; quia omne bonum morale etiam ordinis naturalis fit per gratiam, vel legem dictantem, actum esse honestum: atqui fieri non potest per legem; lex enim iram operatur, teste Apostolo Rom. 4. 15. ergo sine Deo cooperante gratiâ nec bonum morale operari potest homo lapsus.

Resp. dist. Prob. min. Lex iram operatur per accidens, & ob illius abusum, *con. min.* per se, & ex natura legis, vel illius intentione, *neg. min. & conf.* Nam S. Chrysostomus hom. 10. in Ep. ad Rom. cap. 6. ait: *Neque enim lata est lex, ut abundaret, sed lata quidem, ut minueret, & tolleret peccatum; evenit autem secus non à legis natura, sed ab eorum ignavia, & socordia, qui legem accepere.* Et S. Augustinus Epist. 157. alias 99. ad Hilar. c. 3. n. 16. *Sed lex intravit, ut abundaret delictum, sive cum homines negligunt, quod Deus jubet, sive cum de suis viribus præsumentes adiutorium gratiæ non implorant, & addunt infirmitati superbiam.* Unde ait S. Chrysostomus cit. *Vox hæc, ut, non causam dicit, sed rei eventum denotat.*

Inst. 25. Atqui lex sola cum concursu ordinario non sufficit ad opus moraliter bonum; ergo &c. *Prob. subs.* S. Augustinus Lib. de spir. & litt. c. S. n. 13. ait: *Quicumque faciebant, quod lex jubebat, non adjuvante spiritu gratiæ, timore pænæ faciebant, non amore justitiæ*: atqui ex eodem S. Doctore Lib. de nat. & grat. c. 57. n. 63. qui timore supplicii, non amore justitiæ se sentiat abstinere ab opere peccati, nondum liber est, nec alienus à voluntate peccandi; ergo lex sola non sufficit ad opus moraliter bonum, quod cum voluntate peccandi non subsistit.

Resp. dist. min. Qui timore supplicii serviliter servili, non amore justitiæ se sentit abstinere ab opere peccati, nondum liber est à voluntate peccandi, *con. min.* qui timore simpliciter servili abstinet ab opere peccati, non est liber à voluntate peccandi, *neg. min. & conf.* S. Augustinus autem in priori textu loquitur de timore serviliter servili, ut patet ex ratione, quam addidit ibidem dicens: *In ipsa enim voluntate reus est, quâ mallet, si fieri posset non esse, quod timeat, ut liberè faciat, quod occultè desiderat.* Talis timor est serviliter servilis, non excludens voluntatem peccandi; quia vult peccatum, & ob timorem non facit; non verò simpliciter servilis, qui voluntatem peccandi excludit juxta eundem S. P. & Concilium Trid. Sess. 14. de pœnit. c. 4.

Inst. 26. Si homo lapsus solâ lege, ac ratione naturali ductus posset bonum morale agere, remansissent in eo post lapsum aliqua virtutum semina: atqui hoc est Semipelagianum, dari in homine lapsio quædam virtutum semina honorum, videlicet operum initia, ut fidei &c. Ergo homo lapsus non potest solâ lege naturali, etiam cum concursu ordinario bonum morale agere.

Resp. dist. maj. Si homo lapsus solâ lege, ac ratione naturali ductus posset bonum morale agere, remansissent in eo post lapsum aliqua virtutum semina in sensu catholico sumpta pro lumine rectæ rationis, & libertate, quâ potest bonum morale agere, saltem quando non pulsatur gravis tentatio, *con. maj.* remansissent aliqua virtutum semina in sensu Semipelagianorum, quibus potuerunt mereri gratiam, *neg. maj. dist. min.* atqui Semi-

pelagianum est, remansisse aliqua virtutum semina, quibus gratia potest promereri, *con. min.* remansisse semina, sumpta pro recta ratione, & libertate, *neg. min. & conf.* Semipelagiani admittebant quosdam pios naturæ conatus, ut fidei &c. quibus Deum motum gratiam dare ulteriorem, asseriebant, quod nos non dicimus.

Inst. 27. Atqui remansissent aliqua virtutum semina in sensu Semipelagianorum, quibus gratia potuit promereri; ergo &c. *Prob. subs.* Per opus moraliter bonum solâ rectâ ratione, ac libertate obstetrices parcendo infantibus Israëlitarum gratiam, ac remunerationem à Deo promeritæ sunt, similiter Nabuchodonosor, ut patet ex vestra probatione; ergo remansissent aliqua virtutum semina in sensu Semipelagianorum, quibus gratia potuit promereri.

Resp. dist. ant. Obstetrices, & Nabuchodonosor promeriti sunt gratiam temporalem, ac naturalem, *con. ant.* supernaturalem, & in ordine ad vitam æternam, *neg. ant. & conf.* Unde cum Deus nihil boni relinquat sine remuneratione, mercedem saltem temporalem acceperunt, cum æternâ erant indigni.

Inst. 28. Atqui promeriti sunt gratiam supernaturalem; ergo &c. *Prob. subs.* Vel bonum, quod Deus fecit obstetricibus, & terra Ægypti Nabuchodonosori à Deo pro remuneratione data evenerunt eis secundum cursum naturalem, vel supernaturalem, si secundum naturalem, evenisset absque eorum bonis operibus; si secundum supernaturalem, fuit gratia supernaturalis: atqui primum repugnat Scripturæ; ergo fuit supernaturalis.

Resp. Evenisse secundum ordinem naturalem Providentiæ divinæ ipsis singulariter faventem pro remuneratione boni moralis; unde donum naturale erat.

Inst. 29. Atqui obstetrices non potuerunt solâ ratione naturali agere bonum morale; ergo &c. *Prob. subs.* Si potuissent solâ ratione agere bonum morale, earum voluntas ex se fuisset bona; sed voluntas non potest esse ex se bona, ut patet ex S. Augustino Lib. 2. de pecc. merit. & remiss. c. 18. dicente: *Si voluntas aut bona est, aut mala; & utique malam non habemus ex Deo, restat, ut bonam voluntatem habeamus ex Deo; ergo non est ex se bona.*

Resp. dist. maj. Voluntas fuisset ex se bona moraliter, & quoad actionem moraliter bonam, quam potest producere, *con. maj.* habitualiter per justitiam inhærentem, *neg. maj. dist. min.* atqui non est ex se bona, sed ex Deo habitualiter, & per justitiam inhærentem, vel gratiam sanctificantem, sed à Deo, *con. min.* non est ex se bona ad producendam actionem moraliter bonam cum concursu Dei ordinario, ut supra dictum est, *neg. min. & conf.* Unde S. Doctor loquitur de bonitate habituali, & vult tantum dicere, hominem esse justum, vel injustum habitualiter, non verò eum semper agere meritorio, vel pravo affectu, sed aliquando etiam affectu honestatis naturalis agere potest, præcipuè cessante tentatione, ac passione pravâ.

Inst. 30. Atqui voluntas non est bona, ita, ut possit actionem moraliter bonam producere; ergo &c. *Prob. subs.* Si voluntas hominis lapsi esset bona, ita, ut possit actionem moraliter bonam producere, etiam dæmones talem possent producere; quia non sunt magis læsi in naturalibus, quàm homines, & retinent rationis usum, ac libertatis in multis: atqui tamen non possunt agere actionem moraliter bonam; ergo nec infideles & peccatores.

Resp. dist. rationem maj. Dæmones non sunt magis læsi in naturalibus, quàm homines, & sunt in statu viæ, ut homines, *neg.* & sunt in ultimo termino, & in odio Dei & hominum firmati, ita ut non possint, nisi odisse Deum, ac illius creaturas, *con. & neg. conf.* Unde disperitas est; quia infideles, ac peccatores, etiam sceleratissimi non semper & necessariò Deum, & proximum actu odiunt, sicut dæmones, sed remanent liberi circa bonum morale, saltem quando non sunt graves tentationes superandæ, & cum gratia etiam circa bonum supernaturale.

Inst. 31. Atqui nec homines remanent liberi circa bonum morale; ergo &c. *Prob. subs.* Si homines remanent liberi circa bonum morale, possent diligere Deum saltem ut auctorem naturæ; quia naturaliter cognoscunt eum esse bonum: atqui non possunt diligere Deum ut auctorem naturæ; ut patet ex S. Augustino dicente Ep. ad Vitalem: Liberum arbitrium ad diligendum Deum

primi peccati granditate perdidimus; ergo nec homines remanent liberi circa bonum morale.

Resp. dist. rationem min. Liberum arbitrium ad diligendum Deum amore efficaci, ac perfecto perdidimus, *con. rationem min.* amore inefficaci, & imperfecto, *neg. rationem min. & conf.*

Inst. 32. Atqui perdidimus liberum arbitrium ad diligendum Deum amore etiam imperfecto; & inefficaci; ergo &c. *Prob. subs.* Concilium Araus. II. Can. 25. ait: *Prorsus donum Dei est diligere Deum, ipse, ut diligeretur, dedit, qui non dilectus diligit;* ergo omne prorsus liberum arbitrium ad diligendum Deum perdidit.

Resp. dist. ant. Prorsus donum Dei est diligere Deum amore supernaturali, ut oportet ad salutem, *con. ant.* amore naturali, & inefficaci, *neg. ant. & conf.* Concilium namque citatum non loquitur de amore naturali, sed supernaturali conducente ad salutem, ut patet totum textum legenti.

Inst. 33. Atqui etiam amor naturalis, imperfectus, ac inefficax à Deo est; ergo &c. *Prob. subs.* Si charitas perfecta à Deo est, etiam imperfecta ex Deo est: atqui charitas perfecta ex Deo est; ergo etiam imperfecta. *Prob. maj.* Cujus rei perfectio est, illius etiam inchoatio est, ut indicat S. Augustinus Lib. 2. ad Bonif. cap. 9. dicens: *Nec initium ejus ex nobis, & perfectio ejus ex Deo, sed si charitas ex Deo, tota nobis ex Deo est:* atqui charitas imperfecta, & naturalis est initium perfectæ; quia prius incipimus Deum cognoscere, & amare ut auctorem naturæ inefficaciter, deinde ad perfectiorem ascendimus; ergo si charitas perfecta ex Deo est, etiam imperfecta à Deo est.

Resp. dist. maj. Cujus rei perfectio est, illius est & inchoatio quoad amorem supernaturalem, & tota charitas supernaturalis à Deo est quoad initium, & perfectionem, *con. maj.* in amore naturali, *neg. maj. dist. min.* atqui charitas imperfecta, & naturalis est initium perfectæ in sensu Semipelagianorum per modum meriti, vel dispositionis naturalis ad supernaturalem, & gratiam, *neg. min.* est initium, id est, aliquando est prior, *con. min. & neg. conf.* Unde S. Augustinus vult tantum dicere, non dari meriti naturale initium, sicut nec fidei. *Avertat enim Deus hanc amentiam, pergit ibidem S.*

Doctor, ut in ejus donis nos priores faciamus, posteriorem ipsum, quoniam misericordia ejus præveniet nos.

Inst. 34. Atqui etiam charitas naturalis perfecta & imperfecta Dei, ut auctoris naturæ, à Deo est, viresque naturæ superat; ergo &c. *Prob. subs.* Omne opus pietatis superat naturæ vires, quod nec Semipelagiani negare ausi sunt: atqui charitas etiam naturalis Dei, ut auctoris naturæ, est opus pietatis; ergo superat naturæ vires. *Prob. min.* S. Augustinus Ep. 29. ad Hier. ait: *Quid est pietas, nisi cultus Dei, & unde ille colitur, nisi charitate*: atqui colitur non solum charitate supernaturali, sed etiam naturali; quia homo in statu naturæ puræ Deum diligendo amore naturali coluisset eum; ergo charitas etiam naturalis Dei, ut auctoris naturæ, est opus pietatis.

Resp. dist. maj. Pietas est cultus Dei supernaturalis, *con. maj.* cultus Dei naturalis, *neg. maj. dist. min.* atqui Deus colitur non solum charitate supernaturali, sed etiam naturali cultu; naturali, *con. min.* supernaturali, *neg. min. & conf.* Unde qui Deum amat, eum colit, sed eo modo, quo amat, cultu naturali, si amor sit naturalis; & supernaturali, si sit supernaturalis.

Inst. 35. Atqui etiam cultus, & amor naturalis à Deo est; ergo &c. *Prob. subs.* S. Augustinus Lib. 4. contra Jul. c. 3. ait: *Amor Dei, quo pervenitur ad Deum, non est nisi à Deo: per hunc amorem Creatoris bene quis utitur creaturis: sine hoc amore Creatoris nemo bene utitur creaturis*: atqui amor Creatoris est amor naturalis, nempe ut auctoris naturæ; ergo cultus & amor naturalis à Deo est.

Resp. dist. maj. Amor Dei perfectus, & efficax, quo pervenitur ad Deum, non est nisi à Deo, *con. maj.* amor inefficax, & imperfectus non est nisi à Deo, *subd.* ut auctore naturæ, *con. maj.* ut auctore gratiæ, *neg. maj. concessâ min. neg. conf.* Unde fatemur, hominem lapsum non posse perfecte, & efficaciter Deum amare sine gratia supernaturali; bene autem amore imperfecto & inefficaci; quia potest illum naturaliter cognoscere, ut bonum, & nullâ occurrente tentatione, vel passione, potest etiam ipsum amare amore inefficaci, sed quando tentationes graves, vel passiones sunt pro illius amore superandæ, natura corrupta sine gratia succumbit.

Inst. 36. Atqui etiam amor inefficax, & imperfectus non est nisi à Deo; ergo &c. *Prob. subs.* Omnis amor, quo pervenitur ad Deum, est inefficax & imperfectus; ergo si amor, quo pervenitur ad Deum, est à Deo, ut auctore gratiæ, etiam amor inefficax, & imperfectus est à Deo, ut auctore gratiæ. *Prob. ant.* homo per amorem perfectum, & efficacem jam est, & supponitur cum Deo unitus; ergo amor, quo pervenitur ad Deum, est inefficax & imperfectus.

Resp. dist. ant. Per amorem perfectum, & efficacem habitualement jam est cum Deo unitus, *con. ant.* per actualement, *neg. ant. & conf.* Per actualement enim fit unio, & pervenitur per illum ad Deum effectivè.

Inst. 37. Si hoc esset, quòd in peccatore, ac infideli posset esse amor naturalis benevolentia, esset simul Dei amicus & inimicus: absurdum consequens. *Prob. maj.* per amorem benevolentia fit amicus, & per peccatum & infidelitatem esset inimicus; ergo esset simul amicus & inimicus Dei.

Resp. dist. ant. Per amorem benevolentia supernaturalem, & efficacem fit Dei amicus, *con. ant.* per amorem benevolentia naturalem, & inefficacem fit Dei amicus, *neg. ant. & conf.* per amorem enim naturalem non justificatur homo.

Inst. 38. Atqui esset amicus Dei per amorem benevolentia naturalem, & non esset; ergo &c. *Prob. subs.* Posset aliquis ex amore Dei naturali mori, sicut parentes amore infantum, vel amici, aut eximii benefactoris; quia potest cognoscere Deum æquè bonum, vel ut Romani pro tuenda patria: atqui in hoc casu esset amicus Dei; quia esset species martyrii, & videtur repugnare bonitati Dei; damnare, & odisse hominem ipsum super omnia diligentem, etiam amore naturali, & tamen non esset amicus Dei; quia sine fide impossibile est placere Deo; ergo esset amicus Dei per amorem benevolentia naturalem, & non esset.

Resp. dist. maj. Posset aliquis ex amore Dei naturali mori succumbendo alteri tentationi, vel ex motivo naturali, *con. maj.* non succumbendo, vel motivo supernaturali, *neg. maj. dist. min.* atqui in hoc casu esset amicus Dei, si esset amor efficax se extendens ad omnia

Dei mandata, & supernaturalis, *con. min.* inefficax, & merè naturalis, *neg. min. & conf.* Deinde facilius est mori pro amore infantum, amici, vel patriæ, quàm amore Dei; quia sunt motiva magis sensibilia, quàm bonitas Dei, naturamque corruptam, & in bonum sensibile nimis inclinatam efficacius movent. Unde apparet disparitas.

Inst. 39. Saltem homo lapsus non potest aliquas vincere tentationes sine gratia sine honesto; ergo &c. *Prob. subs.* S. Scriptura, Concilia, ac SS. Patres victoriam tentationum Deo attribuunt, & de omnibus tentationibus orare jubemur: *Et ne nos inducas in tentationem.* Sed. S. Augustinus Epist. 95. ait: *Oratio clarissima est gratiæ testificatio.* Et in Psal. 83. ait: *Sine Dei adjutorio per liberum arbitrium tentationes hujus vitæ superare non possumus;* ergo homo lapsus non potest aliquas vincere tentationes sine gratia sine honesto.

Resp. dist. maj. Victoria tentationum omnium collectivè, vel meritoria Deo attribuitur, & pro meritoria oramus, *con. maj.* tentationum levium ex sine honesto Deo attribuitur, ita, ut sine gratia nulla obtineri possit, *neg. maj. concessã min. neg. conf.* Unde nulla tentatio vinci potest amore Dei perfectò, ac meritorio, nec omnes etiam graves sine gratia; bene autem aliquæ amore boni honesti, vel jucundi.

Inst. 40. Atqui nulla etiam levis sine gratia vinci potest tentatio, ergo &c. *Prob. subs.* S. Chrysostomus hom. in Epist. 1. Cor. c. 10. ait: *Sunt ergo tentationes, quæ ferri non possunt, & quæ hæ sunt? omnes, ut semel dicam. Nam nec illas quidem moderatas, ac mediocres propriã virtute feremus;* ergo nulla sine gratia vinci potest.

Resp. dist. ant. Nec illas quidem moderatas, ac mediocres propriã virtute feremus meritorie, *con. ant.* sine honesto, & naturali, *neg. ant. & conf.* Unde licet ordinariè homo naturã corruptã succumbere soleat, & rarò sine honesto tentationes etiam leves vincat, potest tamen illas vincere aliquando, non urgente passione.



QUÆSTIO II.

DE GRATIA SUFFICIENTE ET EFFICACI.

ARTICULUS I.

An, qualis, & quibus detur gratia sufficiens?

Prænot. I. GRATIA interior actualis, prout variè in ordine ad diversos effectus consideratur, diversimodè dividitur, diversaque sortitur nomina, ut suprà dictum est q. 1. a. 1. quamvis entitativè eadem sit.

2. Ad gratiam sufficientem varia concurrunt Dei auxilia interna & externa; quia Deus multiplici modo adjuvat ad bonum, videlicet exterius moraliter per legem, prædicationem, exhortationes, exempla, miracula, adversitates, beneficia, quibus voluntatem externè præparat, & moraliter movet; & interiorè per habitus infusos, & per mentis illuminationem, voluntatis motionem, quibus intellectum, ac voluntatem physicè movet, quamvis illustrationes respectu voluntatis objectivè tantum, ac moraliter moveant. Strictè autem, ac theologicè gratia sufficiens, prout est distincta ab efficaci hic sumitur pro gratia actuali interiori, quæ dat posse operari bonum, ac illius initium actu operatur in nobis intellectum illuminando, & voluntatem ad illud movendo, prout indicat S. Augustinus suprà citatus q. 1. a. 1. vid. ibid. non tamen illud perficit, non defectu sui; sed quia voluntas non vult cooperari. Gratia verò efficax *opus bonum perficit usque in diem JESU CHRISTI.* Phil. 6. *Ut ergo velimus,* ait S. Augustinus cit. *sine nobis operatur* (gratia sufficiente per actus indeliberatos) *cùm autem volumus, & sic volumus, ut faciamus,* cooperando gratiæ sufficienti, *nobiscum operatur gratiâ efficaci.* Unde gratia actualis sufficiens non consistit in aliqua sola potentialitate, ut quidam volunt Thomistæ, sed simul in aliquo actu indeliberato illuminationis, ac piæ motionis voluntatis initiali, cui si voluntas consentiret, eadem gratia opus inceptum proficeretur, & sub ratione gratiæ efficaci, ac coo-

perantis illud perficeret; quia tunc etiam cum infallibili prævisione cooperationis tanquam speciale donum fuisset concessa, & conditiones, & proprietates gratiæ efficacis haberet.

3. Gratia sufficiens potest dupliciter considerari, videlicet 1.º absolute, & in se præscindendo à præsentibus subjecti circumstantiis, ac concupiscentiæ oppositæ gradibus, quam solam Janseniani admittunt, quæ in solis inefficacibus desideriis hæret, & quasdam velleitates excitat; & ideo parvam, sed tamen turpi æquivocatione perfectissimam, completissimam, sufficientissimam, ac proximam ad opus bonum potentiam appellant, semper subintelligendo absolute, ac in se; non verò relative ad subjecti, seu operantis actualem dispositionem, & circumstantias 2.º Potest considerari respectivè ad actuales operantis circumstantias, & concupiscentiam oppositam, & hæc duntaxat verè, propriè, ac in sensu catholico est sufficiens, & definitur: *Auxilium supernaturale conferens potentiam relativè ad præsentibus subjecti circumstantias completam, & actu expeditam ad operandum bonum, licèt effectum non sortiatur ex solo voluntatis vitio, nolentis ei cooperari.*

4. Hæc gratia verè sufficiens adhuc duplex est, nimirum proximè sufficiens, quæ etiam actionis, nempe perfectæ dicitur, quæ immediatè dat potentiam operis à Deo ultimè intenti sine alio auxilio superaddito, intellige in ratione auxilii sufficientis; non enim excluditur gratiæ influxus, qui continuaretur, & succederet tanquam efficax, ac cooperans, si voluntas gratiæ proximè sufficienti cooperari non negligeret. Et remotè sufficiens, quæ etiam orationis dicitur, quæ non dat potentiam immediatam operis ultimè à Deo intenti; dat tamen potentiam immediatam ad implorandum per orationem, vel promerendum per cooperationem uberius, ac proximius gratiæ auxilium. De hac ait S. Augustinus Lib. de nat. & grat. c. 44. & Concilium Trid. *Non igitur impossibilia jubet (Deus) sed jubendo admonet, & facere, quod possis, & petere, quod non possis, & adjuvat, ut possis.*

5. Circa gratiam sufficientem 1.º error est Calvini, Lutheri, Baji, nullam in statu naturæ lapsæ admittentes

Q. II. DE GRATIA SUFFICIENTE. A. I. 129

tentium gratiam sufficientem, sed solam efficacem, ac necessitantem ad opus bonum. 2.^o Jansenii, & Quenelli, gratiam sufficientem quidem admittentes, sed absolutam, non verò relativam ad præsentis subjecti circumstantias, & oppositam concupiscentiæ delectationem; ex quo falso principio fluunt famosæ illæ Jansenii propositiones ab Ecclesia damnatæ, videlicet

Prima, *aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus secundum præsentem, quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque illis gratia, quæ possibilia fiunt, videlicet efficax, quæ sola juxta ipsum verè est sufficiens.*

Secunda: *Gratiæ interiori in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur; quia sola datur efficax in systemate Jansenii, quæ relativè est sufficiens, & semper efficax.*

Tertia: *Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate; sed sufficit libertas à coactione; quia non datur juxta ipsum gratia, cui resisti potest, & non efficax.*

Quarta: *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam initium fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent, eam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare; quia Jansenius non admittebat gratiam verè relativè sufficientem, sed tantum efficacem necessitantem.*

Quinta: *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem sudisse; quia non datur juxta ipsum gratia verè, & relativè sufficiens ad salutem, sed duntaxat gratia efficax, quam non dat omnibus.*

6. Certum est de Fide contra prædictos hæreticos, 1.^o dari gratiam verè sufficientem, non solum absolute, sed etiam relativè, quæ tribuit potentiam completam, expeditam, ac relativam ad præsentis subjecti circumstantias. 2.^o Eam omnibus saltem justis urgente præcepto dari.

7. Certum est apud omnes orthodoxos 1.^o gratiam sufficientem in nobis sine nobis consentientibus physice operari quosdam motus indeliberatos illuminationis intellectus, ac motionis voluntaris ad bonum, quibus voluntas ad illud cum gratia deliberatè prosequendum moraliter allicitur. 2.^o Gratiam sufficientem non dari

omni tempore, ac momento singulis hominibus, sed certis temporibus, & præcipuè quando urget aliquod præceptum; quia est actio transiens, non indefinenter movens. 3.^o Nec dari parvulis, ac usu rationis carentibus; quia gratiæ actualis sunt incapaces. 4.^o Non semper à Deo dari gratias proximè sufficientes ad opus à Deo ultimè intentum, prout Concilium Tridenticum S. Augustino indicat. 5.^o Gratiam sufficientem verè habere rationem beneficii; quia verè est gratia cum sincera intentione operis salutaris à Deo concessa, & accipienti proficua, si vellet eâ bene uti.

8. Opiniones Scholæ sunt 1.^a Thomistarum, asserentium, hominem gratiâ sufficiente posse quidem bene operari, etiam relativè ad actuales circumstantias, non tamen actu operari defectu alterius gratiæ, nempe efficacia ad actu operari prærequisitæ. 2.^a Molinistarum, dicentium, actu non operari defectu solius voluntatis nolentis cooperari. 3.^a Congruistarum, existimantium, hominem cum gratia sufficiente non operari; quia non est congrua indoli, inclinationi, passioni, habitibus, tempori, loco, aliisque circumstantiis. 4.^a Augustinianorum, putantium, hominem non cooperari defectu potentiæ moralis. 5.^a Thomasini, docentis, hominem non cooperari gratiæ sufficienti defectu multitudinis mediorum; omnes tamen relativè sufficientem admittunt, & catholicè sentiunt. His notatis ad quæstionem hujus articuli est

CONCLUSIO I.

Datur gratia actualis interna verè, ac relativè sufficiens, quæ in actu secundo, & entitativè est ipse actualis Dei concursus supernaturalis, quo intellectum, & voluntatem supra suam naturam elevans, ac bonum in ipsis incipiens ad liberatè cooperandum suaviter, & moraliter allicit, ita, ut homo cum eodem gratiæ auxilio continuato sine alio entitativè distincto actu cooperari possit, si velit, non tamen ei cooperatur ex socordia, vel illi resistendo, vel quia alios morus gratiæ oppositos à concupiscentia, vel à dæmonè, vel ab objectis excitatos præferens, illis cooperatur.

Prob. 1. pars, quòd detur gratia actualis interna verè, ac relativè sufficiens. Auctoritate Scripturæ Matth. 11. dicitur de Christo: Tunc cepit exprobrare civitatibus,

Q. II. DE GRATIA SUFFICIENTE. A. I. 131

in quibus factæ sunt plurimæ virtutes ejus, quia non egissent pœnitentiam: Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida &c. Et Matth. 23. dicit Christus ad Jerusalem: Quoties volui congregare filios tuos, & noluisti. Ex quibus sic argumentor: Si non daretur gratia actualis interna verè, ac relativè sufficiens, Christus injustè increpasset Judæos in prædictis civitatibus; quia non egerunt pœnitentiam: atqui hoc Christo imputari non potest; ergo datur gratia actualis interna verè, ac relativè sufficiens. *Prob. maj.* Christus injustè increpasset Judæos in prædictis civitatibus: si justam habuerint impœnitentiæ suæ excusationem: atqui justam habuissent impœnitentiæ suæ excusationem, si non detur gratia actualis interna verè ac relativè sufficiens; quia potuissent dicere Christo: non potuimus converti, nec congregari sub alis tuis; quia non habuimus gratiam actualem internam verè, ac relativè ad circumstantias, in quibus fuimus, sufficientem ad conversionem; ergo Christus injustè eos increpasset.

Prob. 2. auctoritate Ecclesiæ. Concilium Trid. Sess. 6. c. 11. ait: *Deus impossibilia non jubet.* Et Concilium Senonense declarat in decretis fidei cap. 15. de gratia interiori dicens: *Non tale est hujusmodi trahentis Dei auxilium, cui resisti non possit.* Et ibidem probat exemplo Judæorum, qui actu Spiritui Sancto resistunt Act. 9. Et Ecclesia damnavit duas primas propositiones Jansenii: præcepta quædam justis secundum præsentem, quas habent vires, esse impossibilia, & gratiæ interiori nunquam resisti. Ex quibus sic arguo: Si non daretur gratia interior verè, ac relativè sufficiens, Deus juberet impossibilia, & nulla daretur gratia, cui posset resisti: atqui Deum jubere impossibilia, repugnat auctoritati Concilii Trid. citati, ac rectæ rationi; & gratiæ interiori non posse resisti, repugnat auctoritati Ecclesiæ citatæ; ergo datur gratia interior relativè sufficiens.

Prob. 3. auctoritate S. Augustini, qui dicit Lib. 1. ad Simplic. q. 2. *Noluit ergo Esau, & non cucurrit, sed si voluisset & cucurrisset, & Dei adjutorio pervenisset, qui etiam velle, & currere vocando præstaret, nisi vocatione contemptâ reprobis fieret.* Ex quo textu sic argumentor: Si Esau cucurrisset, & pervenisset, nempe ad salutem, si vo-

luisset, vocatione non contemptâ, datur gratia verè, ac relativè sufficiens, cum qua homo potest cooperari & tamen non cooperatur: atqui Esau cucurrisset, & pervenisset ad salutem, si voluisset, vocatione non contemptâ, ut patet ex S. Augustino citato; ergo datur gratia verè, ac relativè sufficiens ad salutem actu consequendam.

Prob. 4. ratione. Si non daretur gratia verè, ac relativè sufficiens, Deus esset injustus: atqui hoc dicere blasphemia est; ergo datur gratia verè, ac relativè sufficiens. *Prob. maj.* Ille est injustus, qui præcipit sub pœna æterna id, quod servari non potest: atqui si non daretur gratia verè, ac relativè sufficiens, Deus præciperet homini sub pœna æterna, quod servare non potest, cum non haberet gratiam verè, ac relativè sufficientem ad illius præcepta servanda; ergo si non daretur gratia verè, ac relativè sufficiens, Deus esset injustus.

Prob. 2. pars, quòd gratia sufficiens in actu secundo sit entitativè actualis Dei concursus supernaturalis, quo intellectum & voluntatem supra suam naturam elevans bonum incipit, & voluntatem ad cooperandum allicit. Gratia sufficiens secundùm Theologos est illa, quâ Deus juxta S. Augustinum Lib. de grat. & lib. arb. c. 17. præparat voluntatem, & in nobis sine nobis operatur, bonum incipiens, nempe actu indeliberato, cui motioni voluntas consentire posset, si vellet, & tamen nolens non cooperatur: atqui Deus præparat voluntatem concursu supernaturali intellectum & voluntatem elevans supra suam naturam, & cum illis concursus actu in nobis sine nobis, nempe consentientibus operatur, bonum incipiens, & voluntatem ad consentiendum allicit, cui homo cooperari posset, si vellet, & tamen nolens non cooperatur, ut patet ex eodem S. Augustino; ergo gratia sufficiens in actu secundo est entitativè actualis Dei concursus supernaturalis, quo intellectum, & voluntatem supra suam naturam elevans bonum incipit, & ad cooperandum allicit, cui nolens non cooperatur; in actu verò primo est ipse concursus supernaturalis sufficiens, omnibus hominibus paratus.

Prob. 3. pars, quòd voluntas cum eodem gratiæ sufficientis

auxilio continuato, sine alio entitativè distincto, actu cooperari possit, si velit, ei tamen nolens non cooperatur, auctoritate S. Scripturæ. Isai 5. Quid est, quod ultra debui facere vineæ meæ, & non feci? &c. Prov. 1. Vocavi, & renuistis; extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret, despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis; & 2. Cor. c. 6. Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.

Ex quibus sic insituo argumentum. Si præter gratiam sufficientem aliud adhuc requireretur auxilium entitativè distinctum ad actu cooperandum, Deus potuisset aliquid facere vineæ suæ ad actu faciendas uvas bonorum operum, quod non fecit, nempe dare illud auxilium ad actu operandum, & Judæi non ex despectu, vel negligentia renuissent vocationi actu cooperari, sed ex defectu illius ulterioris auxilii entitativè distincti, sine quo non potuerunt actu cooperari: atqui hoc repugnat Scripturæ allegatæ; ergo cum eodem gratiæ insufficientis auxilio, seu concursu supernaturali continuato, sine alio entitativè distincto, actu cooperari potuissent.

Prob. eadem 3. pars ex Conciliis. Concilium Arelatense III. dicit: *Anathema illi, qui dixerit, illum, qui periit, non accepisse, ut salvus esse possit.* Et Concilium Arausicanum II. c. 25. *Hoc secundum fidem catholicam credimus, quod, acceptâ per Baptismum gratiâ, omnes baptizati, Christo auxiliante, & cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint, & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.*

Ex quibus sic argumentor. Si voluntas cum eodem gratiæ sufficientis auxilio continuato non posset actu operari bonum, sed aliud entitativè distinctum ad actu operandum requireretur, ille, qui periit, non accepisset, ut actu salvus esse possit, & non omnes, acceptâ per Baptismum gratiâ, possent ea, quæ ad salutem pertinent, actu adimplere; quia non accepissent illud auxilium entitativè distinctum, & requisitum ad actu operandam salutem: atqui hoc repugnat Conciliis citatis; ergo voluntas cum eodem gratiæ sufficientis auxilio continuato potest actu operari suam salutem, si velit, sine alio superaddito entitativè distincto.

Prob. eadem 3. pars ex S. Augustino, qui Lib. de spir. & lit. c. 34. ait: Profectò & ipsum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus misericordia ejus prævenit nos; consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriæ voluntatis est. Et Lib. de corr. & grat. c. 7. Homo! in eo, quod audieras, & teneras, in eo perseverares, si velles.

Ex quibus sic infero. Si cum eodem gratiæ sufficientis auxilio continuato homo non posset actu operari salutem, sed aliud entitativè distinctum ad actu operandum requireretur, vocationi assentire non esset propriæ voluntatis, nec potest perseverare actu, etiam si vellet; quia ad assentiendum actu vocationi, & ad perseverandum aliud adhuc requireretur auxilium entitativè distinctum à gratia sufficiente, quâ vocatur: atqui hoc repugnat S. Augustino; quia præter gratiam vocationis sufficientem nihil aliud præter velle, & propriam voluntatem requirit in locis citatis; ergo cum eodem gratiæ sufficientis auxilio continuato, sine alio superaddito entitativè distincto, potest homo operari suam salutem.

Prob. eadem 3. pars ratione. Homo cum eodem gratiæ sufficientis auxilio sine alio superaddito entitativè distincto potest actu operari suam salutem, si sine illo possit omnia actu implere Dei mandata: atqui cum gratia verè, ac relativè sufficiente sine alio superaddito gratiæ auxilio entitativè distincto omnia potest actu servare mandata; ergo sine alio superaddito entitativè distincto actu potest operari suam salutem. Prob. min. Homo cum gratia verè, ac relativè sufficiente potest actu præstare, quod actu præstandum præcipitur, aliàs actu præciperetur impossibile: atqui non solum posse observare, sed actualis mandatorum Dei observatio præcipitur; ergo cum gratia verè, ac relativè sufficiente, sine alio superaddito gratiæ auxilio entitativè distincto, omnia potest actu servare mandata.

Unde quamvis ad actu operandum opus salutare à Deo intentum requiratur gratia efficax, cooperans, adjuvans, concomitans & consequens, istæ tamen gratiæ non sunt entitativè distinctæ à gratia sufficiente, sed sunt idem Dei concursus supernaturalis cooperans, adjuvans, concomitans, ac consequens ad nostrum

Q. II. DE GRATIA SUFFICIENTE. A. I. 135

consensum continuatus, & ob diversa munera, & cooperationem ista diversa fortitur nomina, & theologicè dicitur efficax ob infallibilem nostræ liberæ cooperationis prævisionem, uti dicitur infra; & quia ex speciali Dei favore cum tali prævisione fuit concessus.

Solvuntur objectiones.

Obj. Si daretur gratia sufficiens interior, illam etiam agnovisset S. Augustinus: atqui S. Augustinus non agnovit gratiam sufficientem, sed tantum efficacem; ergo non datur gratia sufficiens. *Prob. min.* S. Augustinus Lib. de præd. Sanct. c. 8. ait: *Eos, qui non credunt, foris tantum audire, non intus.* Et Lib. de grat. Christi c. 13. *Qui novit, quid fieri debeat, & non facit, nondum à Deo dicit secundum gratiam, sed secundum legem, non secundum spiritum, sed secundum litteram:* atqui illi, qui foris tantum audiunt, non illius, qui non didicit secundum gratiam, sed secundum legem, & litteram, non censentur habere gratiam internam, sed externam; ergo S. Augustinus non agnovit gratiam internam sufficientem.

Resp. dist. min. Qui foris tantum audiunt, non intus, qui non didicit secundum gratiam, sed secundum legem & litteram, non censentur habere gratiam internam sufficientem, *con. min.* non censentur habere gratiam internam sufficientem, *neg. min. & conf.* Nam S. Augustinus in toto libro de grat. Christi hæc tria requirit à Pelagio, possibilitatem, voluntatem, & actionem divinitus adjuvari, etiam in iis, qui non bene agunt, & efficacem gratiam non habent, ut patet ex illius verbis c. 47. ubi ait: *Si consenserit nobis Pelagius non solum possibilitatem in homine, si non velit, nec agat bene, sed ipsam quoque voluntatem, & actionem divinitus adjuvari, nihil de adjutorio gratiæ Dei, quantum arbitror, inter controversiæ relinquatur.*

Inst. 1. Atqui S. Augustinus non agnovit gratiam sufficientem internam; ergo &c. *Prob. subs.* Gratia sufficiens interior est, quâ quis audit intus à Patre, nempe divinam inspirationem: atqui in mente S. Augustini omnis gratia, quâ quis intus audit à Patre, est efficax, ut pater Joan. 6. *Omnis, qui audit à Patre, & didicit, venit; profectò qui non venit, non audivit à Patre, nec*

didicit; ergo S. Augustinus non agnovit nisi gratiam interiorē efficacem, quā quis venit, & effectum habet.

Resp. dist. min. Atqui omnis gratia, quā quis audit intus à Patre efficaciter, est efficax, *con. min.* quā audit sufficienter, *neg. min. & conf.* Ait enim idem S. Augustinus Lib. de grat. Christi c. 13. *Non est autem consequens, ut qui potest venire, etiam veniat, nisi id voluerit, atque fecerit.* Supponit ergo S. Doctor, aliquos posse venire, & habere gratiam sufficientem, ut veniant, qui tamen non veniunt.

Inst. 2. Atqui S. Augustinus non agnovit gratiam interiorē sufficientem; ergo &c. *Prob. subs.* Gratia statūs innocentiae fuit diversa à gratia statūs naturae lapsae juxta S. Augustinum, qui Lib. de corrept. & grat. c. 11. ait: *Quid ergo Adam non habuit gratiam? imo habuit, sed disparem: atqui illa Adami fuit sufficiens juxta eundem S. Doctorem; ergo naturae lapsae est alia, nempe efficax.*

Resp. dist. maj. Gratia statūs naturae innocentiae fuit diversa à gratia statūs naturae lapsae secundum quid, *con. maj.* secundum omnia, ita, ut non detur gratia, etiam sufficiens in statu naturae lapsae, *neg. maj. concessa min. neg. conf.* Gratia autem statūs naturae integræ, & lapsae differunt juxta S. Thomam 1. 2. q. 109. a. 2. quia in statu naturae integræ homo illa indigebat ad usum, scilicet ad operandum, & volendum bonum supernaturale, sed in statu naturae corruptae, quantum ad duo, scilicet, ut sanetur, & alterius, ut bonum supernaturalis virtutis operetur, quod est meritorium.

Inst. 3. Atqui gratia statūs naturae innocentiae ita fuit diversa, ut nulla detur sufficiens in statu naturae lapsae juxta S. Augustinum; ergo &c. *Prob. subs.* Juxta S. Augustinum Lib. 1. ad Simplic. q. 2. Deus nullius miseretur frustra; si enim Deus misereatur, ergo jam volumus: atqui si daretur gratia sufficiens in statu naturae lapsae, Deus miseretur frustra; ergo gratia statūs naturae innocentiae ita fuit diversa, ut nulla detur sufficiens in statu naturae lapsae.

Resp. dist. maj. Deus nullius miseretur frustra ex parte sui, *con. maj.* nullius miseretur frustra ex parte creaturae, *subd.* nullius miseretur frustra efficaciter, *con. maj.* sufficienter, *neg. maj.* applicatā eadem distinctione

Q. II. DE GRATIA SUFFICIENTE. A. I. 137

min. neg. conf. Prov. 1. enim dicit Deus : *Vocavi, & renuistis &c.*

Inst. 4. Atqui si daretur gratia sufficiens, Deus illam dando frustra misereretur etiam ex parte sui; ergo &c.
Prob. subs. Deus frustra misereretur ex parte sui, si praevideat, gratiam non habituram effectum, magisque fore perniciosam ad peccatum, majoremque damnationem; quia, si homo non haberet gratiam sufficientem non peccaret, nec tantâ damnatione esset puniendus. Deinde quis dicet, medicum misereri aegroti, porrigendo illi medicinam, quam praevidet ab eo non sumendam, nec sanandum, sed potius moriendum, cum posset dare, aliam ab eo sumendam, quâ sanandus esset? atqui Deus ita ageret dando gratiam sufficientem; ergo si daretur gratia sufficiens, Deus illam dando frustra misereretur, etiam ex parte sui.

Resp. dist. maj. Deus frustra misereretur ex parte sui, si det gratiam, quam praevidet non habituram effectum, magisque fore perniciosam ex defectu gratiæ, *con. maj.* ex perversa hominis voluntate nolentis cooperari, *neg. maj.* Disparitas est inter Deum & medicum; quia medicus tenetur medicinam accommodare dispositioni aegroti; Deus autem non tenetur dare gratiam ad arbitrium creaturæ. Nec gratia necessaria est ad peccandum, nec causa peccati, sed requiritur libertas, quâ solâ peccare, & mereri potest cum gratia.

Inst. 5. Saltem sequitur, Deum non velle sincerè gratiâ sufficiente sanare aegrotum, & procurare salutem, aliâs praeferret aliam gratiam, quâ praevidit hominem salutem esse consecuturum: atqui hoc non facit; ergo Deus non sincerè gratiâ sufficiente vult sanare aegrotum, & procurare salutem.

Resp. dist. maj. subs. Saltem sequitur, Deum non velle sincerè sanare aegrotum, & procurare salutem omni modo, quo potest, *con. maj.* non vult per certa media verè sufficientia, *neg. maj. dist. rationem min.* si vellet sincerè procurare salutem efficaciter, ac omni modo, praeferret aliam gratiam, quâ praevidet, hominem salutem esse consecuturum, *con. rat. maj.* si vellet salutem procurare certo quodam modo verè sufficiente, praeferret aliam gratiam, *neg. rat. maj.* Unde Deus non

vult omnium salutem omnimodo possibili, sed cuilibet præparavit certam gratiarum seriem, per quam perveniret ad salutem, si vellet illam sequi.

Inst. 6. Atqui Deus non vult hominum salutem per certa media, & gratias sufficientes; ergo &c. *Prob. subs.* Gratia talis esset gratia communis omnibus hominibus; quia omnibus daretur: atqui ex S. Augustino Lib. de grat. & lib. arb. c. 13. & Lib. de præd. Sanct. cap. 5. non datur gratia communis. Serm. 11. & de verb. Ap. a. 4. ait: *Communis est omnibus hominibus natura, non gratia.* S. Thomas q. 24. de ver. a. 15. *In nullo inveniuntur omnes homines convenire, nisi in aliquo naturali;* ergo Deus non vult hominum salutem per certa media, & gratias sufficientes.

Resp. dist. min. Atqui non datur gratia communis habitualis, *con. min.* quia hæc non datur omnibus. Non datur gratia communis actualis, *subd.* in sensu Pelagianorum sumpta pro dono communi naturæ, ac liberi arbitrii, *con. min.* sumpta in sensu Catholico pro gratia actuali data ad opera pietatis, quando urget præceptum, *neg. min. & conf.*

Inst. 7. Atqui non datur gratia communis sumpta pro gratia actuali; ergo &c. *Prob. subs.* Si daretur gratia communis sufficiens sumpta pro gratia actuali, homo in præsentis statu posset per illam promereri perseverantiam, sicut Adam meruisset, si permanere voluisset: atqui perseverantia non potest promereri ex S. Augustino, qui Lib. de corrept. & grat. c. 11. de dono perseverantiæ dicit: *Nunc autem per peccatum perditio merito in his, qui liberantur, factum est donum gratiæ, quæ merces meriti futura est, nempe perseverantia;* ergo non datur gratia communis sumpta pro gratia actuali.

Resp. dist. maj. Si daretur gratia sufficiens, homo posset per illam promereri perseverantiam de congruo *con. maj.* de condigno, *neg. maj. dist. min.* atqui in præsentis statu non potest perseverantia promereri, sicut in statu innocentiam, *con. min.* de congruo, *neg. min. & conf.* Unde S. Augustinus loco citato dicit, quod perseverantia in Adamo meritum fuisset; quia ipsi sufficiebat gratia illuminationis, ac intellectus ad perseverandum, nunc autem insuper indigemus gratiâ volun-

Q. I. DE GRATIA SUFFICIENTE. A. V. 139

tatis, quam mereri non possumus viribus naturæ, nec cum gratia sufficiente illius perseverantiam, saltem de condigno.

Inst. 8. Atqui S. Augustinus non agnovit in præsentī statu gratiam sufficientem; ergo &c. *Prob. subs. S. Augustinus Lib. de corrept. & grat. c. 12. n. 34.* distinguit gratiam in adjutorium, *sine quo aliquid non fit*, quod est gratia sufficiens, & in adjutorium, *quo aliquid fit*, quod est gratia efficax: atqui ex S. Augustino loco citato primo hominī datum est adjutorium, sine quo perseverare non posset, *nunc verò non tale adjutorium perseverantiæ datur, sed tale, ut eis perseverantia ipsa donetur*, quod est efficax; ergo in præsentī statu S. Doctor non agnoscit gratiam sufficientem.

Resp. dist. secundum membrum min. S. Augustinus distinguit gratiam in adjutorium, quo aliquid fit formaliter, sicut homo fit beatus beatitudine, ut patet ex illius verbis, & comparatione ab ipso ibidem facta, *con. maj.* quo aliquid fit efficienter, sicut fit gratiâ efficaci, *neg. maj. dist. min.* nunc verò non tale adjutorium perseverantiæ datur Sanctis in regnum Dei prædestinatis, ut ait ibidem S. Augustinus, sed tale, ut eis perseverantia ipsa donetur; *con. min.* tale non datur aliis non prædestinatis, *neg. min. & conf.* Unde S. Augustinus in loco citato dicit, Sanctis quidem prædestinatis non solum dari adjutorium sine quo perseverare non possent, sed etiam dari donum formale perseverantiæ, quo formaliter perseverantes constituuntur, sicut Beati beatitudine formali; propterea tamen non negat aliis non prædestinatis in præsentī statu dari gratiam sufficientem, quo etiam potuissent perseverare, si voluissent, prout expressè in textu citato in prob. de Esau S. Augustinus asserit, & nullibi dicit, gratiam sufficientem fuisse solius status innocentiae. Et Lib. de spir. & litt. c. 14. ait: *In omnibus misericordia ejus prævenit nos: consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriae voluntatis est.* Ergo agnovit gratiam, cui resisti potest, quæ sufficiens est, sicut illa Adami, cui restitit.

Inst. 9. Atqui S. Augustinus in præsentī statu non agnovit aliam gratiam, quam efficacem, etiam in non prædestinatis; ergo &c. *Prob. subs. S. Augustinus ubique*

loquitur, vel de gratia operante, ut velimus, vel cooperante, cum volumus, vel adjuvante, sine qua bonum agere non possumus: atqui omnes istæ gratiæ sunt efficaces, gratiæ namque, quæ operatur, cooperatur, adjuvat, est efficax; ergo S. Augustinus in præfenti statu non agnovit aliam gratiam, quam efficacem, etiam in non prædestinatis.

Resp. dist. min. Atqui omnes istæ gratiæ sunt efficaces quoad actus deliberatos, vel indeliberatos, *con. min.* semper quoad actus deliberatos, *neg. min. & conf.* Unde in mente S. Augustini omnis quidem gratia aliquid in nobis operatur, intellectum nimirum illuminando, & voluntatem ad bonum excitando, bonum cum illa incipiens; sed non semper ita efficaciter, ut voluntas actu consentiat, & cooperetur bonum à Deo intentum. Sic Deus eleemosynam intendens hominem illuminat, & admonet de miseria pauperis, de obligatione ei succurrendi, ac præmio vitæ æternæ, motus quosdam charitatis, ac compassionis in voluntate excitat, eamque ad consentiendum allicit, sed resistente avaritiâ, & amore proprio ulterius voluntas sæpe non progreditur. Sic conversionem peccatoris intendens, peccati commissi enormitatem, periculum mortis, ac æternæ damnationis, & benignitatem Dei ostendit, timore voluntatem concutit, & ad conversionem allicit, sed passione indomitâ, consuetudine inveteratâ, respectu humano, difficultate superandâ abripitur, & vim nullam sibi inferre volens, pios illos motus gratiæ negligit, ac nolente voluntate ulteriorem effectum à Deo intentum non producit.

Inst. 10. Atqui omnes gratiæ, quas S. Augustinus admittit, ac defendit, sunt efficaces, etiam quoad actus deliberatos; ergo &c. *Prob. subs.* S. Augustinus Lib. de grat. Christi c. 12. ait: *Gratiâ agitur non solum, ut facienda noverimus, verum etiam, ut cognita faciamus.* Et c. 10. n. 11. *Nos eam gratiam volumus, iste (Pelagius) aliquando fateatur, quâ . . . nec solum suadetur omne, quod bonum est, verum etiam persuadeatur.* Et c. 47. *Confiteatur gratiam, quâ voluntas, & actio divinitus adjuvatur: atqui gratia, quâ cognita facimus, omne bonum persuadeatur, & ipsa actio adjuvatur, est efficax; ergo*

Q. II. DE GRATIA SUFFICIENTE. A. I. 141

omnes gratiæ, quas S. Augustinus admittit, ac defendit, sunt efficaces etiam quoad actus deliberatos.

Resp. dist. min. Gratia, quâ cognita facimus, omne bonum persuadetur, & ipsa actio adjuvatur, est efficax, & est sola, de qua loquitur S. Augustinus, & cum exclusione gratiæ sufficientis, *neg. min.* & non est sola, sed etiam loquitur alibi de sufficiente, & de efficaci loquitur sine exclusione gratiæ sufficientis, *con. min.* & *neg. conf.* Unde cum Pelagius negaverit gratiam actionis, ac voluntatis, hanc specialiter defendit S. Augustinus.

Inst. 11. Atqui S. Augustinus defendit gratiam efficacem cum exclusione gratiæ sufficientis; ergo &c. *Prob. subs.* S. Augustinus defendit gratiam efficacem cum exclusione gratiæ possibilitatis dicens Lib. de nat. & grat. c. 53. *Fideles orantes dicunt, & ne nos inferas in tentationem, sed libera nos à malo, si adest possibilitas, ut quid orant*; atqui gratia sufficiens est gratia possibilitatis; quia non habet effectum, sed tantum posset habere; ergo S. Augustinus defendit gratiam efficacem cum exclusione sufficientis.

Resp. dist. maj. S. Augustinus defendit gratiam efficacem cum exclusione gratiæ possibilitatis in sensu Pelagii sumptæ pro libero arbitrio, lege, & doctrina, *con. maj.* cum exclusione gratiæ possibilitatis in sensu Catholico, *neg. maj. dist. min.* atqui gratia sufficiens est gratia possibilitatis in sensu Pelagii, *neg. min.* in sensu Catholico sumpta pro gratia interna sufficiente, *con. min.* & *neg. conf.* Fideles autem orant pro gratia, quâ non solum possunt vincere, sed etiam quâ illas actu vincunt, & difficultates facilius superant.

Inst. 12. Si ita esset, S. Augustinus tantum probaret ex oratione, gratiam esse necessariam ad facilius vincendas tentationes: atqui falsum consequens; quia Pelagiani hoc non negabant, & S. Augustinus nihil contra ipsos probaret; ergo non supponit gratiam non habere sufficientem, & orandum ad tentationes facilius superandas.

Resp. dist. maj. S. Augustinus probaret gratiam uberiorem, & efficaciorē esse necessariam ad facilius vincendas tentationes, *con. maj.* probaret, omnem gra-

tiam esse necessariam ad facilius vincendas tentationes, ut dicebant Pelagiani, *neg. maj. dist. min.* atqui falsum est, omnem gratiam esse necessariam ad facilius vincendas tentationes, *con. min.* falsum est, gratiam uberiorem esse necessariam ad facilius vincendas tentationes, *neg. min. & conf.* Suppositâ gratiâ sufficiente reliquit aliquando Deus, ait S. Augustinus, magnam difficultatem, ne facilitatem in omnibus consecuti nostrum putemus esse, quod ejus est.

Inst. 13. Atqui gratia sufficiens, quam defendit S. Augustinus, est gratia possibilitatis in sensu Pelagii; ergo &c. *Prob. subs.* Gratia possibilitatis in sensu Pelagii est illa, quæ dat posse bene agere divinitus, seu acceptum à Deo: atqui gratia sufficiens, quam defendit S. Augustinus, etiam dat posse bene agere dependenter à Deo; ergo gratia sufficiens, quam defendit S. Augustinus, est gratia possibilitatis in sensu Pelagii.

Resp. dist. maj. Gratia possibilitatis Pelagii est illa, quæ dat posse bene agere dependenter à Deo, ut auctore naturæ, *con. maj.* dependenter à Deo, ut auctore supernaturali gratiæ, *neg. maj. dist. min.* atqui gratia sufficiens etiam dat posse bene agere dependenter à Deo, ut auctore gratiæ, *con. min.* ut auctore naturæ, *neg. min. & conf.* Pelagius per illud posse bene agere intelligebat vires naturæ, quæ à Deo sunt, ut Creatore rerum omnium.

Inst. 14. Saltem non est dogma fidei, dari gratiam sufficientem; ergo &c. *Prob. subs.* Si esset dogma fidei, dari gratiam sufficientem, vel esset Moliniana, vel Suareziana, quæ est Congruistarum, vel Thomistica, vel aliorum Doctorum; fides enim aliquid certi, & determinatè debet asserere: atqui neutra horum Doctorum est de fide, ut ipsimet Theologi fatentur; ergo non est dogma fidei dari gratiam sufficientem.

Resp. dist. min. Atqui neutra est de fide quoad modum explicationis, *con. min.* quoad substantiam, *neg. min. & conf.* Unde substantia dogmatis est, dari gratiam verè, ac relativè sufficientem, in quo omnes Catholici conveniunt, quomodo autem sit sufficiens, sic & explicatio illius sufficientiæ relinquitur disputationi Scholæ; sicut de fide est realis corporis Christi in Eucharistia præ-

sentia, quomodo autem sit præsens, an per adductionem, ut volunt Scotistæ, vel per reproductionem, ut docent Thomistæ, non est de fide.

Inst. 15. Atqui neutra est de fide quoad substantiam, quòd sit verè, ac relativè sufficiens; ergo &c. *Prob. subs.* Illa gratia non est verè, ac relativè sufficiens, ultra quam in præsentibus circumstantiis, in quibus obligat præceptum, adhuc alia requiritur: atqui in omnium sententia in circumstantiis, in quibus præceptum actu obligat ad operandum bonum, adhuc alia requiritur ad actu operandum, nempe efficax prædeterminans in sensu Thomistarum, & cooperans in sensu aliorum; ergo neutra est de fide quoad substantiam.

Resp. dist. maj. Illa gratia non est sufficiens grammaticaliter, & in omni genere, ultra quam adhuc alia requiritur, *con. maj.* non est sufficiens theologicè, & in suo genere, *neg. maj. dist. min.* atqui in omni sententia alia requiritur ad actu operandum nomine, & functione, *con. min.* alia entitativè, ac specie, *neg. min. & conf.* Unde Theologi, ac Ecclesia intelligunt per gratiam sufficientem illam, quæ dat actu posse bene agere, quamvis, ut actu agat, requiratur, ut voluntas consentiat, & eadem gratia continuetur, adjuvet, & cooperetur, & ob has functiones, & effectus aliter nominatur, nempe adjuvans, cooperans, vel efficax: sicut medicina ad sanitatem, cibus ad vitam, potentia motrix ad ambulandum dicuntur sufficientes relativè ad eum, qui potest sumere medicinam, & manducare cibum, & ambulare, licèt ut actu sanetur, vivat, & ambulet, debeat medicinam sumere, manducare cibum, & pedes movere, & Deus suo concursu ad tales actus concurrere, & cooperari. Sic gratia est verè, ac relativè sufficiens, etiam in circumstantiis, in quibus præceptum ad actu operandum obligat, quamvis ut actu impleatur, requiratur, ut voluntas consentiat, eadem gratia entitativè illam adjuvet, operanti cooperetur, & in actione perseverantem comitetur usque ad perfectam illius consummationem, & eadem gratia ob diversas has functiones diversa sortiatur nomina; quia si vellet voluntas cooperari, & non resisteret motioni gratiæ prævenientis, hæc omnia eadem gratia præstaret.

& qui cepit in nobis opus bonum, suo concursu supernaturali illud perficeret, prout indicat Apostolus Paulus Phil. 1. 6. & Concilium Trid. Sess. 6. c. 13. *Deus, nisi homines illius gratiæ defuerint, sicut cepit opus bonum, ita perficiet operans velle, & perficere.*

Inst. 16. Si ita esset, Deus volens convertere peccatorem expectaret, & non afficeret consensum illius voluntatis: atqui Concilium Arausicanum Can. 4. ait: *Deus non expectat nostram voluntatem, ut, à peccato purgemur; ergo &c.*

Resp. dist. maj. Deus expectaret nostram voluntatem in sensu Semipelagianorum, *neg. maj.* in sensu Catholico *con. maj. dist. min.* atqui ex Concilio Arausicano Deus non expectat nostram voluntatem viribus naturæ meritoriam, ut docebant Semipelagiani, *con. min.* non expectat nostram voluntatem pedissequam gratiæ, obedientem gratiæ, cooperantem cum gratia, *neg. min. & conf.* Unde gratia non est pedissequa pii conatus, vel initii naturæ, sed voluntas pedissequa gratiæ, quam ad conatum salutarem gratia sollicitat, & efficit, ut voluntas liberè consentiat motioni salutari.

Inst. 17. Gratia sufficiens repugnat in terminis, ergo non posset dari, quomocunque explicetur. *Prob. subs.* Gratia sufficiens esset gratia, ut supponitur, & non esset; quia auxilium sufficiens ad observationem præceptorum supernaturalium est debitum, nam Deus non potest jubere impossibilia; ergo repugnat in terminis.

Resp. dist. maj. Quod est debitum absolute, non est gratia, *con. maj.* quod est debitum ex suppositione promissionis gratuitæ, & ex gratia, non est gratia, *neg. maj. dist. min.* atqui auxilium sufficiens est debitum ex suppositione gratiæ redemptionis, elevationis, & promissionis vitæ æternæ, *con. min.* est debitum absolute, & non fundatum in gratia, *neg. min. & conf.* Deus enim potuisset nos non elevare ad finem supernaturalem, vel relinquere in massa damnationis; quod autem nobis dederit media, ac præcepta salutis, & auxilia ad illa implenda ex gratia, & non ex debito est.

Inst. 18. Si gratia sufficiens vera esset gratia, posset à Deo peti: atqui gratia sufficiens non potest peti; quia nunquam habet, nec habitura est effectum, nec illam
petit

Q. II. DE GRATIA SUFFICIENTE. A. I. 145

petit Ecclesia, sed efficacem; ergo vera non est gratia.

Resp. dist. maj. Si gratia sufficiens vera esset gratia, posset à Deo peti, ut verè sufficiens, & in genere, *con. maj.* reduplicativè, ut merè sufficiens, & effectum excludens, *neg. maj. dist. min.* atqui non potest peti, nec petitur ab Ecclesia ut merè sufficiens, *con. min.* ut verè sufficiens, & larè sumpta, prout etiam gratia efficax est sufficiens, *neg. min. & conf.*

Inst. 19. Ergo saltem, ut merè, ac theologicè sumpta non est gratia: atqui hìc agitur de gratia merè, ac theologicè sumpta; ergo theologicè sumpta est gratia, & non gratia.

Resp. dist. maj. Ergo theologicè sumpta in recto, & entitativè non est gratia, *neg. maj.* in obliquo, & quoad carentiam effectùs non est gratia, sed defectus voluntatis, *con. maj. concessã min. neg. conf.* Unde gratia, etiam theologicè sumpta, est vera gratia in recto; quia est beneficium, quo voluntas posset bene uti ad suam salutem, non verò est gratia in obliquo quoad carentiam effectùs; quia est negligentia voluntatis.

Inst. 20. Saltem datur illa parva gratia Jansenii; ergo non relativè sufficiens. *Prob. subs.* Gratia, quã Deus dat voluntatem bonam ad faciendum Dei mandatum, sed parvam, & invalidam, quã non potest illud facere, quamvis vellet, est gratia parva Jansenii, quãdam tantum velleitates producens: atqui talem dari expressè docet S. Augustinus Lib. de grat. & lib. arb. c. 17. dicens: *Qui vult facere Dei mandatum, & non potest, jam quidem habet bonam voluntatem, sed adhuc parvam, & invalidam.* Et ibid. testatur, talem habuisse Petrum, quando negavit Christum, parvam & imperfectam charitatem ab eo, qui præparat voluntatem; ergo datur illa parva gratia Jansenii.

Resp. dist. min. Atqui talem docet S. Augustinus defectu virium, ut docet Jansenius, *neg. min.* defectu voluntatis humanæ nolentis cooperari, vel derelinquere, quod nimis amabat, *con. min. & neg. conf.* Unde S. Augustinus Lib. cit. cap. 16. n. 32. ait: *Certum est, nos mandata servare, si volumus; sed quia præparatur voluntas à Deo, ab illo petendum est, ut tantum velimus, quan-*

tum sufficit, ut volendo faciamus. Certum est, nos velle, cum volumus, sed ille facit, ut velimus bonum. Et cap. 15. n. 31. Ad hoc valet, quod scriptum est, si volueris, conservabis mandata: ut homo, qui voluerit, & non potuerit, nondum se plenè velle cognoscat, & oret, ut habeat tantam voluntatem, quanta sufficit ad implenda præcepta. Unde S. Augustinus tantum vult dicere, hominem non semper habere gratiam efficacem, vel proximè sufficientem, sed à Deo esse petendam. Nam idem S. Doctor dicit de grat. & lib. arb. Deum ideo jubere aliqua, quæ non possumus, ut noverimus, quid ab illo petere debeamus; ipsa enim est fides, quæ orando impetrat, quod lex imperat.

Inst. 21. Atqui gratia, de qua loquitur S. Augustinus, est talis defectu virium; ergo &c. *Prob. subj.* Si gratia conferret vires concupiscentiæ oppositæ pares, voluntas sisteret in æquilibrio suspensa, nec posset se determinare, & quò vehementiores essent passiones, ac malæ consuetudines, eò efficaciores Deus daret gratias, aliàs non essent passionibus pares, & sic pessimis majores daret, quàm piis hominibus; & quò magis peccatores crescerent in malitia, eò majori donarentur gratia: atqui hæc videntur repugnare rectæ rationi; ergo gratia, de qua loquitur S. Augustinus, est talis defectu virium.

Resp. dist. maj. Hæc absurda sequerentur, si gratia conferret vires concupiscentiæ oppositæ pares secundum gradus, secundum quos necessariò agit, ut docet Jansenius, *con. maj.* si gratia conferret vires pares, id est, sufficientes ad vincendam quamcunque concupiscentiam oppositam, & quarum quælibet sufficit, etiam minima, *neg. maj. concessâ min. neg. conf.* Unde quando dicitur, gratiam sufficientem conferre vires concupiscentiæ oppositæ pares, intelligitur sufficientes ad illam vincendam, & quarum quælibet sufficit, etiam minima, ad illam vincendam, ut docet S. Thomas 3. p. 1. 70. a. 4. in corpore: *Minima enim gratia potest resistere cuiuslibet concupiscentiæ, & vitare omne peccatum mortale. Minima enim charitas plus diligit Deum, quàm cupiditas millia auri, & argenti.* Ac proinde non necesse est augeri gradus pro ratione malitiæ peccatoris, nec necessariò secundum gradus gratiæ, & concupiscentiæ homo agit,

Q. II. DE GRATIA SUFFICIENTE. A. I. 147

ut testatur S. Augustinus Lib. confess. c. 8. *Non faciebam, quod incomparabili affectu amplius mihi placebat.*

Inst. 22. Si minima gratia sufficeret ad superandam quamcunque concupiscentiam, frustra oramus; nam S. Augustinus Lib. de nat. & grat. cap. 10. ait: stultum esset orare, ut facias, quod habes in potestate: atqui Ecclesia tamen nos monet, ac ipse Christus ad orandum, ne intremus in tentationem; ergo minima gratia non sufficit ad superandam quamlibet concupiscentiam.

Resp. dist. maj. Si minima gratia sufficit, frustra oramus pro illa minima, *con. maj.* pro alia efficaciore, quam non solum possumus, sed etiam volumus, ac facimus, *neg. maj. dist. min.* Ecclesia, & Christus nos monet ad orandum pro illa minima gratia, *neg. min.* pro efficaciore, *con. min. & neg. conf.* Deinde gratiæ quædam sunt tantum remotè sufficientes, sic quæ sufficit ad orandum, vel ad dandam eleemosynam, ad audiendam concionem nondum sufficit ad conversionem; unde gradatim Deus nos ducit ad conversionem.

Inst. 23. In loco citato S. Thomas loquitur de gratia habituali; minima enim charitas, ait, plus diligit Deum, quam cupiditas millia auri, & argenti: atqui charitas est gratia habitualis; ergo adhuc remanet eadem difficultas.

Resp. dist. maj. S. Thomas loquitur de gratia habituali, prout comitem habet actualem, *con. maj.* de sola cum exclusione actualis, *neg. maj. concessã min. neg. conf.* Ibidem enim ait citans verba S. Augustini: *Sicut enim oculus corporis plenissimè sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere: sic homo perfectissimè etiam justificatus, nisi aeternã luce justitiæ divinitus adjuvetur, rectè non potest vivere,* ac proinde in homine justo requirit gratiam actualem, & de utraque loquitur.

CONCLUSIO II.

Gratia actualis relativè sufficiens confertur à Deo non solum omnibus justis urgente præcepto, ut Fides docet; verum etiam omnibus adultis, injustis, obduratis, & infidelibus, quæ peccata vitare, & à commissis resipiscere, vel quæ saltem ubertius per orationem, aut gratiæ remotæ cooperationem, auxilium, ac immediatè sufficiens impetrare possunt,

non verò parvulis : pro ipsis tamen aliud præparavit salutis remedium, nempe in Lege nova Baptismum, ac de illo ipsis applicando sufficienter, quantum ex se est, providit; quamvis per causas secundas, vel cursum naturæ aliquando perturbatum, vel per peccatum, aut negligentiam parentum, non obtemperando divinis inspirationibus, illo non rarò priventur.

Prob. 1. pars, quòd Deus conferat justis gratiam relativè sufficientem ad oppositam concupiscentiam, 1. ex S. Scriptura. 1. Cor. 10. 13. ait Apostolus: *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, ubi loquitur de justis, dicens in versu præcedenti, qui se existimat stare, videat, ne cadat*: atqui si Deus non conferret justis gratiam sufficientem relativè ad oppositam concupiscentiam, tentarentur ultra id, quod possunt; ergo Deus justis dat gratiam relativè sufficientem.

Prob. 2. eadem 1. pars ex Concilio Tridentino, quod Sess. 6. Can. 18. dicit: *Si quis dixerit, Dei præcepta homini, etiam justificato, & sub gratia constituto, esse ad observandum impossibilia, anathema sit*: atqui si justis à Deo non confereretur gratia relativè sufficiens, præcepta Dei ipsis essent ad observandum impossibilia; quia sine gratia sufficiente omnia observari non possunt; ergo justis confertur à Deo gratia relativè sufficiens.

Confirmatur ex damnatione primæ propositionis Jansenii, quæ sic sonat: *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus secundum præsentem, quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque illis gratia, quâ possibilia fiant*: atqui hæc propositio damnata est ab INNOCENTIO X. & ALEXANDRO VII. tanquam hæretica accedente consensu totius Ecclesiæ dispersæ; ergo de Fide est propositio opposita, Deum justis conferre gratiam relativè sufficientem, quâ præcepta ipsis fiant possibilia.

Prob. 2. pars, quòd Deus det gratiam relativè sufficientem omnibus adultis, etiam injustis, obduratis, & infidelibus, 1. ex S. Scriptura. Sap. 11. 24. *Misereris omnium*. Joan. 1. 9. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. 2. Pet. 3. 9. *Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam converti*: atqui si non daret omnibus adultis, injustis, obduratis, & infidelibus gratiam relativè sufficientem, non omnium

Q. II. DE GRATIA SUFFICIENTE. A. I. 149

misereretur, nec omnem hominem illuminaret, nec omnes vellet ad pœnitentiam converti; quia sine illa non possunt converti, ipsisque esset inutilis, si non esset relativè sufficiens; ergo Deus dat gratiam relativè sufficientem omnibus adultis, etiã injustis, obduratis, & infidelibus.

Prob. 2. eadem 2. pars. 1. Tim. 2. 4. Deus vult omnes homines salvos fieri. Concilium Trid. Sess. 6. c. 11. Deus impossibilia non jubet: atqui si Deus non daret omnibus omnino adultis justis, ac injustis obduratis, ac infidelibus gratiam sufficientem, non vellet salutem omnium omnino hominum; quia non omnibus relativè sufficientem daret gratiam ad salutem consequendam, & jubere impossibilia, nempe observantiam mandatorum, quam jubet omnibus, & quæ mandata sine gratia relativè sufficiente observare non possunt; ergo Deus omnibus dat gratiam relativè sufficientem &c.

Prob. 3. eadem pars ex SS. Patribus. S. Augustinus Lib. de spir. & litt. cap. 32. generatim dicit: Quisque, cum vult, credit. S. Prosper Lib. de vocat. gent. c. 21. Credimus, nullis hominibus opem gratiæ in totum fuisse subtractam. S. Chrysostomus hom. 7. in Joan. Gratia in omnes diffusa est non Judæum, non Græcum, non Barbarum, non Scytham &c. effugit. S. Thomas in 4. dist. 20. q. 1. a. 1. quæstiunc. 1. Deus, qui dat omnibus abundanter, nulli gratiam denegat. Nec ipsis Judæis durâ cervice, incircumcisis cordibus, & auribus, ut indicatur Act. 7. Vos semper Spiritui Sancto resistitis. Ex quibus sic argumentor: Deus dat gratiam sufficientem omnibus, etiã injustis, obduratis, & infidelibus, si omnes possint credere, ac nulli in totum subtrahat gratiam, sed in omnes Græcos, Barbaros &c. etiã Judæos duræ cervicis, & incircumcisis cordibus sit diffusa, nullique illam deneget: atqui ita est ex S. Augustino, S. Prospero, S. Chrysostomo, S. Thoma, & Act. 7; ergo Deus dat omnibus gratiam sufficientem.

Confirmatur argumento S. Thomæ 2. sent. d. 28. q. 1. a. 3. Deus non est magis crudelis, quàm homo; sed homini imputatur in crudelitatem, si obliget aliquem per præceptum ad id, quod implere non possit; ergo hoc de Deo nullo modo æstimandum; quòd nimirum obliget omnes ad cu-

ram suæ salutis, conversionem, & alia præcepta, & non det gratiam, sine qua ista præcepta implere non possent.

Prob. 3. pars, quòd Deus etiam parvulis providerit, quantum ex se est, de medio salutis. S. Augustinus Lib. 4. contra Jul. c. 8. ait in verba Apostoli: *Omnes homines vult salvos fieri: Nunquid parvuli homines non sunt, ut non pertineant ad id, quod dictum est, omnes homines: atqui si parvulis non providisset, quantum ex se est, de medio salutis, non vellet eos salvos fieri, saltem sincerè, ac rationabiliter; ergo etiam parvulis providit, quantum ex se est, de medio salutis.*

Confirmatur ratione. Si Deus quibusdam parvulis non providisset de medio ipsis applicando, præcipuè illis, quibus nullà humanà industrià Baptismus potest applicari: atqui hoc non evenit ex ipsius dispositione, sed contra ipsius dispositionem; quia ipse ita ordinavit remedium, nempe Baptismum, & naturam, ut omnibus Baptismus esset applicabilis, nisi cursus naturæ fuisset perturbatus malitià hominum inordinatè vivendo, naturam corrumpendo, vel peccata non evitando, vel inspirationes divinas negligendo; ergo omnibus providit de medio salutis. Unde S. Prosper Lib. de vocat. gent. c. 23. de gratia universis impensa quoad parvulos dicit: *Quà utique si bene eorum uterentur parentes, etiam ipsi (parvuli) per eosdem juvantur.*

Solvuntur objectiones contra primam partem, de gratia sufficiente justis concessâ.

Obj. Christus Joan. 6. 45. ait: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum:* atqui tractio fit per gratiam efficacem; tractio enim est motio actualis ad Christum, vel indicat effectum cum gratia junctum, quam non dat omnibus justis, aliàs nullus periret; ergo Deus non dat omnibus justis gratiam sufficientem, qua possunt venire ad Christum.

Resp. dist. maj. Nemo potest venire ad Christum, nisi Pater traxerit eum gratiâ sufficiente, ac præveniente per actus indeliberatos incipiendo bonum, & voluntatem ad consensum alliciendo, *con. maj.* nisi traxerit eum gratiâ efficaci, & quoad actus deliberatos, *neg.*

Q. II. DE GRATIA SUFFICIENTE. A. I. 151

maj. dist. min. atqui tractio efficax quoad actus deliberatos fit per gratiam efficacem, *con. min.* tractio sufficiens, & quoad actus indeliberatos fit per gratiam efficacem, *subd.* efficacem quoad actus indeliberatos, *con. min.* efficacem quoad actus deliberatos, *neg. min. & conf.* Unde Pater omnes justos trahit per actus indeliberatos, eos alliciendo ad bonum, ita, ut possent cooperari, si vellent, & in hoc sensu gratia sufficiens etiam est efficax quoad actus indeliberatos, quo Deus hominem trahit ad bonum; sed non omnes ita trahit, ut actu obediant. Unde ait S. Augustinus Lib. de corr. & grat. c. 20. *Aguntur enim, ut agant, non ut ipsi nihil agant, . . . quando autem non agunt, sive omnino non faciendo, sive non ex charitate faciendo, orent, ut quod nondum habent (nempe gratiam efficacem) accipiant, & per illam efficaciter trahantur.*

Inst. 1. Atqui justii non possunt venire ad Christum, nisi Pater eos traxerit tractione efficaci; ergo &c. *Prob. subf.* Si aliquis posset venire ad Christum sine tractione efficaci, ac solâ gratia sufficiente, gratia efficax non esset necessaria in præsentii statu ad salutem; quia gratia sufficiente potest salutem acquirere: atqui gratia efficax in præsentii statu necessaria est ad salutem, nec salus sine illa haberi non potest; ergo justii non possunt venire ad Christum, nisi Pater eos traxerit tractione efficaci. *Prob. min.* Salus æterna non potest haberi, nisi aliquis totam legem actu observet, & in gratia actu usque in finem perseveret: atqui gratia, quâ quis actu omnia præcepta implet, & quâ actu perseverat usque in finem, est gratia efficax; illa enim est efficax, quæ habet effectum; ergo sine gratia efficaci non potest haberi salus æterna.

Resp. dist. maj. Salus æterna non potest haberi potentiâ redactâ ad actum, nisi quis totam legem actu observet, & in gratia actu usque in finem perseveret, *con. maj.* Salus æterna non potest haberi potentiâ non redactâ ad actum, *neg. maj. concessâ min. dist. conf.* ergo sine gratia efficaci non potest haberi vita æterna potentiâ redactâ ad actum secundum, *con. conf.* potentiâ non redactâ ad actum secundum, *neg. conf.* Unde sicut aliquis non potest actu currere potentiâ redactâ ad

actum, nisi pedes moveat actu; actu tamen potest currere potentiam non redactam ad actum, quamvis actu non currat, nec pedes moveat.

Inst. 2. Atqui salus æterna non potest haberi potentiam non redactam ad actum sine gratia efficaci; ergo &c. *Prob. subs.* Homo etiam iustus sine gratia efficaci non potest omnia vitare peccata; ergo salus æterna non potest haberi potentiam non redactam ad actum sine gratia efficaci. *Prob. ant.* Divus Petrus fuit iustus, quando negavit Christum, ut docet S. Hieronymus comment. in cap. 14, 16, 26. Matth. & S. Chrysostomus hom. 83. in Matth. dicens: *Ille verò (Petrus) & si bene animatus fuerit, divino tamen subtracto auxilio, stare non potuit, vel saltem nullus expressè dicit, eum per mortale antea ex iustitia excidisse: atqui peccatum vitare non potuit; quia ex S. Chrysostomo mox citato, subtracto auxilio, stare non potuit. Et ex S. Augustino Tract. 92. in Joan. Ancillæ interrogatione perterritus non potuit verum testimonium perhibere; ergo homo iustus non potest vitare peccata sine gratia efficaci.*

Resp. dist. min. S. Petrus non potuit stare, ac verum testimonium perhibere impotentiam voluntariam; quia noluit, *con. min.* non potuit impotentiam involuntariam defectu gratiæ sufficientis, *neg. min. & conf.* S. Augustinus namque Lib. de unitate Ecclesiæ c. 9. dicit: *Quis enim dubitaverit, quòd Petrus, si voluisset, ter Dominum non negasset.*

Inst. 3. Atqui S. Petrus non potuit stare, ac verum testimonium perhibere impotentiam involuntariam defectu gratiæ; ergo &c. *Prob. subs.* Si S. Petrus negasset Christum impotentiam voluntariam, illius negatio fuisset peccatum negligentiam; quia neglexit cooperari gratiæ: atqui S. Chrysostomus hom. 31. in Ep. ad Hebr. ait: *Negatio Petri non tam erat socordiæ, ac negligentiam, quàm ex eo, quòd Deus eum deseruerat; ergo S. Petrus non potuit stare, ac verum testimonium perhibere impotentiam involuntariam defectu gratiæ.*

Resp. dist. min. Atqui negatio Petri non erat socordiæ, ac negligentiam provenientis ex torpore, vel languore, *con. min.* non erat negligentiam tumidam, inflatam, ac provenientis ex præsumptione, *neg. min. & conf.* Suis

Q. II. DE GRATIA SUFFICIENTE. A. I. 153

viribus nimis confidit, & ideo admonitus à Christo neglexit orare in horto.

Inst. 4. Atqui negatio Petri non provenit etiam ex præsumptione; ergo &c. *Prob. subs.* Si negatio Petri provenisset ex præsumptione, ideo esset; quia neglexit ex præsumptione cooperari gratiæ remotè saltem sufficienti non orando: atqui propterea non peccavit; ergo negatio Petri non provenit ex præsumptione. *Prob. min.* Si propterea peccasset; quia non cooperatus est gratiæ remotè sufficienti, infidelis negativus etiam peccaret infidelitate negativá non cooperando gratiis remotè sufficientibus, quas pro sua conversione à Deo quandoque recipit: atqui non peccat, ut patet ex damnatione propositionis 68. Baji à Pio V. ergo S. Petrus non peccavit, quia non est cooperatus gratiæ remotè sufficienti. *Prob. maj.* Infidelis negativus etiam habet aliquando gratias remotè sufficientes, quibus negligit cooperari; ergo si propterea Petrus peccavit, etiam infidelis negativus peccat.

Resp. dist. maj. Si S. Petrus ideo peccasset peccato negligentiae; quia non cooperatus est gratiæ remotè sufficienti, etiam infidelis negativus peccaret peccato infidelitatis, si infidelis negativus æquè, ac Petrus posset cognoscere obligationem gratiis sibi concessis cooperandi, & æquè fuisset admonitus de periculo, & obligatione cooperandi, sicut Petrus, *con. maj.* si non ita cognoscat, nec tantas acceperit gratias, *neg. maj. concessa min. neg. conf.* Petrus fuit admonitus à Christo de sua infirmitate, Marc. 14. 30. *Amen dico tibi; quia tu hodie in hac nocte, priusquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus, v. 27. Omnes scandalizabimini in me in nocte ista, & v. 38. Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem, & singulariter v. 37. ad Petrum: Simon, dormis? non potuisti uná horá vigilare mecum, ac proinde tot gratiis admonitus debuisset humiliari, & oratione Dei auxilium implorare, quæ omnia infidelibus non concessa sunt.*

Inst. 5. Atqui his omnibus non obstantibus Petrus non fuit culpabilis, non cooperando prædictis gratiis; ergo &c. *Prob. subs.* Ideo infidelis non est culpabilis non credendo, ac Christum profitendo; quia ignorat

obligationem cooperandi auxiliis, quibus ad fidei, ac Christi professionem pervenire posset: atqui nec Petrus agnovit obligationem cooperandi prædictis gratiis & necessitatem orandi, 1.^o quia verba Christi non erant præceptiva, sed suaviter exhortantia. 2.^o Nullum in se animadvertit inconstantiae periculum, cum paulò antea dixerit, *si oportuerit me simul commori tibi, non te negabo*; ac etiam postea gladio totam Judæorum cohortem aggressus est. 3.^o Quia etiam orando non potuisset obtinere gratiam, quâ prædictionem Christi falsam reddidisset; ergo nec fuit culpabilis.

Resp. dist. min. Atqui nec Petrus agnovit obligationem cooperandi gratiis, & necessitatem orandi sub culpa gravi, *esto*; nam SS. Patres sunt desuper divisi, an ante negationem Christi peccato negligentiae, ac præsumptionis graviter peccaverit. Non agnovit obligationem sub ullâ omnino culpa, *neg. min. & conf.* Siquidem post Christi exhortationes Petrus non potuit ignorare periculum futurum, & obligationem recurrendi ad orationem pro obtinenda gratia speciali, quam etiam potuisset obtinere, etiam non obstante Christi prædictione, quæ fuit sub conditione, videlicet nisi orer, & obtineat gratias efficaciores.

Inst. 6. Atqui S. Petrus nullam habuit obligationem orandi; ergo &c. *Prob. subs.* Si Petrus habuerit gratiam sufficientem ad vincendas omnes tentationes, & servanda Dei mandata, non erat obligatus ad orationem. Nam S. Augustinus Lib. de nat. & grat. c. 53. ait: *Si adest possibilitas, ut quid orant*: atqui Petrus, ac omnes justi, ac injusti habent gratias sufficientes, & possibilitatem; ergo nullam habuit obligationem orandi.

Resp. dist. min. Atqui Petrus, ac omnes justi, & injusti habent gratias proximè, vel remotè sufficientes, *con. min.* proximè sufficientes, *subd.* habent proximè sufficientes absolutè, ac physicè, *con. min.* moraliter sufficientes, *neg. min. & conf.* Quamvis justi, ac injusti, saltem fideles, habeant gratias, etiam proximè ac physicè sufficientes, quibus absolutè, magnaque cum difficultate præcepta Dei urgente præcepto observari possint, sæpè tamen illis in pœnam negligentiae denegantur moraliter sufficientes, quibus facillè mandata servare possent, & quas orando obtinere possunt.

Q. II. DE GRATIA SUFFICIENTE. A. I. 155

Inst. 7. Atqui aliquando iusti nec habent gratiam absolute sufficientem; ergo &c. *Prob. subs.* Si Deus quibusdam subtrahat vires obediendi, quidam nec habent gratiam absolute sufficientem: atqui iustis non prædestinatis Deus subtrahit vires obediendi, ut indicat S. Augustinus Lib. de dono persever. c. 22. dicens: *Si qui obeditis, si prædestinati estis rejiciendi, subtrahentur obediendi vires, ut obedire cessetis; ergo aliquando iusti nec habent gratiam absolute sufficientem.*

Resp. dist. maj. Si Deus quibusdam iustis subtrahat omnes omnino vires obediendi, non habent gratiam absolute sufficientem, *con. maj.* si subtrahat aliquas tantum vires, nempe speciales, quarum se indignos reddiderunt, *neg. maj. dist. min.* atqui ex S. Augustino iustis non prædestinatis subtrahit vires aliquas, nempe speciales, ac efficaces obediendi, *con. min.* omnes omnino etiam absolute sufficientes, *neg. min. & conf.* Deinde S. Augustinus prædictum textum correxit mutando non solum secundam personam in tertiam, sed etiam omittendo subtrahentur obediendi vires &c.

Inst. 8. Si S. Augustinus verba prædicta omisisset, aliquid prioris sententiæ periisset: atqui S. Augustinus dicit per suam correctionem factam nihil prioris sententiæ deperire; ergo corrigendo illa verba non omisit, vel saltem eandem sententiæ, ac opinionem retinuit.

Resp. dist. min. Atqui S. Augustinus dicit, nihil prioris sententiæ deperire quoad donum perseverantiæ, quam contra Semipelagianos defendebat, *con. min.* nihil deperire prioris sententiæ quoad subtractionem virium obediendi, *neg. min. & conf.* Unde dicit S. Augustinus: *Nonne & verius eadem res, & congruentius dicitur, nempe quoad donum perseverantiæ, quod speciale sit Dei donum non omnibus concessum.* Hinc S. Prosper de dicta correctione dicit, *quam corrigens, & mundans, atque emendans tolerabiliorem audientibus facit, quæ vera sunt temperans, quæ falsa sunt, ressecans.*

Inst. 9. Saltem non est de Fide, Deum omnibus iustis dare vires sufficientes obediendi; ergo &c. *Prob. subs.* Si esset de Fide, Deum omnibus iustis dare vires sufficientes obediendi: ideo esset; quia Deus impossibilia

non jubet; quia Concilium Trid. & S. Augustinus hanc rationem allegant: atqui hæc ratio nulla est; ergo non est de fide, Deum omnibus justis dare vires sufficientes obediendi. *Prob. min.* Si ideo esset; quia Deus impossibilia non jubet, etiam esset de Fide quoad obduratos infideles, & quoad omnes; quia nec his impossibilia jubet: atqui ut omnes Theologi communiter docent, non est de Fide quoad obduratos, ac infideles, quod illis det gratiam sufficientem; ergo non est de Fide, Deum omnibus justis dare vires sufficientes obediendi ex eo, quod impossibilia non jubeat.

Resp. dist. maj. Si ideo esset, quod omnibus justis dat gratiam sufficientem; quia impossibilia Deus non jubet, etiam esset de Fide quoad obduratos, & infideles, si id æquè de istis tanquam de Fide ab Ecclesia esset definitum, *con. maj.* si non ita sit definitum, sicut de justis, *neg. maj. concessã min. neg. conf.* Unde licet eadem rationes militent pro aliis, non ita ab Ecclesia declaratum tanquam de Fide, quamvis verè communis sit Catholicorum doctrina, & theologicè ob paritatem rationis vera sit.

Inst. 10. Atqui non est de Fide definitum, nec quoad omnes justos; ergo &c. *Prob. subs.* Si esset de Fide, Deum omnibus justis dare gratiam sufficientem, omnes justii possent in justitia accepta usque in finem perseverare sine speciali Dei auxilio; quia quilibet usque in finem omnia posset observare Dei mandata sola gratiã sufficiente, quæ non est specialis gratia, sed efficax: atqui Concilium Trid. Sess. 6. Can. 22. ait: *Si quis dixerit, justificatum, vel sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse, anathema sit;* ergo non est definitum de Fide, nec quoad omnes justos.

Resp. dist. min. Justificati non possunt ex Concilio Trid. in justitia accepta perseverare sine speciali Dei auxilio distincto à gratia habituali, id est, sine gratia actuali, *con. min.* sine speciali Dei auxilio sumpto pro gratia efficaci, vel speciali privilegio, *neg. min. & conf.* Concilium Tridentinum in loco citato tantum necessitatem gratiæ actualis declarare intendit præter gratiam habitualem.

Q. II. DE GRATIA SUFFICIENTE. A. I. 157

Inst. 11. Si hoc esset, perseverantia non esset magnum ac speciale Dei donum; quia omnes justi illud habere possunt: atqui hoc repugnat Concilio Trident. Sess. 6. Can. 16. ubi magnum perseverantiæ donum appellatur, & pariter à S. Augustino; ergo non est de Fide, Deum omnibus justis dare gratiam sufficientem.

Resp. dist. maj. Si hoc esset, perseverantia efficax & actualis non esset magnum ac speciale Dei donum, *neg. maj.* perseverantia sumpta latè pro gratia sufficiente, quâ quilibet in justitia accepta perseverare potest, *con. maj. dist. min.* atqui ex Concilio Trident. perseverantia actualis, ac efficax, & strictè sumpta, prout sumitur à Concilio Trid. Sess. 6. Can. 16. est magnum, atque speciale Dei donum, *con. min.* latè sumpta pro gratia sufficiente, quâ justus perseverare potest, si veller, prout sumitur ab eodem Concilio Sess. 6. Can. 22. *neg. min. & conf.* Per donum perseverantiæ strictè, & ordinariè intelligitur finalis, ac efficax perseverantiæ, & hæc speciale Dei donum est juxta Concilium Trid. Sess. 6. Can. 16. & S. Augustinum. In Canone verò 22. ejusdem Sessionis per speciale auxilium non intelligitur donum perseverantiæ, quo actu perseverat, sed sine quo perseverare non potest, quod est gratia sufficiens. Vide supra q. 1. a.

Inst. 12. Atqui perseverantiæ, etiam strictè sumpta, & efficax non esset speciale Dei donum; ergo &c. *Prob. subs.* Illud non est speciale Dei donum, quod quilibet justus habere potest: atqui si quilibet perseverare potest usque in finem, quilibet illud habere potest; ergo perseverantia, etiam strictè sumpta, & efficax non esset speciale Dei donum; quia ille habet speciale illud donum, qui actu perseverat: atqui quilibet actu perseverare potest; ergo perseverantia, etiam strictè sumpta, & efficax non esset speciale Dei donum.

Resp. dist. maj. Illud non est speciale donum, quod quilibet habere potest, & actu habet, *con. maj.* quod quilibet habere potest, non tamen habet, nec accipiet, *neg. maj. dist. min.* atqui quilibet justus illud habere potest, & illud habiturus est, *neg. min. & illud non est habiturus, con. min. & neg. conf.* Unde perseverantia efficax, includens ultimam gratiam efficacem, non om-

nibus datur, quamvis omnibus posset dari, & omnes illud possent mereri, saltem de congruo. Quamvis enim quilibet miles posset obtinere, victoriosè pugnando, pensionem centum aureorum: attamen speciale, ac magnum donum diceretur respectu illius, qui illam obrinet à Rege.

Inst. 13. Ex his sequeretur, eos, qui non habent gratiam efficacem finalem ac perfectam, ex suâ voluntate ac negligentia non habere: atqui S. Augustinus *Epist. 107.* reprehendit Semipelagianos, eò quòd dicerent, homines fuisse accepturos gratiam perfectam, si illi, quibus non datur, eam suâ voluntate non respicerent; ergo non datur gratia sufficiens omnibus justis.

Resp. dist. min. S. Augustinus reprehendit Semipelagianos, eò quòd dicerent, homines meritis naturæ fuisse accepturos gratiam perfectam, *con. min.* meritis gratiæ prævenientis, *neg. min. & conf.* Cum una enim gratia aliam efficaciorè mereri posse, docet S. Augustinus, & Concilium Trid. non verò meritis naturæ sine gratia.

Solvuntur objectiones contra secundam partem, de gratia sufficiente injustis concessa.

Obj. 1. Deus non dat omnibus, etiam injustis, gratiam sufficientem, si quibusdam illam in pœnam peccati deneget: atqui Deus aliquibus gratiam sufficientem deneget in pœnam peccati; ergo illam non dat omnibus, etiam injustis. *Prob. min.* Gratia, quam habuit Adamus, erat gratia sufficiens: atqui S. Augustinus *Lib. de corrept. & grat. c. 14.* dicit: *Nunc autem quibus deest tale adjutorium, jam pœna peccati est;* ergo supponit S. Augustinus, Deum aliquibus denegare gratiam sufficientem in pœnam peccati.

Resp. dist. maj. Gratia, quam habuit Adamus, erat gratia proximè, sufficiens cum perfecto ad bonum & malum æquilibrio, *con. maj.* remotè tantum sufficiens, cum majori ad malum, sicut in nobis, propensione, *neg. maj. dist. min.* atqui tale adjutorium proximè sufficiens aliquibus deest in pœnam peccati, cum perfecto ad bonum & malum æquilibrio, *con. min.* remotè sufficiens, & præsentis statûs, *neg. min. & conf.* Gratiam

Q. II. DE GRATIA SUFFICIENTE. A. II. 159

proximè sufficientem quibusdam in pœnam peccati; quia remotè sufficienti non cooperantur, deesse, nemo negat, & illam, quam Adamus habuit, cum perfecto æquilibrio ad bonum & malum nobis in pœnam peccati primi parentis deesse, insuper fatemur.

Inst. 1. Atqui quibusdam etiam deest gratia sufficiens præsentis statûs; ergo &c. *Prob. subs.* Gratia, quam habuerunt Bethsãidæ, erat sufficiens præsentis statûs: atqui Tyrii & Sidonii illam non habuerunt; ergo quibusdam etiam deest gratia sufficiens præsentis statûs.

Resp. dist. min. Tyrii & Sidonii illam non habuerunt, sed aliam, *con. min.* nullam omnino, *neg. min. & conf.*

Inst. 2. Atqui aliquibus denegatur etiam omnis gratia remotè sufficiens in pœnam peccati; ergo &c. *Prob. subs.* Quem Deus ita despicit propter peccatum, ut non ampliùs possit corrigi, nec deplorare mala sua, etiam si velit, illi denegat omnem etiam remotè sufficientem; quia cum ista posset corrigi: atqui Deus aliquos propter peccatum ita despicit, ut patet Eccl. 7. ubi legitur: *Considera opera Dei, quòd nemo possit corrigere, quem ille despexit.* Et S. Isidorus Lib. 2. sent. c. 15. *Nonnulli ita despiciuntur à Deo, ut deplorare mala sua non possint, etiamsi velint;* ergo aliquibus denegatur etiam omnis gratia remotè sufficiens in pœnam peccati.

Resp. dist. maj. Quem Deus ita despicit propter peccatum, ut non ampliùs possit corrigi, nec deplorare mala sua absolutè, & ex defectu gratiæ tam remotè quàm proximè sufficientis, illi denegat etiam gratiam remotè sufficientem, *con. maj.* si non possit corrigi, nec deplorare mala sua moraliter, id est, sine magna difficultate, & defectu gratiæ moraliter, & proximè sufficientis, *neg. maj. dist. min.* atqui Deus aliquos ita despicit, negando gratiam moraliter, ac proximè sufficientem, *con. min.* absolutè, ac remotè sufficientem, *neg. min. & conf.* Unde ait Eccles. 1. 13. *perversi difficilè corriguntur, non tamen sunt omnino incorrigibiles.*

Inst. 3. Atqui Deus aliquibus in pœnam peccati denegat, etiam gratiam absolutè & remotè sufficientem; ergo &c. *Prob. subs.* Si Deus non denegaret aliquibus gratiam absolutè, ac remotè sufficientem, retinerent gratiam remotè sufficientem, quâ possent adhuc rectè facere, cum vellent: atqui ex S. Augustino aliqui amittunt

etiam posse rectè facere ; quia Lib. 3. de lib. arb. c. 18. ait : *Iustè punitur peccator, ut, qui rectè facere, cùm posset, noluit, amittat posse, cùm velit ; ergo Deus aliquibus in pœnam peccati denegat gratiam, etiam remotè sufficientem.*

Resp. dist. min. Atqui ex S. Augustino aliqui in pœnam peccati amittunt, etiam posse rectè facere, moraliter, & posse absque difficultate, quam nolunt superare vim sibi inferendo, *con. min.* amittunt posse simpliciter, ita, ut nec cum difficultate rectè facere possent, *neg. min. & conf.* Unde in pœnam peccati ipsis subtrahuntur speciales gratiæ, quibus facilè, ac suaviter commoti rectè facere potuissent ; relinquitur tamen ipsis gratia, quâ sibi vim inferre, & difficultatem absolutè superare, vel efficaciorè obtinere possent. Unde ait S. Augustinus Lib. de grat. & lib. arb. *Qui voluerit, & non potuerit, oret, ut habeat tantam voluntatem, quanta sufficit ad præcepta implenda.*

Inst. 4. Atqui aliqui in pœnam peccati amittunt, etiam posse simpliciter rectè facere ; ergo &c. *Prob. subs.* Illi amittunt etiam posse simpliciter rectè facere, qui cogenti cupiditati etiam bonâ voluntate resistere non possunt : atqui aliqui in pœnam peccati cogenti cupiditati etiam bonâ voluntate non possunt resistere, ut indicat S. Augustinus Lib. 1. retract. c. 15. dicens : *Qui cogenti cupiditati bonâ voluntate resistere non potest, jam ita peccatum est, ut sit etiam pœna peccati ; ergo aliqui in pœnam peccati amittunt etiam simpliciter rectè facere.*

Resp. dist. min. Atqui aliqui in pœnam peccati cogenti cupiditati bonâ voluntate non possunt resistere quoad sensum, *con. min.* non possunt resistere quoad consensum, *neg. min. & conf.* S. Augustinus loquitur de cupiditate involuntaria, de qua S. Apostolus Paulus Rom. 7. 19. dicit : *Non enim quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago ;* quæ verba S. Augustinus explicat cit. libro retract. dicens : *Verumtamen non perficit bonum ; quia inest adhuc concupiscentia, cui repugnat voluntas, cujus concupiscentiæ reatus in Baptismate solvitur, sed infirmitas manet.*

Inst. 5. Atqui juxta S. Augustinum aliqui in pœnam peccati cogenti cupiditati non possunt resistere, etiam quoad

Q. II. DE GRATIA SUFFICIENTE. A. I. 161

quoad consensum; ergo &c. *Prob. subs.* Si non possent resistere cupiditati tantum quoad sensum, bene autem quoad consensum, non esset peccatum: atqui ex textu citato S. Augustini non possunt resistere, ita, ut jam peccatum sit; ergo juxta S. Augustinum aliqui in pœnam peccati cogenti cupiditati non possunt resistere, etiam quoad consensum.

Resp. dist. min. Atqui ex S. Augustino non possunt resistere, ita, ut jam peccatum sit propriè dictum, ac sumptum pro effectu, ac pœna peccati, ut ipsemet se explicat, *con. min.* ita, ut jam peccatum sit propriè dictum, *neg. min. & conf.* Unde S. Augustinus sumit peccatum in eo sensu, in quo Apostolus citatus ait v. 20: *Si autem, quod nolo, illud facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum, nempe concupiscentia, quæ est effectus, ac pœna peccati.*

Inst. 6. Atqui aliqui peccatores, nullâ omnino potentiâ possunt bene facere; ergo &c. *Prob. subs.* Aliqui tantum possunt bene facere, uti Æthiops pellem suam mutare, vel pardus varietates suas, prout indicat Jeremias 13. 23. de Judæis dicens: *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas, & vos poteritis bene facere, cum didiceritis malum:* atqui Æthiops nullâ potentiâ potest mutare pellem suam, nec pardus varietates suas; ergo aliqui peccatores, nec potentiâ physicâ possunt bene facere.

Resp. dist. maj. Aliqui tantum possunt bene facere, uti Æthiops potest pellem suam mutare, vel pardus varietates suas viribus naturæ, seu naturaliter, *con. maj.* supernaturaliter, & per gratiam, *neg. maj. concessâ min. dist. conf.* ergo aliqui nullâ omnino potentiâ possunt bene facere naturaliter, *con. conf.* divinitus, & cum gratia, *neg. conf.* Unde apud homines hoc impossibile est, videlicet viribus naturæ bene facere ut oportet ad salutem, apud Deum autem omnia possibilia sunt. Matth. 19. 26. nempe cum gratia.

Inst. 7. Atqui aliqui non possunt bene facere, etiam supernaturaliter, & per gratiam; ergo &c. *Prob. subs.* Quod impossibile est, nec divinitus, & per gratiam potest fieri: atqui Hebr. 6. 21. dicit Apostolus: *Impossibile est eos, qui semel illuminati sunt . . . & prolapsi*

sunt, rursus renovari ad pœnitentiam; ergo aliqui non possunt bene facere potentiâ physicâ, etiam supernaturaliter.

Resp. dist. maj. Quod impossibile est tam naturaliter, quàm supernaturaliter, nec divinitus, & per gratiam potest fieri, *con. maj.* quod impossibile est naturaliter, non verò supernaturaliter, nec divinitus, & per gratiam potest fieri, *neg. maj. dist. min.* atqui impossibile est naturaliter eos, qui semel illuminati sunt, & prolapsi sunt, ad pœnitentiam rursus renovari, *con. min.* impossibile est supernaturaliter, *neg. min. & conf.*

Inst. 8. Atqui multi nec supernaturaliter possunt renovari ad pœnitentiam, quia nullam omnino habent gratiam; ergo &c. *Prob. subs.* Qui ita obdurati sunt, ut necessario peccent, & peccatum non imputetur, nullam omnino habent gratiam: atqui aliqui ita obdurati, ac deserti sunt, ut necessario peccent, & peccatum ipsis non imputetur, ut indicat S. Augustinus Lib. de nat. & grat. c. 22. dicens: *Desertus itaque fit cæcus, & plus, necesse est, offendat.* Et de Pharaone in expos. quarumdam propof. Ep. ad Rom. n. 62. ait: *Non ergo hoc illi imputatur, quod tunc non obtemperârit, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat; ergo multi nullam omnino habent gratiam.*

Resp. dist. min. Atqui aliqui ita obdurati, & deserti sunt, ut necessario peccent necessitate voluntariâ, & morali sumptâ pro magna difficultate non peccandi, & non imputatur directè ad novam culpam; quia in eadem pergunt, *con. min.* aliqui necessario peccant necessitate absolutâ, ac physicâ, & peccatum non imputatur, indirectè, & in causa & ut continuatum, *neg. min. & conf.* Unde ait S. Augustinus, Pharaoni non imputari directè, quòd non obtemperârit, sed indirectè; quia dignum se præbuit, cui cor obduraretur priori infidelitate. Ibid. Et Lib. de perfect. just. resp. 15. ait: *Peccatum est . . . sive hoc voluntate vitari possit, sive non possit; quia si potest, præsens voluntas hoc facit, si non potest, præterita voluntas hoc facit.*

Inst. 9. Atqui aliqui ita deserti sunt, ut necessario peccent necessitate absolutâ & physicâ; ergo &c. *Prob. subs.* Qui deserti sunt omni lumine veritatis, necessario

Q. II. DE GRATIA SUFFICIENTE. A. I. 163

peccant necessitate absolutâ & physicâ : atqui aliqui deserti sunt omni lumine veritatis , ut indicat S. Augustinus Lib. de perfect. just. cap. 19. cæcum appellans desertum omni lumine veritatis, & Lib. ad Simplic. q. 2. ait : *Obdurationem esse, Deum nolle misereri*, Et Eph. c. 5. & c. 2. ait Apostolus : Ephesii erant in tenebris sine Christo, sine Deo, sine spe promissionis; ergo aliqui ita deserti sunt, ut necessariò peccent necessitate absolutâ & physicâ.

Resp. dist. min. Atqui aliqui deserti sunt omni lumine veritatis ex propria culpa; quia veritati nolunt oculos aperire, *con. min.* ex defectu gratiæ sufficientis, *neg. min. & conf.* Unde ait S. Augustinus Lib. 17. quæstionum in Matth. 13. 15. non vident; quia & *oculos suos clausurunt, ne videant oculis*, nempe veritatem.

Inst. 10. Atqui deserti sunt omni lumine veritatis ex defectu gratiæ; ergo &c. *Prob. subs.* Si aliquam adhuc haberent gratiam, Deus eorum adhuc vellet misereri eos adjuvare, & aliquam impertire gratiam : atqui Deus aliquorum non vult misereri, nec adjuvare, nec gratiam impertire, ut indicat S. Augustinus Lib. 1. ad Simplic. q. 2. dicens : *Ut obduratio Dei sit nolle misereri; & Tract. 53. in Joan. Sic excæcat, sic obdurat Deus deserendo, & non adjuvando; & Epist. 105. Deus obdurat non impertiendo malitiam, sed non impertiendo gratiam; ergo deserti sunt omni lumine veritatis ex defectu gratiæ.*

Resp. dist. min. Atqui Deus aliquorum non vult misereri, & eos adjuvare speciales gratias impertiendo, *con. min.* non impertiendo sufficientes, *neg. min. & conf.*

Inst. 11. Atqui Deus aliquibus nullam omnino impertitur gratiam; ergo &c. *Prob. subs.* Aliqui peccando moriuntur, ut in duello : atqui isti nullam habent gratiam se convertendi, & salvandi; ergo Deus aliquibus nullam omnino impertitur gratiam.

Resp. dist. min. Atqui isti non habent gratiam se convertendi in actuali peccato; implicat enim, ut simul peccent, & convertantur, habent tamen gratiam non peccandi, *con. min.* ita, ut nec habeant gratiam non peccandi, *neg. min. & conf.* Unde ait S. Augustinus : *Qui penitenti veniam promisit, peccanti diem crastinam non promisit.*

Inst. 12. Atqui non omnes habent gratiam relativè sufficientem ad non peccandum; ergo &c. *Prob. subs. S. Augustinus* de seipso fatetur Lib. 8. conf. c. 5. se habuisse certam jucunditatem, quæ nondum erat idonea ad superandam priorem vetustate roboratam: atqui jucunditas gratiæ, non idonea ad superandam priorem vetustate roboratam, non est relativè sufficiens ad non peccandum; ergo non omnes habent gratiam relativè sufficientem ad non peccandum.

Resp. dist. min. Atqui jucunditas gratiæ nondum idonea ad superandam priorem vetustate roboratam non est relativè sufficiens proximè, *con. min.* non est remotè sufficiens, *neg. min. & conf.* Potuisset autem gratiâ illa remotâ obtineri proximè sufficiens, prout idem S. Doctor indicat Lib. de grat. & lib. arb. c. 17. ubi ait: *Deum ideo jubere aliqua, quæ non possumus, ut noverimus, quid ab illo petere debeamus: ipsa enim est fides, quæ orando impetrat quod lex imperat.*

Obj. 2. Si infideles haberent gratiam sufficientem, esset per Jesum Christum: atqui infideles non habent gratiam per Jesum Christum, ut indicat S. Augustinus *serm. 154. de verb. Apost.* aliàs 5. c. 11. n. 16. dicens: *Pagani enim, qui non habent gratiam Dei per Jesum Christum;* ergo infideles non habent gratiam sufficientem.

Resp. dist. min. Infideles non habent gratiam per Jesum Christum, illam, de qua S. Augustinus in citato loco loquitur, *con. min.* nullam habent omnino, *neg. min. & conf.* S. Augustinus in loco citato loquitur de gratia, de qua loquitur Apostolus dicens: *Miser ego; quis me liberabit de corpore mortis hujus? gratia Dei per Jesum Christum;* nempe non tantum per mortem, sed etiam per resurrectionem à mortuis, resurgendo in resurrectionem vitæ; hanc pagani non habent.

Inst. 1. Atqui pagani nullam habent gratiam per Jesum Christum, de qua hîc agitur, est actualis illuminans intellectum, & movens voluntatem: atqui pagani tales non sentiunt; aliàs non essent in ignorantia invincibili, sed peccarent infideles negativi peccato infidelitatis; quia possent, & deberent cooperari gratiæ sufficienti, quod à S. Pio V. damnatum est, ut suprâ dictum; ergo pagani nullam habent gratiam per Jesum Christum.

Q. II. DE GRATIA SUFFICIENTE. A. I. 165

Resp. dist. min. Atqui pagani tales non sentiunt, id est, non attendunt, nec reflectunt, quòd ad fidem perducant, *con. min.* nullas habent, *neg. min. & conf.* Illuminantur enim, ut possint cognoscere Deum, ac eum adorare, & colere, & si hoc facerent, etiam ad cognitionem Christi ac Evangelii pervenirent, ut docet S. Thomas lect. 3. in cap. 10. ad Rom. dicens: *Si qui tamen eorum fecissent, quod in se est, Dominus eis secundum suam misericordiam providisset mittendo eis prædicatorem fidei, sicut Petrum Cornelio.*

Inst. 2. Atqui multi infideles nullas omnino habent gratias per Christum; ergo &c. *Prob. subs.* Illi non habent gratiam per Christum, quos Deus excæcat, ac indurat, ut non videant oculis, & intelligant corde, & sanentur: atqui Deus multos ita excæcat, & indurat, ut Joan. 12. 39. indicatur: *Propterea non poterant credere, quia iterum dicit Isaias, excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis, & intelligant corde, & sanem eos;* ergo multi nullas omnino habent gratias per Christum.

Resp. dist. min. Atqui Deus multos ita excæcat, negativè, subtrahendo gratias speciales in pœnam peccatorum, *con. min.* multos excæcat, positivè, impertiendo malitiam, vel negativè, subtrahendo omnes gratias etiam remotè sufficientes, *neg. min. & conf.* Unde prout dicit S. Augustinus Epist. 194. Deus non indurat impertiendo malitiam, sed illis, qui negligunt cooperari bonis inspirationibus ad evitanda peccata, & facienda bona, ut eleemosynas, orationes &c. *non impertiendo misericordiam, eos vocando, ut eis congruere videt, ut vocantem non respuant, sequitur ex illarum culpa propria excæcatis.*

Inst. 3. Atqui Deus multos excæcat, ac indurat subtrahendo omnes gratias, etiam remotè sufficientes; ergo &c. *Prob. subs.* Si illis, quos Deus excæcat, & indurat, non omnes subtraheret gratias, potuissent credere, & si gratiam remotè sufficientem habuissent, potuissent oratione efficaciores obtinere: atqui ex textu citato non poterant credere, & de Antiocho 2. Machab. c. 9. dicitur: *Orabat autem hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus.* Et Heb. 12. de Esau: *Non invenit penitentia locum, licet cum*

lacrymis quaesivisset illum; ergo Deus multos excæcat, ac indurat subtrahendo omnes gratias, etiam sufficientes.

Resp. dist. min. Atqui non poterant credere impotentia consequente, voluntaria, non deposita duritia, & cæcitate, & Antiochus, ac Esau non potuerunt malè orando obtinere efficaciores; quia temporalia tantùm petebant, & non orabant, prout oportebat, *con. min.* non poterant credere impotentia antecedente, & involuntaria, nec efficaciores obtinere, orando, ut oportet, *neg. min. & conf.* Unde ait S. Augustinus Tr. 53. in Joan. *Quare non poterant credere; quia nolebant.* Et ibid. *Non poterant credere, non quia mutari in melius homines non possunt, sed quamdiu talia sapiunt, non possunt credere.* Obduratio enim est adhæsiō voluntatis ad malum, quamdiu autem aliquis adhæret malo, non potest velle bonum; nisi à malo recedat.

Inst. 4. Atqui non poterant credere impotentia antecedente, ac involuntaria; ergo &c. *Prob. subs.* S. Paulus Rom. 10. 14. ait: *Quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante?* atqui multi non habuerunt prædicantem; ergo non poterant credere impotentia antecedente, ac involuntaria.

Resp. dist. min. Atqui multi non habuerunt prædicantem; quia suis peccatis, & resistendo gratiis remotè sufficientibus impediverunt, ne prædicantem haberent, *con. min.* quia non potuerunt habere prædicantem hominem, vel etiam Angelum, ut putat S. Thomas, si gratiis ipsis concessis cooperati fuissent, *neg. min. & conf.*

Inst. 5. Atqui multi non habuerunt gratias remotè sufficientes; ergo &c. *Prob. subs.* Gratia remotè sufficiens est gratia orationis: atqui non habentes fidem non habent gratiam orationis juxta Apostolum citatum Rom. 10. 14. dicentem: *Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt?* ergo multi non habuerunt gratias remotè sufficientes.

Resp. dist. min. Atqui non habentes fidem, nec habent gratiam orationis, nec possunt illam habere, *neg. min.* non habent gratiam orationis, possent tamen illam habere, cooperando aliis gratiis, *con. min. & neg. conf.* observando enim legem naturalem, & cooperando aliis

Q. II. DE GRATIA SUFFICIENTE. A. I. 167

gratiis, ac inspirationibus infideles potuissent ad cognitionem Dei, ac fidem pervenire.

Inst. 6. Atqui infideles nullam habuerunt gratiam, quâ ad fidem potuissent pervenire, nec habere potuerunt; ergo &c. *Prob. subs.* Fides est omnium prima gratia, prout indicat Concilium Trid. Sess. 6. c. 8. dicens: *Fides est humanæ salutis initium, fundamentum & radix omnis justificationis.* Et S. Augustinus Lib. de gest. Pelag. c. 14. *Fides initium est, unde bona opera incipiunt.* Et Lib. de prædest. Sanct. c. 7. de fide ait: *Ipsa prima datur, ex qua impetrentur cætera, quæ propriè opera nuncupantur, in quibus justè vivitur:* atqui infideles fidem non habent, & primam gratiam non potuerunt mereri, vel suis viribus obtinere; ergo nullam habent gratiam, nec habere potuerunt.

Resp. dist. maj. Fides inchoata, sumpta pro gratia actuali præparante, & excitante ad fidem, est omnium prima gratia, *con. maj.* fides perfecta, formata, sumpta pro gratia habituali, est prima omnium, *subdist.* est prima, quâ justè vivitur, & quâ proximè homo ad justificationem disponitur, *con. maj.* est prima simpliciter, antequam nulla alia datur, quâ homo ad fidem disponitur, *neg. maj. dist. min.* atqui infideles fidem formatam, sumptam pro gratia habituali, non habent, & primam gratiam non potuerunt mereri, sed impedire, *con. min.* fidem non habent initialem, sumptam pro gratia actuali sufficiente perveniendi ad fidem, nec illam impediverunt, *neg. min. & conf.* Nam S. Augustinus ait de Cornelio: *Quidquid igitur, & antequam in Christum crederet, & cum credidisset, bene operatus est Cornelius; totum Deo dandum est, ne fortè quis extollatur;* ergo ex S. Augustino datur gratia ante fidem, saltem perfectam, in Christum, & requisitam ad salutem; sine gratia enim Cornelius non potuisset bene operari ante fidem.

Inst. 7. Atqui non omnes habent fidem inchoatam; ergo &c. *Prob. subs.* S. Augustinus Lib. de præd. Sanct. c. 8. ait: *Fides igitur, & inchoata, & perfecta donum Dei est: & hoc donum quibusdam non dari, omnino non dubitet, qui non vult manifestissimis sacris litteris repugnare;* ergo non omnes habent fidem inchoatam.

Resp. dist. conf. Ergo non omnes habent fidem inchoatam per prædicationem Evangelii, qualem habent catechumeni, vel qualem habuit Cornelius, *con. conf.* non omnes habent fidem inchoatam, sumptam pro gratia actuali sufficiente, ac præveniente, *neg. conf.* Unde S. Augustinus Lib. 1. ad Simp. q. 2. triplicem distinguit gratiam fidei, nempe *primam* sumptam pro inspiratione de Cornelio dicens: *Nulla modo autem credidisset, nisi vel secretis per visa mentis, aut spiritus, vel manifestioribus per sensus corporis admonitionibus vocaretur.* Secundam, quæ est in catechumenis dicens: *Sed in quibusdam tanta est gratia fidei, quanta non sufficit ad obtinendum regnum cælorum, sicut in catechumenis, sicut in ipso Cornelio, antequam Sacramentorum participatione incorporaretur Ecclesiæ.* Et tertiam perfectam, de qua ait ibid. *In quibusdam verò tanta est gratia fidei, ut jam corpori Christi & sancto Dei templo deputentur.* Prima datur omnibus, non verò secunda, licet tantum sit inchoata, nec tertia; quia primæ non cooperantur.

Inst. 8. Atqui non omnes habent fidem inchoatam, sumptam pro gratia sufficiente perveniendi ad fidem; ergo &c. *Prob. subs.* Fides, sumpta pro gratia sufficiente, seu inspiratione, est illa, unde bona opera incipiunt: atqui non omnibus Deus dat, unde bona opera incipiunt; ergo non omnes habent fidem inchoatam, sumptam pro gratia sufficiente perveniendi ad fidem. *Prob. min.* Quos Deus dimittit ingredi vias suas, illis non dat, unde bona opera incipiunt; quia per vias suas, quæ sunt naturales, non possunt bona opera incipere: atqui Act. 14. dicitur de infidelibus: *Qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas; ergo non omnibus Deus dat, unde bona opera incipiunt.*

Resp. dist. min. Atqui infideles dimisit ingredi vias suas, non dando ipsis gratias speciales ac efficaces, *con. min.* nullas ipsis dando gratias, *neg. min. & conf.* S. Prosper Lib. 2. de voc. gent. c. 4. etiam de istis ait: *Eos non ita dimisisse ingredi vias suas, ut eos ad cognoscendum se, atque metuendum nullis significationibus admoneret . . . qui quidem in comparatione electorum videntur abjecti, sed nunquam sunt manifestis, occultisque beneficiis abdicati.*

Inst. 9. Atqui Deus dimisit infideles ingredi vias suas, nullam, nec sufficientem dando ipsis gratiam ante fi-

Q. II. DE GRATIA SUFFICIENTE. A. I. 169

dem formatam; ergo &c. *Prob. subs.* Si gratia eorum tantum est, quorum est ipsa fides, qui ipsam fidem, nempe formatam non habent, nec habent gratiam, etiam sufficientem: atqui gratia eorum tantum est, quorum est ipsa fides, ut indicat S. Augustinus Lib. de grat. & lib. arbit. c. 13. dicens: *Gratia per fidem JESU CHRISTI eorum tantum est, quorum est ipsa fides*; ergo infideles nullam, nec sufficientem recipiunt gratiam ante fidem formatam.

Resp. dist. min. Atqui gratia sanctificans eorum tantum est, quorum est ipsa fides, *con. min.* gratia actualis eorum tantum est, quorum est ipsa fides, *neg. min. & conf.* S. Doctor enim in loco citato loquitur de gratia sanctificante contra Pelagianos.

Inst. 10. Atqui illi, qui non habent ipsam fidem perfectam, nullam habent gratiam actualem; ergo &c. *Prob. subs.* Si illi, qui non habent fidem formatam, haberent gratiam actualem, gratia omnibus hominibus daretur: atqui S. Augustinus Epist. 167. ad Vitalem ait: *Scimus, gratiam non omnibus hominibus dari*; ergo illi, qui non habent fidem perfectam, nullam habent gratiam actualem.

Resp. dist. min. Atqui gratia habitualis, vel efficax non omnibus hominibus datur, *con. min.* gratia sufficiens non omnibus hominibus datur, *neg. min. & conf.* unde gratia efficax non omnibus datur.

Inst. 11. Atqui nec gratia actualis sufficiens omnibus hominibus datur; ergo &c. *Prob. subs.* Si Deus omnibus daret gratiam sufficientem ad vitanda omnia peccata, continuo tentatis, continuo conferret gratias, & omnium sordium, ac flagitiorum cæno se volutans plus quam centum piis in Deum, vel adorationem motibus gratiæ perfundi, & ferè continuo agitari deberet, & sic esset benevolentior sceleratissimis, ac impiis hominibus, quam piis, ac innocentissimis: atqui S. Augustinus Lib. 4. contra Jul. ait: *Deus non est benevolentior sceleratissimis, & impiis hominibus, quam innocentissimis*; ergo nec gratia actualis sufficiens omnibus hominibus datur.

Resp. dist. maj. Flagitiorum cæno se volutans ferè continuo gratiæ motibus agitari deberet, si illos non susteret, ac impediret, *con. maj.* si illos impediat,

prout solet facere, *neg. maj. concessã min. neg. conf.* Concilium Senonense contra Lutherum decret. 15. definit: *Divina gratia semper est in promptu, nec momentum quidem præterit, in quo non stat ad ostium, & pulset, cui si quis aperuerit januam, intrabit ad illum.* Et Christus venit salvos facere peccatores, & sani non indigent medico, ut ipsemet dicit. Et S. Augustinus in Psal. 91. *Non cessat satanas suadere malum, sed nec cessat Deus admonere bonum, Satanas autem non cogit invitum: in tua potestate est consentire, aut non consentire, nempe adjuvante gratiã sufficiente,*

Inst. 12. Si Deus daret omnibus hominibus gratiam sufficientem, ideo esset, quia illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: atqui S. Augustinus in Enchir. cap. 103. in hunc textum ait: *Deum illuminare omnem hominem, non quia nullus est, qui non illuminatur, sed quia, nisi ab eo nullus illuminatur; ergo Deus non dat omnibus gratiam sufficientem.*

Resp. dist. min. Atqui S. Augustinus intelligit hunc textum non de omnibus quoad illuminationem efficacem, *con. min.* quoad sufficientem, *neg. min. & conf.* S. Augustinus Lib. 1. ad Simp. q. 2. ait: *Fiunt ergo inchoationes quædam fidei conceptionibus similes, non tamen solum concipi, sed etiam nasci opus est, ut ad vitam perveniat æternam.* Unde omnes quidem lumen aliquod fidei concipiunt, quo etiam in ipsis nasceretur fides, si cooperari vellent, & ad vitam pervenirent æternam.

Solvuntur objectiones contra tertiam partem, de mediis salutis parvulis concessis.

Obj. 4. Deus non satis providit parvulis de medio salutis, nempe Baptismo, si illud multis nullã hominum industriã, Deo nolente, applicari possit: atqui multis nullã hominum industriã Baptismus applicari potest, Deo nolente, prout indicat S. Augustinus Lib. de dono pers. c. 12. n. 31. dicens: *Plerumque festinantibus parentibus, & paratis ministris, ut Baptismus parvulo detur, Deo nolente non datur, cum paululum in hac vita non tenuit, ut daretur; ergo Deus non satis providit parvulis de medio salutis, nempe Baptismo.*

Q. II. DE GRATIA SUFFICIENTE. A. I. 171

Resp. dist. maj. Deus non satis providit parvulis de medio salutis, si nullâ hominum industriâ, Deo nolente tam voluntate antecedente, quàm consequente, applicari possit, *con. maj.* si tantum, Deo nolente voluntate consequente non possit applicari, *neg. maj. dist. min.* atqui Baptismus multis nullâ hominum industriâ applicari potest, Deo nolente voluntate consequente, nolendo impedire cursum naturæ, secundum quem moriuntur, antequam baptizari possunt, *con. min.* Deo nolente voluntate antecedente, quâ vult omnes homines salvos fieri, etiam parvulos, *neg. min. & conf.* Unde ait S. Thomas in 4. dist. 6. a. 1. ad 1. *Non est ex defectu misericordiae, quod in maternis uteris existentibus remedium non exhibetur, sed quia non sunt capaces illius remedii. . . . quia non possunt subjici operationi ministrorum Ecclesiae.* Unde sicut voluntas salvandi omnes homines conditionata est; si gratis ipsis paratis cooperentur, sic etiam quoad parvulos est conditionata, si salutis remedium applicari possit, illiusque applicatio non impediatur à causis secundis.

Inst. I. Atqui multis parvulis Baptismus applicari non potest, Deo nolente voluntate etiam antecedente; ergo. *Prob. subs.* Si Deus naturæ cursum ita instituit cum prævisione, multis secundum illius cursum Baptismum nullâ hominum industriâ applicare posse, voluntate antecedente noluit, ipsis Baptismum applicari; ait enim S. Prosper in resp. ad 4. object. Vincentianam: *Insanum omnino, & contra rationem est dicere, voluntatem Dei ex Dei voluntate non fieri, nempe voluntatem salvandi parvulos voluntate disponente naturæ cursum non fieri: atqui Deus, naturæ cursum instituit, in quo prævidit, multis parvulis nullâ hominum industriâ Baptismum posse applicari; ergo multis parvulis Baptismus applicari non potest Deo nolente voluntate etiam antecedente.*

Resp. dist. min. Atqui Deus naturæ cursum directè & hac intentione ita instituit, in quo prævidit multis parvulis Baptismum nullâ hominum industriâ posse applicari, *neg. min.* indirectè, voluntate permissivâ; permittendo cursum naturæ ab ipso rectè institutum ita corrumpi, & alterari, ut multis parvulis nullâ hominum industriâ amplius possit applicari, *con. min. &*

neg. conf. Deus enim voluntate antecedente rectè naturæ cursum instituit, ita ut nec adultus, nec parvulus fuisset mortuus; permisit tamen lapsum Adami, & mortem inde securam, etiam parvulorum quandoque sine Baptismo; & per mortem Christi restaurando naturam corruptam cuilibet homini seriem gratiarum præparavit, quibus quilibet ad salutem pervenisset, nisi propriâ voluntate ex illa excidisset, vel illorum voluntate, quibus prædictas gratias concedidit, ut sunt parentes, & quibus Sacramenta commissa sunt. Innumeri autem infantes concipiuntur, ac nascuntur in loco, tempore, & à parentibus, à quibus juxta Dei institutionem non deberent nasci, nec concipi; quos enim nascuntur extra matrimonium, vel in matrimonio à parentibus, qui non debuissent juxta Dei voluntatem invicem, sed cum aliis jungi, & in alio loco, & tempore, ita, ut pauci sint à constitutione mundi, qui in eo loco, & eo tempore, & ab illis parentibus, & in iis circumstantiis nascuntur, in quibus debuissent nasci secundum primam mundi institutionem, ita, ut Pater cœlestis usque modo operetur suis gratis extraordinariis, ut lineæ gratiarum rectè institutæ, quibus quilibet fuisset salvatus, iterum redintegrentur. Unde parvuli non Dei dispositione, sed cursu naturæ, à parentibus, vel eorum antecessoribus alterato, privantur aliquando Baptismi remedio, quem cursum libertate hominum mutatum Deus tanquam provisor universalis miraculoso modo contra communem naturæ cursum mutare non tenetur, nec convenit; quamvis providentiâ suâ ordinariâ, & per regnum, quod intra nos est, suâ gratiâ inspirante omnia redintegrare, indefinenter conetur.

Inst. 2. Atqui Deus non solum permissivè, sed directè, & voluntate antecedente voluit, multos parvulos nullâ hominum industriâ ad remedium salutis pervenire; ergo &c. *Prob. subs.* Illos Deus non solum permissivè, sed directè voluntate antecedente voluit, nullâ hominum industriâ ad remedium salutis pervenire, quos contra cursum naturæ generalem illum positivè impediendo ex solâ suâ voluntate voluit in utero matris perire; atqui Deus multos contra cursum generalem naturæ, illum positivè impediendo, ex solâ suâ

Q. II. DE GRATIA SUFFICIENTE. A. I. 173

voluntate voluit perire in utero matris; ergo Deus non solum permissivè, sed directè & voluntate antecedente voluit multos parvulos nullâ hominum industriâ ad remediâ salutis pervenire. *Prob. min.* Quos Deus voluit, & jussit in utero matris occidi, illos non solum permissivè, sed contra cursum naturæ generalem, illum impediendo, ex solâ suâ voluntate voluit, in utero matris perire: atqui multos in utero matris jussit occidi in subversione multarum civitatum, ut in diluvio, ac combustione Sodomæ & Gomorrhæ, voluit, parvulos in utero matris perire; ergo Deus multos contra cursum generalem, illum impediendo, ex solâ suâ voluntate voluit perire in utero matris.

Resp. dist. min. Atqui Deus multos in utero matris jussit occidi, & eos voluit perire, indirectè voluntate consequente ob peccata parentum puniendâ, *con. min.* Deus multos parvulos in utero matris jussit occidi directè & hac intentione, ut remedio salutis priventur, & voluntate antecedente, *neg. min. & conf.* Voluntate namque antecedente etiam hos, qui in utero matris perierunt in diluvio, & combustione Sodomæ, Deus voluit ad salutis remedium pervenire; quia etiam pro ipsis remedium salutis instituit, quod etiam ipsis fuisset applicatum, nisi peccata parentum pœnas sibi attraxissent, quibus ipsorum infantes per accidens remedio illo salutis fuerunt privati.

Inst. 3. Ex hac responsione sequeretur, infantes portare iniquitatem parentum: atqui Ezech. 18. 21. *Filius non portabit iniquitatem patris*, nempe quoad pœnam æternam; ergo non privantur remedio salutis ob peccata parentum.

Resp. dist. maj. Ex hoc sequeretur, infantes portare iniquitatem parentum quoad pœnam propter peccata parentum infligendam, *neg. maj.* quoad pœnam propter iniquitatem primi parentis ipsis debitam, *con. maj. dist. min.* atqui filius non portabit iniquitatem patris immediatè quoad pœnam æternam, *con. min.* non portabit iniquitatem patris totius generis humani defectu remedii salutis ei applicati, *neg. min. & conf.* Unde pœna, si infantes in utero matris morientes aliquam sustineant, non propter peccata parentum immediatorum ipsis im-

ponitur, sed propter illa tantum aliquando remedium salutis ipsis non applicatur, & propterea poenam aliunde debitam ob peccatum originale subire coguntur, & sic non iniquitatem patris, sed peccati originalis portarent.

Inst. 3. Atqui saltem infantes saepe privantur medio salutis & pereunt in utero matris sine culpa parentum; ergo &c. *Prob. subs.* Si infantes semper perirent v. g. in utero matris culpa parentum, S. Augustinus non recurreret pro ratione reddenda ad inscrutabilia Dei iudicia; in promptu enim fuisset dicere, id fieri culpa parentum: atqui Lib. citato de dono persever. ad inscrutabilia Dei iudicia recurrit; ergo infantes saepe etiam privantur medio salutis sine culpa parentum.

Resp. dist. min. S. Augustinus ad inscrutabilia Dei iudicia recurrit pro reddenda ratione comparative, & quod rationes particulares, cur sic negligetur unus infans, & non alius, *con. min.* quoad rationem generalem pro ratione reddenda absolute, & simpliciter, *neg. min. & conf.*

Inst. 4. Atqui infantes aliquando privantur remedio salutis sine ulla culpa parentum; ergo &c. *Prob. subs.* Saepe infans patris impii, ac infidelis pervenit ad Baptismum, & alius parentum piorum, ac fidelium in utero matris tonitru percussus sine applicatione Baptismi: atqui si infantes privarentur remedio salutis ex culpa parentum non deberet ita fieri, sed contrarium, videlicet infans patris iusti, qui est sine culpa, deberet ad Baptismum pervenire, & alius parentis impii ob illius culpam eo privari; ergo infantes aliquando privarentur remedio salutis sine ulla culpa parentum.

Resp. dist. min. Atqui si ita fieret ex culpa theologica; non deberet sic fieri, sed contrarium, *con. min.* si fiat ex culpa quacunque, *neg. min. & conf.* Unde infantes non semper ex culpa theologica privantur Baptismo, sed quia concipiuntur in loco, vel tempore, in quibus non debuissent concipi, & nasci juxta Dei dispositionem, ut supra dictum est, vel quia mater admonita interna inspiratione, ut se in alium locum eo tempore, quo tonitru percussus, conferat, obtemperare neglexit, vel alteri inspirationi occultae, ac internae faventi saluti infantis resistit.

Q. II. DE GRATIA SUFFICIENTE. A. I. 175

Inst. 5. Saltem Deus non vult sincerè omnibus infantibus applicari Baptismum; ergo &c. *Prob. subs.* Qui facilè posset impedire, ne proximus incidat in foveam & pereat, & non facit, non censetur eum sincere velle conservare in vita, sed illius mortis fit reus: atqui Deus facilè posset impedire, ne multi infantes priventur Baptismo, & tamen non facit; ergo non vult sincerè omnibus infantibus applicari Baptismum.

Resp. dist. min. Atqui Deus facilè posset impedire, ne multi infantes priventur Baptismo tanquam provisor particularis impediendo cursum naturæ; vel liberum hominum arbitrium, *con. min.* ut provisor generalis, & conservando libertatem, ac cursum naturæ universalem, *neg. min. & conf.* Oportet enim, ut provisor generalis aliquem defectum in aliquo particulari permittat, ne impediatur, vel perturbetur bonum totius universi, ut docet S. Thomas 1. p. q. 22. a. 2. ad 2, nec expedit omnibus promiscuè, & æqualiter remedium salutis conferre, prout idem S. Doctor indicat Lib. 2. de vocat. gent. c. 24. ut manifestum fiat, eos, qui salvi fiunt, non meritò, sed gratiâ liberari. . . & sic ostenditur, & quid conferat gratia, & quid prævaricatrix mereatur natura, ut nec contra Deum elevetur superbia, nec contra periculum cesset industria.



ARTICULUS II.

DE EFFICACIA GRATIÆ.

Prænot. 1. **G**RATIA efficax grammaticaliter, seu juxta significationem nominis sumpta, est ea, quæ non solum dat posse, sed etiam actu operari & potest dici efficax 1.º latè, & secundum quid in actu primo, videlicet secundum virtutem gratiæ prævenientis intrinsecam, & actus indeliberatos, sive effectum fortietur sive non, in quo sensu etiam gratia sufficiens potest dici efficax. 2.º Potest dici efficax in actu primo strictè, ac theologicè, & est eadem virtus intrinseca gratiæ prævenientis, sed prout certò, ac infallibiliter consensum voluntatis liberè, & tanquam singulare Dei

donum est illatura : dicitur efficax theologicè ; quia Theologi de hac agunt , prout infallibilitatem effectûs , & quidem metaphysicam , libertatem à necessitate , ac singulare Dei donum importat. 3.º In actu secundo , & est eadem virtus gratiæ prævenientis prout , actu voluntatem præveniendo , actu quodam indeliberato suaviter , ac moraliter ad liberè cooperandum illam allicit , & volentem concursu supernaturali physicè adjuvat , ac eidem cooperando , & eum concomitando , effectum à Deo intentum actu producit , & sic simul includit gratiam prævenientem , adjuvantem , cooperantem , & concomitantem , quæ nonnisi operatione differunt , ut de gratiæ divisione dictum est.

2. Gratia alia est efficax remotè quoad aliquos actus pietatis , vel actus fidei incompletos , & inchoatos quorundam mysteriorum faciliores , quibus voluntas præparatur ad difficiliore , ut fidei perfectæ , & charitatis animatæ ; quamvis etiam possit dici proximè efficax quoad prædictos actus imperfectos , non verò quoad perfectos à Deo intentos , non quidem defectu virium in sensu Jansenii , sed defectu voluntatis , nolentis ulterius cum gratia cooperari. Alia est proximè , ac completè efficax quoad opus salutis à Deo ultimè intentum.

3. Delectatio est vitalis voluntatis motus in objectum , ut bonum , ac conveniens naturæ & rationi , sibi in ejus possessione complacentis , vel in illud absens tendentis ; & duplex est , alia nimirum indeliberata est , quæ rationis advertentiam ac voluntatis consensum antecedit. Alia est deliberata , quæ cum advertentia rationis ad voluntatis consensum sequitur. Utraque est vel cœlestis , proveniens à gratia , quæ ad bonum honestum , ac supernaturale movet ; vel terrena , proveniens à concupiscentia vel suggestionem dæmonis , quæ ad malum sub ratione boni delectabilis trahit ; & utraque potest esse victrix , & superior ; victrix , si voluntatis consensum certò evincit ; superior , si majores habet vires relativè , & comparata ad delectationem oppositam , minores habentem vires.

4. Delectatio gratiæ potest intelligi , vel in sensu formali , prout ipsa est delectatio formaliter ; vel in sensu causali , prout illam in nobis causat : de hac ait

S. Au.

Q. II. DE EFFICACIA GRATIÆ. A. II. 177

S. Augustinus Lib. de nupt. & concup. c. 30. *Condelectatio legi Dei secundum interiorem hominem de magna nobis venit gratia.*

5. Determinare est movere potentiam indifferentem à statu indifferentiæ ad actum determinatum v. g. ad amorem, vel ab uno ad alium actum, v. g. ab odio ad amorem: prædeterminatio duplex est, nempe moralis, quæ est invitatio quædam objectiva nihil imprimens potentia, quo physicè movetur, vel retrahitur, sed tantum metaphoricè, & moraliter per modum allucientis, ut suavione, illustratione, deprecatione, consilio, comminatione, iussione, lectione, auditione concionis, inspiratione internâ, vel externâ. Alia est physica, quæ est influxus physicus causæ primæ non solum in effectum, sed etiam in ipsam causam secundam, quo Deus illam non tantum moraliter, sed physicè, & activè movet, & applicat ad actum secundum juxta modum, & proprietatem illius, videlicet necessariam necessariò, & liberam liberè, & juxta Thomistam est 1.º prævia non tempore, sed naturâ, & causalitate; quia est causa motionis causæ secundæ. 2.º Est physica; quia physicè movet causam secundam. 3.º Infallibiliter cum effectu connexa; quia, cum actu causam secundam ad effectum, & actum secundum moveat & applicet, impossibile est, ut actu non agat, ut indicat S. Thomas 1. 2. q. 10. a. 4. ad 3. dicens: *Si Deus movet voluntatem ad aliquod, impossibile est poni, quòd voluntas ad illud non moveatur.* 4.º Moveret quamlibet causam secundum modum illius & proprietatem, ut docet S. Thomas, videlicet necessariam necessariò; quia dispositiones illius, secundum quas eam movet, talem effectum necessariò exigunt, ut in igne combustionem stupæ; & liberam liberè; quia dispositiones, secundum quas potentiam liberam movet, non necessariò talem actum exigunt, sed liberè annuente, ac consentiente potentia liberâ, ac seipsum in suo ordine determinante, ut patet ex S. Thoma hic q. 83. a. 1. dicente: *Quia homo per liberum arbitrium seipsum movet ad agendum.* Moveret ergo Deus, ait Billuart de Deo Tom. 2. pag. 214. potentiam liberam non præcisè, ut moveatur, & nihil agat, neque determinat præcisè, ut determinetur, sed movet, & determinat tanquam pri-

mum movens, ut ipsa tanquam secundum movens primo subordinatum in suo ordine se etiam moveat, determinet, & agat, & quidem liberè. Si Thomistæ intelligerent, causam secundam simul, & in eodem instanti naturæ, & causalitatis agere cum prima; quia est causa sui actûs in suo ordine, sicut Deus in ordine causæ primæ, rectè dicerent, & non differrent ab iis, qui concursum simultaneum admittunt. Differunt tamen, quia prætendunt actionem primæ causæ esse naturâ priorem actione causæ secundæ; quia est causa physica, ac efficiens actionis causæ secundæ, sed non attendunt, etiam causam secundam esse causam ejusdem actionis, & duas causas diversi ordinis posset simul agere, & eundem producere effectum, quod indicare videtur S. Augustinus Lib. conc. c. 10. dicens: *Quamvis tamen voluntas suâ utatur potestate, nihil facit, quod Deus non facit*; faciunt ergo ambæ causæ eandem actionem simul in eodem instanti, quælibet in suo ordine, Deus ut causa prima universalissima, & homo ut causa secunda & particularis: In supernaturalibus Deus gratiâ excitante nos præveniendo; quia in supernaturalibus non potest homo sua virtute naturali incipere, nec Deus prævisâ operatione movetur ad dandam gratiam, quia est in debita. In naturalibus verò inclinatione naturali voluntatis nostræ prævisâ ad dandum suum concursum movetur, quia naturæ est debitus; & se eidem accommodat, ac conformat, sicut & naturæ aliarum causarum.

6. Differunt tamen præmotio moralis & physica, 1.º quia morali solummodo creaturæ cognitione præditæ moveri possunt; non enim ignis, arbor &c. precibus, minis &c. moveri possunt, bene autem prædeterminatione physicâ. 2.º Moraliter tantum invitatur, physica applicatur. 3.º Moraliter Deus, & omnes creaturæ movere possunt; Deus, & Angeli ad bonum, dæmones ad malum, homines ad utrumque, & aliæ creaturæ saltem objectivè; physicè verò solus Deus influxu physico, ut causa prima, alias movet.

7. Certum est apud Theologos orthodoxos 1.º dari gratiam efficacem, & saltem primam, ac prævenientem esse gratuitam. 2.º Non esse necessariam efficacem ad posse actu agere, potentiâ non redactâ ad actum secundum, bene autem ad actum operari, potentiâ redactâ

Q. II. DE EFFICACIA GRATIÆ. A. II. 179

ad actum secundum; quia eo ipso, quod potentia reducatur ad actum secundum, ac bonum actu operatur, supponitur gratia efficax, potentiam actu adjuvans, & eidem cooperans. 3.^o Gratiam efficacem esse singulare Dei donum. 4.^o Infallibiliter ex parte Dei, & contingenter, ac liberè ex parte voluntatis esse connexam cum effectu.

8. His notatis quæritur, per quid gratia efficax præveniens theologicè, & in actu primo, sumpta, cum infallibilitate, libertate, singulari Dei dono constituitur; gratia enim adjuvans, cooperans, & concomitans pertinent ad actum secundum; & supponunt consensum voluntatis, ad quem physicè in actu secundo gratia adjuvans voluntatem adjuvat, cooperans cooperatur, & concomitans eam concomitatur, prout indicare videtur S. Augustinus de spir. & litt. c. 33. dicens: *Profecto & ipsum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus misericordia ejus prævenit nos: consentire autem vocatione Dei, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriæ voluntatis est.* Et Lib. 1. ad Simplic. q. 2. ait: *Ut velimus, suum esse voluit Deus, & nostrum, suum vocando, nostrum sequendo, non solis propriis viribus, sed gratia adjuvante, cooperante, & concomitante.*

9. Circa hanc quæstionem gratiæ efficacis errores sunt, primus Prædestinatorum, qui ex Libris S. Augustini malè intellectis circa annum 415. initium sumpsit, & nono sæculo resuscitatus fuit à Gorteschalco genere germano, professione monacho S. Benedicti, qui in fine poenitens mortuus est, ac illius error à variis Conciliis particularibus damnatus, regnante Carolo Calvo sopitus, tandem à Luthero, Calvino, Wicleffo, ac Joanne Hus renovatus, asserentibus efficaciam gratiæ repetendam esse à decreto Dei absoluto antecedente, voluntatem physicè prædeterminante, ac necessitante, remanente solâ libertate à coactione, nec posse voluntatem gratiæ motioni resistere, & ita agi gratiâ, ut nihil agat, sed merè passivè se habeat.

Secundus est Michaëlis Baji, qui, anno 1513. apud Belgos natus, anno 1550. Laureâ doctorali & an. 1551. SS. Litterarum Professurâ donatus, 1567. à S. PIO V. quoad 76. propositiones solemnè constitutione damnatus, à GREGORIO XIII. illius successore an. 1579. con-

firmatâ, ac an. 1580. suo errori renuntians, an. 1589. mortuus est, non verò cum ipso ipsius error, qui circa gratiam in hoc consistebat, quòd duplicem tantum admitteret amorem, nempe theologicum, quo diligitur Deus ut finis ultimus; & mundanum, seu vitiosam cupiditatem, quæ creaturæ tanquam fini ultimo inhæret, afferreretque, nullam remanere libertatem sub motione gratiæ, nisi à coactione, nec eam valere, nisi ad peccandum.

Tertius error fuit Jansenii, an. 1585. apud Batavos nati; an. 1617. Laureâ Doctoratûs insigniti; an. 1630. regius sacrarum Litterarum Professor instituti; an. 1638. Episcopus Iprensis consecrati; an. 1638. peste extincti, legato suo opere, *Augustinus* inscripto, suo Capellano, qui errore Baji infectus erat, ut hic illud, utpote iudicio Ecclesiæ subjectum, typis mandari curaret, quod 1651. ab URBANO VIII. prohibitum fuit; a. 1653. quinque famosæ propositiones ex illo excerptæ ad INNOCENTIUM X. delatæ ab eodem solemnî constitutione damnatæ sunt; an. 1656. ALEXANDER VII. declaravit, illas ex libro Jansenii, cui titulus: *Augustinus*, excerptas, ac in sensu obvio auctoris, & à Jansenio intento fuisse damnatas; an. 1705. CLEMENS XI. constitutiones suorum prædecessorum renovans, declaravit, definitionibus prædecessorum suorum silentio respectuoso minimè satis fieri, sed credulitatem mente, ac animo deberi, non solum ut præfatæ præpositiones juris sunt, quatenus videlicet hæreticæ sunt damnatæ; sed etiam ut sunt facti dogmatici, quatenus scilicet excerptæ ex libro Jansenii. Tandem an. 1713. CLEMENS XI. 101. propositiones ex libro reflexionum moralium in novum Testamentum Quæsnelli Oratorii Presbyteri extractas constitutione celebri *Unigenitus* ab universalî Ecclesia dispersa receptâ damnavit, quæ in illis quinque Jansenii fundantur, repõnentis efficaciam gratiæ in delectatione cœlesti indeliberata præveniente, & relativè ad gradus concupiscentiæ oppositos superiori, ac victrici, voluntatem physicè necessitante. *Major enim delectatio*, inquit Lib. 4. de grat. c. 6. *nunquam sanè delectatione minore superabitur*; & Lib. 8. c. 8. *Perspicuè apparet, impossibile esse, ut adiutorium illud cœlestis delectationis non determinet, imò prædeterminet voluntatem; quia facit, ut velis, & sine illa velle non possis; facit etiam, ut ardentius velis, & sine*

illa ardentius velle non possis ; facit denique , ut necesse sit animum sequi , & secundum illud operari , quod amplius delectaverit. Et sic juxta Janfenium delectatio unicum est pondus, quo voluntas movetur. Nam Lib. de grat. Christi c. 7. ait : *Voluntas sine delectatione velle , aut moveri nullo modo potest.* Et sicut majus pondus minus necessario superat, ita & major delectatio necessario vincit minorem, solaque remanet libertas à coactione; quia, quod ex delectatione fit juxta ipsum, liberè fit, quia voluntariè fit.

10. Opiniones Scholæ sunt octo. *Prima* est Thomistarum, efficaciam gratiæ repetentium ex prædeterminatione physica voluntatem, per gratias prævenientes externas, & internam præparatam, applicante ad actum. Si quæras, cur hunc potius prædeterminet ad amorem Dei, quàm ad odium, & non alium eodem modo prædeterminet; respondent, quia præveniente tali gratiâ, quæ dat tantum posse, & voluntas, aliis gratiis externis præparata tali modo, potius exigit prædeterminari ad amorem Dei, quàm ad odium, non autem voluntas alterius non ita præparata; & in hoc sensu prædeterminationem posse dici postdeterminationem, & postdefinitionem; quia Deus ad illam dandam moraliter ab exigentiâ creaturæ determinatur. Vide Goudin de Scientia Dei Tract. 2. q. 2. a. 2. pag. 449. & 461. & Billuart Tom. 2. de Deo uno, Diff. VIII. a. 5. p. 306. & 298. & addunt, libertatem salvari; quia prædeterminatio non tantum dat agere, sed etiam modum, liberè scilicet agere, sicut causis necessariis necessario agere, & voluntatem posse in sensu diviso, antequam actu agit, ei resistere; quia deficiente eam potest impedire, ut non exigit prædeterminari: non autem in actu composito, dum actu agit; quia implicat simul agere, & non agere, sicut de concursu simultaneo dici debet, cum Deus actu concurrat, eum non posse actu non agere. *Secunda* est Scotistarum, dicentium, efficaciam gratiæ constitui decreto concomitante ac determinante, genio illius, cui datur, congruo, infallibiliter cum effectu connexo; quia non prævenit, sed comitatur consensum, ac determinationem voluntatis modo ipsi congruo. *Tertia* est eorum, qui se Augustinianos appellant, efficaciam gratiæ collocantes in cœlesti quadam delectatione victrice, voluntatem ad

consensum non absolutè, ac physicè, ut volunt Jansenistæ, sed moraliter necessitante, sicut mille aurei pro unica Missa dicenda quemlibet Sacerdotem ad illam dicendam moverent, vel ad aliud regi servitium exhibendum, sive fiat per superioritatem delectationis, ut docent Lovanienses, sive per vehementiam motionis, ut volunt alii cum Haberto. *Quarta* Molinæ, ac Molinistarum rigidiorum, qui efficaciam gratiæ ex solo voluntatis consensu repetunt, & illam à gratia sufficiente per solum consensum distinguunt. *Quinta* est Suarez, & aliorum Congruistarum, quorum aliqui eam in sola congruitate cum voluntate hominis, tali affecta temperamento, complexione, affectione, & circumstantiis, reponunt; alii in certa ipsius entitatis gratiæ efficaciâ intrinsecâ tanquam principio intrinseco, & circumstantiis, ac voluntatis dispositionibus, in quibus Deus prævidet eum, cui datur, infallibiliter cooperaturum. *Sexta* est Thomasini, qui eam in multitudine, varietate, consonantia, conspiratione plurium auxiliorum interiorum, & exteriorum reponit, quæ seorsim, non verò simul effectu frustrari possunt, sed etiam obstinatissimos ad consensum trahunt. *Septima* eorum est, qui efficaciam gratiæ humanitùs inexplicabilem dicunt, ac illius ineffabilitate ac difficultate suam ignorantiam excusant. *Octava* denique est eorum, qui dicunt, gratiam efficacem theologicè sumptam, prout includit infallibilitatem effectûs, libertatem voluntatis, ac singulare est Dei donum, in actu primo esse ipsam entitatem gratiæ prævenientis excitantem, seu operantem, quæ idem sonant, cum prævisione infallibili liberæ cooperationis voluntatis, ex speciali misericordia præ alia consensum voluntatis non illaturâ, ab æterno à Deo decretam, in tempore dandam. Unde in recto dicit ipsam entitatem gratiæ prævenientis, quâ Deus iniriium operis salutaris in nobis sine nobis liberè cooperantibus incipit, & voluntatem ad consentiendum moraliter allicit; & in obliquo præscientiam conditionatorum, vel mediam, quâ Deus voluntatem infallibiliter ac liberè cooperaturam prævidet; & ipsum decretum, quo hanc præ alia, effectum non illaturâ ex speciali misericordia dare decrevit, & sic gratia efficax entitativè & secundum se, & ex parte voluntatis

est versatilis; quia effectum ex parte sui contingenter producit, & effectus est liber, ac contingens ex parte voluntatis; quia voluntas potest cooperari, vel non cooperari, & tamen infallibilis ex parte Dei; quia Deus voluntatem prævidet infallibiliter, ac liberè cooperaturam: & est singulare Dei donum; quia hanc præ alia, effectum non illaturâ, ex speciali misericordia dare decrevit. Hic modus explicandi gratiam efficacem videtur clarior, & modo loquendi S. Scripturæ, ac SS. Patrum conformior, ut patebit ex probationibus & solutionibus.

CONCLUSIO I.

Gratia efficax theologice, ac in actu primo strictè sumpta non constituitur per prædeterminationem physicam in sensu Calvinii, & aliorum Prædestinatianorum voluntatem physicè necessitantem; nec per delectationem cælestem relativè victricem in sensu Jansenii, pariter necessitantem, ut Fides docet; nec per decretum Dei absolutum in sensu Thomistarum prædeterminans, vel in sensu Scotistarum concomitans, ac condeterminans, non præsuppositâ scientiâ Dei mediâ; nec per delectationem in sensu Augustinianorum victricem, moraliter duntaxat necessitantem; nec per solum voluntatis consensum in sensu Molina; nec per solam congruitatem internam, seu virtutem aptatam voluntati, ac natam ad exprimendum illius consensum in sensu Mascarenæ; nec per externam, à tempore, loco, circumstantiis, indole &c. sumptam in sensu Suaresii; nec per solam multitudinem auxiliorum in sensu Thomasini.

Prob. 1. & 2. pars contra Prædestinatianos & Jansenistas, quòd gratia efficax non constituatur per prædeterminationem in sensu Calvinii, nec in delectatione victrice Jansenii, 1.º ex Concilio Trid. quod Sess. 6. Can. 4. dicit: Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium, à Deo motum, & excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti. . . neque posse dissentire, si velit, . . nihil omnino agere, merèque passivè se habere, anathema sit! Et INNOCENTIUS X. ac ALEXANDER VII. constitutionibus, à tota Ecclesia dispersa admittis, damnârunt propositionem 4. Jansenii ut hæreticam, asserentem, Semipelagianos hæreticos esse, eò quod vellent, gratiam talem esse, cui possit humana voluntas resistere, vel obtemperare.

Ex quibus sic argumentor : Est de Fide ex Concilio Trid. & propositione damnata, liberum hominis arbitrium, à Deo motum & excitatum, nempe gratiâ quâcunque, posse resistere, si velit, & assentiendo non merè passivè se habere : atqui physicæ prædeterminationi in sensu Calvini, & delectationi victrici Jansenii liberum hominis arbitrium à Deo motum non potest resistere; utriusque enim motio antecedentem, & absolutam, ac physicam infert necessitatem, ut ipsi faterur, & assentiendo merè passivè se habet voluntas, ut faterur Calvinus; ergo gratia efficax non constituitur per prædeterminationem physicam in sensu Calvini, nec per delectationem victricem Jansenii.

Prob. 2.º ex SS. Patribus. S. Augustinus Lib. de nat. & grat. c. 65. universaliter ait : In recto faciendo, nullum est vinculum necessitatis. Et Lib. de spir. & litt. c. 34. Consentire autem vocationi Dei, vel ei dissentire propria voluntatis est. Et S. Thomas I. 2. q. 9. a. 6. ad 3. Homo per rationem determinat se ad volendum hoc, vel illud, quod est verè bonum, vel apparens bonum : atqui si gratia efficax constitueretur per physicam prædeterminationem, vel delectationem physicè necessitantem, esset vinculum necessitatis, consentire, vel dissentire non esset propriæ voluntatis, nec per rationem se determinaret, sed antecederet determinaretur; ergo gratia efficax non constituitur per physicam prædeterminationem in sensu Calvini, nec per delectationem victricem in sensu Jansenii.

Prob. 3.º ratione argumento ad hominem. Quilibet in semetipso animadvertit, se posse ad mandatum patris vel superioris, quem valde amat, ob temperare, hoc vel illud pro diversitate objectorum, vel rationum agere, & pro sola demonstratione libertatis ab actione incepta desistere, vel illam continuare : atqui si physica prædeterminatione, vel delectatione necessitante ad unum quis esset determinatus, non posset ad mandatum alterius, pro libitu, vel pro ostentatione libertatis quolibet momento agere, vel non agere, sed necessariò, & infallibiliter ageret, prout prædeterminatus est, & quilibet inobediens, vel malè agens posset se excusare dicendo, se non esse prædeterminatum ad aliter agendum, & frustranea essent omnia mandata ac præcepta;

quia homines non possent aliter agere, quàm sunt prædeterminati, quæ omnia absurda sunt; ergo non potest dari prædeterminatio physica necessitans ad unum.

Prob. 4.º specialiter 2. pars, contra Jansenistas. Si gratia efficax constitueretur per delectationem victricem, ideo esset, quia S. Augustinus dicit in Epist. ad Gal. *Quod amplius nos delectat, secundum id operemur, necesse est*: hic enim textus malè intellectus præcipuum est Jansenii fundamentum: atqui id, quod magis delectat, non semper, & necessariò operamur necessitate antecedente; hoc enim S. Augustinus nullibi dicit, sed contrarium; ergo gratia efficax non constituitur per delectationem victricem Jansenii. *Prob. min. S. Augustinus Libr. 8. confess. cap. 8. dicit: Et non faciebam id, quod & incomparabili affectu mihi magis placebat.* Et Tract. 26. in Joan. *Videte quomodo trahit Pater, docendo delectat, non necessitatem imponendo*: atqui si id, quod magis delectat, semper, & necessariò operamur, etiam S. Augustinus fecisset id, quod incomparabili affectu magis placebat, & gratia delectando necessitatem imponeret, quod utrumque ex S. Augustino falsum est; ergo non semper, & necessariò id, quod magis delectat, operamur.

Prob. 5.º eadem 2. pars contra Jansenistas. Si gratia efficax constitueretur per delectationem Jansenii, ideo esset, quia delectatio est sola ratio, & pondus, quo voluntas movetur, & majus minùs necessariò superat: atqui delectatio non est sola ratio, quâ voluntas movetur, & major delectatio minorem non necessariò superat; ergo gratia efficax non constituitur per delectationem Jansenii. *Prob. min. Delectatio non est sola ratio, ac pondus, quo voluntas movetur, si diverso, & innumerabilibus modis moveatur, ut timore gehennæ, motivo officii, legis, præcepti, etiam repugnante totâ naturâ, vim sibi ipsi inferendo*: atqui ita est ex S. Augustino Lib. de corr. & grat. c. 5. *Isti sic, illi aliter, atque alii aliter diversis, & innumerabilibus modis vocantur, ut refoventur.* Et Lib. I. contra duas Epist. Pelag. *Trahitur ergo miris modis, ut velit, ab illo, qui novit in ipsis hominum cordibus operari . . . ut volentes ex nolentibus fiant.* Lib. de corr. & grat. cit. *Non vis tibi tua*

vitia demonstrari, ut fiat tibi utilis dolor, quo medium quæras .. quasi aut nihil agat timor corrupti hominis, vel pudor, vel dolor. S. Prosper contra Collatorem c. 7. *Trahit timor, principium enim sapientiæ timor Domini.* Et Matth. 11. *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Et Concilium Trid. Sess. 6. Can. 8. ait: *Gehennæ metu à peccato abstinemus.* Hoc idem docet experientia quotidiana, motivo officii, legis, præcepti nos facere res minimè delectantes, vim naturæ inclinationi inferendo, delectationes maximas carnis repellendo, mortificationem, carnis macerationes amplectendo; ergo delectatio non est sola ratio, vel pondus, quo voluntas movetur, & majus minus superat.

Prob. 3. pars contra Thomistas. Vide ea, quæ dicta sunt alibi de læsione libertatis, & contra Prædestinarianorum prædeterminationem, quæ quoad principium eadem est, ac Thomistarum, licet non easdem admittat conclusiones, & errores. Prædeterminatio physica juxta ipsos Thomistas pertinet ad ipsum actum secundum, & actu agere; quia ipsam potentiam, proximè ad agendum præparatam gratiâ sufficiente, applicat ad actum: atqui hic non est quæstio inter Theologos de actu secundo, ad quem gratia adjuvans, cooperans, & concomitans concurrir, sed de gratia efficaci in actu primo theologicè, ac strictè sumpta, per quam potentia ita proximè præparatur, & excitatur, ut exigit in actu secundo adjuvari concursu actuali supernaturali, seu Dei gratia adjuvante, cooperante, & concomitante potius ad amorem Dei, quàm ad odium; ergo gratia efficax in actu primo strictè, ac theologicè sumpta non potest constitui per prædeterminationem physicam, etiamsi daretur; sed debet afferri alia ratio, cur hæc gratia præveniens, & excitans potius sit efficax, quàm alia, & cum his dispositionibus voluntatis exigit, ac Deum moraliter potius moveat ad tale auxilium actu adjuvans, quàm alia pariter sufficiens, ac potentiam sufficienter præparans.

Prob. 2. eadem 3. pars, quod prædeterminatio physica nec in actu secundo constituat gratiam efficacem. Si gratia efficax constitueretur per prædeterminationem physicam, etiam in actu secundo, ideo esset juxta Thomi-

ftas; quia gratia efficax in ordine supernaturali est causa prima effectiva, seu efficiens consensum voluntatis; applicans causam secundam ad effectum, vel actum suo ordine, ac proinde naturâ, & causalitate est prior consensu: atqui actio Dei, quâ efficaciter movetur voluntas ad consensum, non est naturâ, & causalitate prior; ergo prædeterminatio physica nec in actu secundo constituit gratiam efficacem. *Prob. min. ex S. Thoma*, si actio Dei, seu causæ primæ, quâ movetur voluntas ad consensum, esset naturâ, & causalitate prior actione voluntatis, quâ seipsum movet ad consensum, cum sit activa, non esset eadem indivisibilis actio Dei, & voluntatis creaturæ: atqui hoc est contra Thomistas, & S. Thomam cont. gent. c. 70. ubi ait: *Non sic idem effectus causæ naturali, & divinæ virtuti attribuitur, quasi partim à Deo, & partim à naturali agente fiat, sed totus ab utroque secundum alium modum, sicut idem effectus totus attribuitur instrumento, & principali agenti etiam totus*; ergo actio Dei, quâ efficaciter movetur voluntas ad consensum, non est naturâ, & causalitate prior. *Prob. maj.* Actio, quæ est prior naturâ, & causa efficiens alterius non est eadem; causa enim efficiens, & effectus distinguuntur realiter: atqui actio Dei juxta Thomistas esset naturâ prior actione creaturæ, ac illius causa efficiens; ergo si actio Dei esset naturâ, & causalitate prior actione voluntatis humanæ, non esset eadem indivisibilis actio Dei, & voluntatis creaturæ.

Prob. 3. ratione eadem 3. pars. Si voluntas in actu secundo gratia efficaci adjuvante prius movetur, v. g. à statu indifferentiæ ad statum determinationis, v. g. ad amorem & voluntas in eodem illo instanti naturæ non simul se moveret in suo ordine, se in tali instanti merè passivè haberet, cum solus Deus ageret, & ipsa ageretur, & nihil simul ageret, & id quod in subsequente instanti ageret, superfluum esset, cum voluntas jam de uno statu ad alium mota sit: atqui hoc repugnat rationi, ac Concilio Trid.; ergo Deus non prius movet voluntatem, ipsâ nihil agente, in nullo instanti nec naturæ, sed ita movet in actu secundo, ut simul agant causâ primâ, & secundâ, eundem producentes effectum in eodem instanti naturæ.

Prob. 4. ex S. Augustino Lib. 1. ad Simp. q. 2. Quamvis multi uno modo vocati sint, tamen, quia non omnes uno modo affecti sunt, illi soli sequuntur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei . . . si vellet etiam illorum misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, ut & moverentur, & intelligerent, & sequerentur. Ex quo textu sic argumentor: Si gratia efficax constitueretur prædeterminatione physicâ, ideo non sequerentur aliqui vocati; quia non habent prædeterminationem physicam, per quam eorum vocatio fieret efficax: atqui ex S. Augustino non ideo, sed quia eodem modo vocati, non eodem modo affecti sunt; ergo gratia efficax non constituitur per prædeterminationem physicam. Deinde dicunt Thomistæ apud Billuart Tom. de grat. p. 322. de gratia sufficienti, quosdam suâ culpâ carere gratiâ efficaci, quam Deus illis daret, nisi malâ voluntate peccando cursum gratiæ sufficientis interciperent, & efficaci impedimentum opponerent. Unde sic argumentor: Ut homo non impediat gratiam efficacem juxta Thomistas, sed illam accipiat, debet cooperari gratiæ sufficienti: atqui non potest cooperari gratiæ sufficienti, nisi prius habeat gratiam efficacem & prædeterminantem, aliâ daretur gratiæ cooperatio sine gratia efficaci prædeterminante, quod est contra Thomistas, quia juxta illos sine prædeterminatione nulla actio dari potest; ergo non possunt habere gratiam efficacem cooperando gratiæ sufficienti.

Prob. 4. pars, contra Scotistas, quòd gratia efficax non constituatur per decretum concomitans, ac condeterminans. Gratia, quæ prævenit voluntatem eam excitando ad bonum, ita ut effectus, & actus sequatur, non potest constitui per decretum concomitans, ac condeterminans: atqui gratia efficax prævenit voluntatem, eam excitando ad bonum; hic enim quæritur, ut supra contra Thomistas dictum est, cur gratia, quâ nos Deus vocat, ac prævenit, potius ad actum secundum, & actu bonum operari per gratiam adjuvantem, cooperantem, ac concomitantem reducatur, quàm non reducatur; ergo gratia efficax, de qua hic agitur, theologicè considerata non constituitur per decretum concomitans, vel condeterminans, quod pertinet, ut prædeterminatio physica, ad actum secundum, & jam

supponit voluntatis consensum; quia voluntatem non adjuvat, nec ei cooperatur, & concomitatur v. g. ad actum amoris, nisi quia vult potius amare, quam non amare, aliàs amare non esset liberum, si non dependeret à voluntate.

Prob. 2. Decretum concomitans æquè nocet libertati, ac prædeterminans; ergo nec per illud constituitur gratia efficax. *Prob. ant.* Ideo juxta Scotistas decretum prædeterminans nocet libertati; quia antecedit naturâ, ac causalitate infallibili liberam voluntatis determinationem: atqui decretum concomitans etiam antecedit liberam voluntatis determinationem naturâ, ac causalitate infallibili; ergo decretum concomitans æquè nocet libertati, ac prædeterminans. *Prob. min.* major enim est Scotistarum. Ideo decretum prædeterminans præcedit liberam voluntatis determinationem naturâ, & causalitate; quia est causa illius, & omnis causa est naturâ, & causalitate prior effectu: atqui decretum concomitans etiam est causa determinationis voluntatis; quia juxta Scotistas decreto concomitante Deus operatur omnia in omnibus, ac proinde etiam determinationem voluntatis; aliàs non dependeret à Deo tanquam à causa, & quidem causa determinante; quia Deus tanquam causa prima physicè suo decreto movet voluntatem à statu indifferentiæ ad statum determinationis, v. g. amoris; ergo non solum est causa determinationis, sed etiam prædeterminat voluntatem. Deinde ille est prior naturâ, & causalitate determinando, qui causat ipsam determinationem voluntatis: atqui decretum concomitans causat ipsam determinationem voluntatis physicè; est enim causa omnium actionum, ac idem, ac ipse concursus omnipotentis Dei, quo omnia operatur in omnibus, ut ipsi fatentur; ergo est prior naturâ, & causalitate determinando.

Prob. 3. Si gratia efficax constitueretur per decretum, non præmissâ scientiâ mediâ, ideo esset, quia juxta Scotistas scientia media non datur, & per illam videret futurum, quod non est futurum: atqui utrumque falsum est; ergo gratia efficax non constituitur per decretum concomitans. *Prob. maj. 1.º* Dari scientiam mediam, quâ Deus omnia videt conditionatè

futura ante omne decretum absolutum, & actuale probatum est in Tract. de Deo uno, *vid. ibid.* 2.^o Pariter falsum est, Deum per scientiam mediam videre futura, quæ non sunt futura. Nam Deus per scientiam mediam vidit v. g. conversionem Tyrionum sub conditione miraculorum certò futuram; quia Deus eam ut talem prædixit: atqui erat sub tali conditione futura; aliàs Christus falsa prædixisset; ergo falsum est, Deum videre per scientiam mediam futura, quæ non sunt futura, videlicet sub conditione.

Prob. 4. Ait Mastrius disp. 3. q. 3. a. 6. n. 175. Quia voluntas Dei est infinita, & cum ab intellectu suo infinito ei oblata fuerint omnes rerum ordines, cum quibus ipsa voluntas poni potest, vel non: & omnes determinationes, quas ipsa potest facere, licet non sine Deo, ex vi talis eminentiæ ita se conformare cum voluntate creata, ac si eam expectasset, ac decretum illius, seu futuram inclinationem cognovisset. Ex qua doctrina Scotistarum sic arguuntur: Juxta hanc Scotistarum doctrinam Deus per decretum concomitans conformat suam voluntatem cum voluntate creata; quia cognoscit omnes rerum ordines, cum quibus poni potest, & determinationes, quas facere potest; aliàs cæco modo ageret: atqui in Deo prius est ratione, omnia cognoscibilia, ac proinde etiam voluntatem creatam comprehensivè cognoscere, quàm velle, quia cognitione dirigitur; ergo Deus prius cognoscit determinationem voluntatis humanæ, quàm illam decernit, ac proinde decretum, quod vocant concomitans, est posterius. Deinde quod est ratio alterius, est ratione prius: atqui voluntatis determinatio prævisa est ratio decreti; ideo enim decernit, quia videt creatam voluntatem ita velle cum gratia præveniente agere; aliàs voluntas non liberè ageret; ergo determinatio voluntatis prævisa est ante decretum, & malè dicitur concomitans, & excludere præscientiam mediam, quâ Deus prius videt omnes determinationes voluntatis, non sine Deo, ut ait Mastrius, sed sub conditione Dei decreti futuras.

Prob. 5. pars contra Molinam, quod efficacia gratiæ non constituatur per solum consensum, seu eventum. Gratiæ efficax est speciale Dei donum, quod non est gratia

Q. II. DE EFFICACIA GRATIÆ. A. II. 191

sufficiens juxta communem Ecclesiæ ac SS. Patrum sensum : atqui si constitueretur per solum consensum , non esset speciale Dei donum ; ergo gratia efficax non constituitur per solum consensum. *Prob. min.* Quod nihil habet speciale ex parte Dei , quod non habet gratia sufficiens , & quod quilibet habere potest , non est singulare Dei donum : atqui si gratia efficax constitueretur per solum consensum , gratia efficax nihil haberet speciale ex parte Dei , quod non habet gratia sufficiens , & quilibet illud habere posset , cum quilibet ei consentire , & illud efficax reddere posset ; ergo gratia efficax non est speciale Dei donum.

Prob. 6. eadem 5. pars, rejiciendo simul reliquorum opiniones, Augustinianorum, Congruistarum, ac Thomasini. Gratia efficax est medium divinæ prædestinationis infallibile liberantur, quicumque liberantur, quo juxta S. Aug. certissime liberantur, & quod à nullo duro corde respuitur : atqui nec solus consensus voluntatis, nec delectatio moraliter victrix in sensu Augustinianorum, nec congruitas interna in sensu Mascarenæ moraliter determinans, nec externa indolis, circumstantiarum &c. in sensu Suarezii, nec multiplicitas mediorum in sensu Thomasini est tale medium divinæ prædestinationis infallibile seclusa scientiâ mediâ ; ergo gratia efficax non constituitur per solum consensum, nec per delectationem moraliter victricem ; nec per congruitatem internam vel externam, nec per multitudinem mediorum absque scientia mediâ. *Prob. min.* Illud medium non est infallibile, quod sine miraculo carere potest effectu : atqui solus consensus sine prævisione scientiæ mediæ, delectatio moraliter victrix, & congruitas, ac multitudo mediorum sine miraculo carere possunt effectu ; solam enim certitudinem habent moralem, quæ sine miraculo aliter potest se habere ; ergo nec solus consensus voluntatis, nec delectatio moraliter victrix, nec congruitas interna &c. est medium infallibile divinæ prædestinationis, seclusa scientiâ mediâ.

Solvuntur objectiones contra primam partem, de gratia necessitante in sensu Calvinii &c.

Obj. Illa gratia est physicè prædeterminans, & necessitans, quâ Deus occultissimâ, & efficacissimâ pote.

state convertit cor regis, & transfert ab indignatione ad lenitatem, & cui voluntas non potest resistere: atqui gratia efficax talis est, ut patet ex S. Augustino 1. ad Bonif. c. 20. ubi ait: *Cor regis occultissimâ potestate convertit, & trahit ab indignatione ad lenitatem.* Et ex S. Scriptura Esther 13. ubi habetur: *Domine Rex omnipotens, non est, qui possit tuæ resistere voluntati.* Et Isai. 10: *Dominus enim exercituum decrevit, quis poterit infirmare?* ergo gratia efficax constituitur per physicam prædeterminationem voluntatem necessitantem.

Resp. dist. min. Atqui gratia efficax occultissimâ, & efficacissimâ potestate cor regis convertit, cui voluntas non potest resistere impotentiâ voluntariâ consequente ad Dei prævisionem, quæ non potest falli, nec aliter evenire, quàm prævidit, *con. min.* non potest resistere impotentiâ absolutâ antecedente, ortâ ex prædeterminatione physica necessitante, *neg. min. & conf.* Unde S. Scriptura, ac S. Augustinus in his, & aliis textibus nihil aliud volunt dicere, quàm, quod Deus gratiâ, cui videt voluntatem infallibiliter cooperaturam, posse cor hominis inclinare, & trahere, quocumque voluerit, ita ut nec falli, nec decipi possit in suis dispositionibus sine ulla libertatis læsione, & necessitate ex parte creaturæ, ac voluntatis.

Inst. 1. Atqui Deus gratiâ suâ trahit, ac movet voluntatem antecedenter, ita ut nec potestate absolutâ possit resistere; ergo &c. *Prob. subs.* Prov. 21. 1. *Sicut divisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini, quocumque voluerit, inclinabit illud.* Et Isai. 10. comparatur rex Assur securi, virgæ, & baculo in manu hominis iis utentis: atqui Deus divisiones aquarum, & homo securim, virgam & baculum movet antecedenter, ut nec potestate absolutâ possint resistere; ergo etiam ita gratiâ suâ efficaci movet voluntatem hominis.

Resp. dist. maj. Deus movet voluntatem sicut divisiones aquarum, & sicut homo securim, virgam, baculum quoad facilitatem, & infallibilitatem, *con. maj.* quoad modum physicè prædeterminando, ac necessitando, ita ut merè passivè, ut instrumentum passivum, ac inanimatum homo se habeat, *neg. maj.* omnis enim comparatio claudicat, & ad id tantum valet, ad quod decla-

Q. II. DE EFFICACIA GRATIÆ. A. II. 193

declarandum assumitur. Deus autem hac comparatione tantum vult indicare, quàm facile, ac securè possit cor hominis inclinare, quocunque voluerit.

Infl. 2. Atqui Deus movet voluntatem hominis, sicut divisiones aquarum, & homo securim &c. etiam quoad modum, ac physicè prædeterminando, ac necessitando; ergo &c. *Prob. subs.* Si Deus alio modo moveret voluntatem, esset per gratiam, quâ prævidet hominem infallibiliter cooperaturum: atqui voluntatem Regis Assur non tali gratia movit, Deus enim non movet gratiâ ad malum, quod fecit Assur in Israël; ergo Deus movet voluntatem hominis sicut divisiones aquarum &c.

Resp. dist. maj. Si Deus alio modo moveret voluntatem hominis, esset per gratiam, quâ videt hominem infallibiliter cooperaturum, illam concedendo, vel negando, *con. maj.* illam concedendo, *subd.* sic movet ad bonum, *con. maj.* ad malum, *neg. maj. concessâ min. vel dist.* atqui voluntatem Regis Assur Deus non tali gratiâ movit ad malum positivè, illam concedendo, *con. min.* negativè specialem gratiam, ac efficacem in pœnam subtrahendo, *neg. min. & conf.* Unde cùm Deus ab æterno præviderit Regem Assur non cooperaturum gratiis, quibus voluit ipsum salvum facere, ipsius malitiâ usus fuit pro puniendo populo Israël, subtrahendo ipsi speciales gratias, quibus se indignum præbuit; ac permisit, ipsum secundum desiderium cordis sui elati ambulare, ac invehi in populum Israël: sicut & fecit de Pharaone, ac aliis impiis, quibus exercet bonos. Unde pulchrè ait S. Augustinus Enchiridii c. 100. *Quantùm ad ipsos attinet, quod Deus noluit, fecerunt: quantùm verò ad omnipotentiam Dei, nullo modo id efficere voluerunt, hoc quippe ipso, quòd contra voluntatem fecerunt, ejus de ipsis facta est voluntas ejus (quâ voluit punire populum) ut miro, & ineffabili modo non fiat præter ejus voluntatem, quod etiam contra ejus sit voluntatem.* Et serm. 214. in trad. symb. n. 3. *Nec ideo credant iniqui, Deum non esse omnipotentem; quia multa faciunt contra ipsius voluntatem, quia & cùm faciunt, quod non vult, hoc de eis facit, quod ipse vult, nempe punit ipsorum malitiâ peccatores, vel ad virtutem exercet bonos.* Sic etiam Deus dicit de Rege Assur, qui non sciebat,

se esse baculum in manu Domini ad puniendum populum cap. cit. v. 7. *Ipse autem non sic arbitrabitur, & cor ejus non ita existimabit, sed ad conterendum erit cor ejus, & ad internecionem gentium non paucarum.*

Inst. 3. Atqui Deus movit ad malum Regem Assur non solum negativè, subtrahendo gratias speciales, sed etiam positivè; ergo &c. *Prob. subsf.* Quem Deus misit, & cui mandat, non tantum negativè, sed etiam positivè movet: atqui in loco cit. v. 6. Deus ait: *Ad gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei mandabo illi;* ergo Deus movet ad malum Regem Assur non solum negativè, sed etiam positivè.

Resp. dist. maj. Quem Deus mittit; & cui mandat directè, & positivè, voluntate antecedente, ac prædeterminante, non tantum negativè, sed etiam positivè movet, *con. maj.* quem mittit, & cui mandat indirectè, permissivè, seu voluntate permittente, & ordinante, non tantum negativè, sed etiam positivè movet, *neg. maj. dist. min.* atqui Deus ait in citato loco de Assur, *mittam eum & mandabo illi, directè ac positivè, neg. min. permissivè, ac indirectè, con. min. & neg. conf.* Unde cum cor Assur propriâ suâ pravitate erat ad conterendum, & ad internecionem gentium non paucarum, ut Deus ibidem indicat, permisit & ordinavit, ut erga populum Israël, quem punire volebat ob injustitias ab eo commissas in pupillos, ac viduas, suam pravitatem exerceret. Deinde ex citato loco motio tantum moralis, quæ fit jubendo, non verò physica, quam hærenici asserunt, probaretur.

Inst. 4. Atqui Deus etiam positivè, ac physicè præmoveret ad malum; ergo &c. *Prob. subsf.* Qui agitur spiritu Dei, movetur positivè, & physicè: atqui de Saul 1. Reg. c. 16. 14. dicitur: *Et agitabat eum spiritus nequam, & versu subsequenti: Cur spiritus Dei malus exagitat te;* ergo Deus etiam positivè, ac physicè præmoveret ad malum.

Resp. dist. min. Atqui spiritus Dei malus, id est, à Deo permissus agitabat Saul, *con. min.* à Deo in Saul directè infusus, *neg. min. & conf.* Per spiritum Dei malum ibi intelligitur mala voluntas ipsius Saul, ac tentatio dæmonis, quâ agitabatur, quia Deus ipsum ob

Q. II. DE EFFICACIA GRATIÆ. A. II. 195

inobedientiam specialibus suis gratiis dereliquerat, unde gravius tentabatur; minimè autem inde prædeterminationo physica, ac necessitans inferri potest.

Inst. 5. Atqui Deus non solum permissivè movet voluntatem; ergo &c. *Prob. subs.* Motioni permissivæ, ac morali potest resisti, & est fallibilis: atqui ex S. Augustino Lib. de corr. & grat. c. 12. *Subventum est igitur infirmitati humanæ, ut divinâ gratiâ indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur; ergo non tantum permissivè movet voluntatem.*

Resp. dist. min. Subventum est infirmitati humanæ, ut divinâ gratiâ indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur consequenter, ita ut à nulla tentatione & adversitate vinceretur, *con. min.* antecedenter, ita ut homo gratiæ non possit resistere, si velit, *neg. min. & conf.* Addit enim ibidem S. Augustinus: *Et ideo quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliquâ vinceretur.* Et Lib. de spir. & litt. c. 33. ait: *Consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, propriæ voluntatis est.* Consequenter ita movetur à Deo, ut possit dissentire, si velit.

Inst. 6. Atqui ita subventum est infirmitati humanæ, ut divinâ gratiâ ita inseparabiliter ageretur, ut non sit in hominis potestate consentire vel dissentire; ergo &c. *Prob. subs.* Si voluntas posset consentire, vel dissentire gratiæ, etiam voluntas aliquid cum gratia præstaret, & non gratia sola, sed etiam voluntas ad conversionem concurreret: atqui ex S. Augustino Lib. de grat. & lib. arb. c. 5. gratiâ solâ S. Paulus fuit conversus; ait enim: *Ut de cælo vocaretur, & tam magnâ, & efficacissimâ vocatione converteretur, gratia Dei erat sola;* ergo non est in potestate hominis consentire vel dissentire gratiæ.

Resp. dist. min. Gratiâ solâ S. Paulus fuit conversus cum exclusione proprii meriti naturalis, *con. min.* cum exclusione consensûs, ac cooperationis, *neg. min. & conf.* Addit enim S. Augustinus ibidem, *quia merita ejus erant magna, sed mala, quibus non merebarur tantam gratiam.* Deinde S. Paulus ipsemet dicit: *Non ego, sed gratia Dei mecum; id est,* ait S. Augustinus Lib. de grat. & lib. arb. c. 5. *non solus, sed gratia Dei mecum:*

ac per hoc nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo.

Inst. 7. Atqui ita subventum est infirmitati humanæ, ut solâ gratiâ agatur cum exclusione nostri consensûs, & cooperationis; ergo &c. *Prob. subsf.* ad Rom. 8. *Qui spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei*: atqui S. Augustinus Lib. de gestis Pelag. c. 3. n. 5. *Qui autem agitur, agere aliquid ipse vix intelligitur*; ergo solâ gratiâ cum exclusione nostri consensûs, & cooperationis agitur.

Resp. dist. min. Atqui, qui agitur, vix aliquid agere intelligitur solis viribus naturæ, *con. min.* simul cum gratia, *neg. min. & conf.* Satis clarè S. Augustinus suam mentem explicat, & declarat, utrumque requiri, gratiam, & consensum.

Inst. 8. Atqui gratia sola cum exclusione consensûs, ac cooperationis in nobis operatur; ergo &c. *Prob. subsf.* Si gratia non sola, sed dependenter à nostro consensu, & cooperatione operaretur, Deus non haberet humanorum cordium, quò placet inclinandum. Omnipotentissimam potestatem: atqui hoc repugnat doctrinæ S. Augustini dicentis Lib. de corr. & grat. c. 14. *Sine dubio habens humanorum cordium, quò placeret, inclinandum omnipotentissimam potestatem*, ergo gratia sola cum exclusione consensûs, ac cooperationis in nobis operatur. *Prob. maj.* Deus non habet humanorum cordium omnipotentissimam potestatem, si posset dari homo, qui nullâ gratiâ posset converti: atqui si gratia esset efficax, dependenter à nostro consensu & cooperatione, posset dari homo, qui nullâ gratiâ posset converti; quia omnibus posset resistere, & inconvertibilis à Deo videretur: quia nulla est, cui non possit resistere, à potentia autem ad actum nulla est implicantia; ergo si gratia, dependenter à nostro consensu, operaretur, Deus non haberet humanorum cordium omnipotentissimam potestatem.

Resp. dist. min. Atqui si gratia esset efficax, dependenter à nostro consensu & cooperatione, posset dari homo, qui nullâ gratiâ posset converti absolutè, ac speculativè, *transseat major*, practicè, ac moraliter loquendo, *neg. min. & conf.* Dixi: *transseat*; quia, licèt nulla sit gratia, cui voluntas non possit resistere, nulla

tamen est voluntas, quæ omnibus, ac infinitis mediis, quibus flecti potest, resistet in omnibus, ac infinitis combinationibus, in quibus à Deo potest collocari; hinc Deus nullum videt hominem, qui non variis mediis, quæ habet in sua potestate, converteretur, nec minor est ipsius potentia, liberè trahendi hominem ad bonum, quàm concupiscentia hominis ad malum; potentia enim resistendi voluntatis humanæ est finita, potentia verò Dei trahendi voluntatem, salvâ ipsius libertate, est infinita. Et si non haberet in sua potentia medium flectendi voluntatem, haberet, illam mutandi ac aliter disponendi, ita ut tamen flecteretur.

Solvuntur objectiones contra secundam partem, de gratia necessitante Jansenii.

Obj. In eo consistit efficacia gratiæ, in quo S. Augustinus eam reponit; doctrina enim S. Augustini circa gratiam specialiter ab Ecclesia est approbata: atqui S. Augustinus reponit efficaciam gratiæ in delectatione victrici, ac superiori; ergo etiam in illa consistit. *Prob. min.* S. Augustinus Lib. 3. de pecc. merit. & remun. c. 19. gratiam efficacem vocat *victricem delectationem.* *Ibid.* Quid aliud deprecamur, quàm ut aperiatur, quod latebat, & suave sapiatur, quod non delectabat, Et Lib. de continentia c. 3. ait: *Contra suavitatem noxiam, quâ vincebat concupiscentia, Dominus dat suavitatem beneficam, quâ delectatur amplius continentia.* Et c. 8. *Bonum fit, cum id, quod malè libet, vincente bonâ delectatione non fit:* atqui in his & multis aliis textibus S. Augustinus clarè reponit, & adscribit efficaciam gratiæ delectationi victrici, ac superiori; ergo S. Augustinus reponit efficaciam gratiæ in delectatione victrici, ac superiori.

Resp. dist. min. Atqui in his & multis aliis textibus S. Augustinus clarè reponit, & adscribit efficaciam gratiæ delectationi victrici, ac superiori, sed deliberatæ, electivæ, ac voluntariæ, *con. min.* delectationi indeliberatæ, voluntatem necessitanti, in sensu Jansenii, *neg. min. & conf.* Unde fatemur cum S. Augustino, gratiam efficacem esse delectationem victricem, dari contra noxiam, ac amplius delectari, nosque illam sequi, sed non semper ac necessario, sed sæpius etiam sequi.

mur delectationem inferiorem, ut ipsemet S. Augustinus de se fatetur Lib. 8. confess. c. 8. dicens: *Et non faciebam id, quod incomparabili affectu mihi magis placebat.* Et in Tract. 26. in Joan. *Videte quomodo trahit Pater, docendo delectat, non necessitatem imponendo.* Ibid. *Manifestum est certè secundum id nos vivere, quod sectati fuerimus, sectabimur autem, quod dilexerimus.* Itaque si ex adverso existant duo, præceptum justitiæ, & consuetudo carnalis, id sectabimur, quod amplius dilexerimus, nempe liberè, & ex proprio consensu, non verò necessariò.

Inst. 1. Atqui S. Augustinus reponit efficaciam gratiæ in delectatione indeliberata, ac necessitante in sensu Jansenii; ergo &c. *Prob. subs.* S. Augustinus in exposit. Epist. ad Gal. ait: *Si occurrit forma speciosæ fœminæ, & movet ad delectationem fornicationis, si plus delectat pulchritudo intima, & sincera species castitatis per gratiam, quæ est in fide, secundum hanc vivimus, & secundum hanc operamur.* Ibid. *Nisi delectet, non suscipitur; quod enim amplius non delectat, secundum id operemur, necesse est:* atqui delectatio proveniens ex forma speciosæ fœminæ, & specie intima castitatis per gratiam est indeliberata, quam objectum, & gratia in nobis etiam nolentibus produciunt, prout indicat idem S. Augustinus Lib. 1. ad Simp. q. 2. dicens: *Quis habet in potestate tali viso attingi mentem suam, quo ejus voluntas moveatur ad fidem? aut quis habet in potestate, ut vel occurrat, quod eum delectare possit, vel delectet, cum occurrit; ergo necessariò sequimur delectationem indeliberatam.*

Resp. dist. maj. Juxta S. Augustinum secundum delectationem proveniente[m] ex forma speciosæ fœminæ, & specie castitatis superiorem vivimus, & necessariò operamur necessitate consequentiæ, voluntariâ consequente nostram liberam determinationem, *con. maj.* necessitate antecedente, involuntariâ, & consequentis, *neg. maj. dist. min.* atqui delectatio ex forma speciosæ fœminæ, & specie intimâ castitatis per gratiam est indeliberata, ante rationis advertentiam, *con. min.* post rationis advertentiam & consensum, *neg. min. & conf.* Nam S. Augustinus Lib. 2. de Genes. contra Manich. c. 14. ait: *Aliquando ratio viriliter etiam commotam cupiditatem refranat, atque compescit.* Et Lib. 12. de civ. Dei c. 6. ait: *Si duo æqualiter affecti animo, & corpore videant*

Q. II. DE EFFICACIA GRATIÆ. A. II. 199

unius corporis pulchritudinem, quã visã unus eorum ad illicitè perficiendum moveatur, alter in voluntate pudica stabilis perseveret, quid putabimus esse causæ, ut in illo fiat voluntas mala? . . . & responder: Quid aliud apparet, nisi unum voluisse, alterum noluisse à castitate desicere? amborum oculis pariter visa est eadem pulchritudo, ambobus pariter insitit occulta tentatio &c.

Inst. 2. Atqui secundùm delectationem indeliberatam superiorem necessariò operamur, necessitate antecedente, ac involuntariã; ergo &c. *Prob. subs.* Illa necessitas est antecedens, ac involuntaria, cui voluntas humana non potest resistere: atqui ex S. Augustino Lib. de corr. & grat. c. 14. *Non utique dubitandum, voluntati Dei humanas voluntates non posse resistere, quominus faciat ille, quæ vult;* ergo secundùm delectationem indeliberatam superiorem necessariò operamur necessitate antecedente, & involuntariã.

Resp. dist. min. Atqui voluntas humana non potest resistere voluntati Dei in iis, quæ à sola Dei voluntate dependent, ut creatio mundi &c. *con. min.* in iis, qui simul dependent à voluntate hominis, *subd.* voluntas humana non potest resistere consequenter, & suppositã Dei prævisione, liberæ hominis determinationis, *con. min.* antecedenter, & absolutè, *neg. min. & conf.* Unde ait S. Augustinus Lib. 5. de civitate Dei cap. 10. *Neque enim ideo peccat homo; quia Deus illum peccaturum præscivit, imò ideo non dubitatur, ipsum peccare, cum peccat; quia ille, cujus scientia falli non potest, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, sed ipsum peccaturum esse, præscivit.* Unde necessitas non ex parte voluntatis hominis, sed ex infallibilitate scientiæ Dei oritur.

Inst. 3. Atqui voluntas non potest resistere antecedenter voluntati Dei in iis, quæ dependent à voluntate hominis; ergo &c. *Prob. subs.* Voluntas humana non potest resistere in iis, quæ dependent ab ipsius voluntate etiam antecedenter, si voluntas humana necessariò sequatur id, quod magis delectat: atqui voluntas necessariò sequitur id, nempe gratiam, quæ magis delectat; ergo voluntas non potest resistere voluntati Dei in iis, quæ dependent à voluntate hominis antecedenter. *Prob. min.* Illud necessariò sequi-

mur, quod vehementiùs volumus : atqui id, quod magis delectat, vehementiùs volumus ex S. Augustino, qui Lib. 2. de peccat. merit. c. 17. ait : *Tantò quidque vehementiùs volumus, quantò certius, quàm bonum sit, novimus, eoque delectamur ardentius, & delectatio est mensura volitionis, prout etiam ipsa experientia docet, ergo voluntas necessariò sequitur id, quod magis delectat.*

Resp. dist. min. Atqui id, quod magis delectat delectatione deliberatâ, ac voluntariâ vehementiùs volumus, & delectatio deliberata est mensura volitionis, *con. min.* quod magis delectat delectatione indeliberatâ, & objectivâ vehementiùs volumus, & delectatio indeliberata, & objectiva est mensura volitionis, ita, ut necessariò feramur, quò major invitat, & allicit objecti delectatio, *neg. min. & conf.* Ibidem enim dicit S. Augustinus : *Tantò autem magis delectat opus bonum, quantò magis diligitur Deus summum, & incommutabile bonum, quod diligitur voluntariè, & deliberatè.*

Infl. 4. Atqui id, quod magis delectat, delectatione indeliberatâ, vehementiùs volumus ; ergo &c. *Prob. subs.* Delectatio gratiæ prævenientis est indeliberata; operatur enim in nobis sine nobis, & non est in nostra potestate : atqui S. Augustinus in loco citato loquitur de gratia præveniente, & de delectatione, quæ non est in nostra potestate ; ergo id, quod magis delectat, delectatione indeliberatâ vehementiùs amamus. *Prob. min.* Ibid. c. 17. S. Augustinus ait : *Ut autem innotescat, quod latebat, & suave fiat, quod non delectabat, gratia Dei est.* Et Lib. 1. ad Simp. q. 2. ait : *Voluntas ipsa, nisi aliquid occurrit, quod delectet, atque invitet animum, mereri nullo modo potest, hoc autem, ut occurrat, non est in hominis potestate :* atqui per gratiam prævenientem innotescit, quod latebat, & suave fit, quod non delectabat, & ut occurrat, quod delectat, non est in hominis potestate ; ergo S. Augustinus loquitur de gratia præveniente, & de delectatione, quæ non est in nostra potestate.

Resp. dist. min. Atqui per gratiam prævenientem innotescit, quod latebat, & suave fit, quod non delectabat, quoad delectationem indeliberatam, & ut occurrat,

Q. II. DE EFFICACIA GRATIÆ A. II. 201

non est in nostra potestate quoad actum indeliberatum, & objective, *con. min.* quoad delectationem deliberatam, *subd.* non est in nostra sola potestate, ut occurrat, quod delectat deliberatè, & supernaturaliter, *con. min.* simul cum gratia, *neg. min. & conf.* Unde S. Augustinus loquitur de delectatione utraque ex parte Dei se tenente, quæ non est in nostra potestate, eamque non necessariò sequimur, & de altera deliberata, quæ ex parte Dei, & nostra voluntate approbante, ac consentiente simul dependet, & secundum hanc voluntas operatur.

Inst. 5. Atqui non est in nostra potestate, ut gratia delectet deliberatè; ergo &c. *Prob. subs.* Si esset in nostra potestate, ut gratia delectet deliberatè, posset delectatio major etiam superari à minori: atqui delectatio major non potest superari à minori; ergo non est in nostra potestate, ut gratia delectet deliberatè. *Prob. min.* Ponderus majus non potest vinci à minori, deinde S. Augustinus Lib. de spir. & litt. cap. 29. ait: *Confugiat ad misericordiam Dei, ut det, quod jubet, atque inspiratâ gratiæ suavitate per Spiritum Sanctum faciat plus delectare; quod præcipit, quam quod impedit:* atqui si delectatio major posset superari à minori, S. Augustinus frustra diceret, ad misericordiam Dei esse fugiendum, ut faciat plus delectare, quod præcipit, quam quod impedit; ergo delectatio major non potest superari à minori. *Prob. min.* Frustra hoc diceret, si delectatio etiam major posset impediri à minori: atqui ita esset; ergo &c.

Resp. dist. maj. Frustra hoc diceret de delectatione majori indeliberata, *transeat major;* de delectatione deliberata, *neg. maj. dist. min.* atqui ita esset, quod delectatio minor posset superare majorem indeliberatam, cui potest consentire, vel non consentire, *con. min.* potest superare majorem deliberatam, supposito consensu, *neg. min. & conf.* Unde S. Augustinus vult dicere, quod debeamus confugere ad misericordiam Dei, ut faciat plus delectare deliberatè, ita ut consensus sequatur, & efficaciter, quod non est frustra orare; deinde dixi: *transeat;* quia etiam delectatio indeliberata major ex se efficacior est, & nostrum consensum faciliùs efficit, pro qua utiliter oratur. Quoad ponderus disparitas

est, quia necessariò agit; voluntas autem libera est, & non necessariò majorem sequitur delectationem.

Inst. 6. Atqui voluntas necessariò sequitur majorem delectationem, etiam indeliberatam; ergo &c. *Prob. subs.* Voluntas necessariò sequitur, & amplectitur majus bonum: sed majus bonum, ut tale cognitum, majorem excitat delectationem objectivam, sic mille aurei magis delectant, quam unus aureus; quia judicantur majus bonum, sic de aliis bonis, quæ delectant, prout magis, vel minus illorum bonitas cognoscitur; ergo voluntas necessariò sequitur majorem delectationem etiam delibèratam. *Prob. maj.* Voluntas ex se est potentia cæca, & necessariò sequitur dictamen rationis, & tendit in objectum, prout à ratione, & intellectu ipsi proponitur, & non potest unum præ alio eligere, nisi in quantum judicat melius ac convenientius in ratione sui objecti, alioquin illius appetitus non esset rationalis: atqui ratio dicit majus bonum minori esse præferendum; ergo voluntas necessariò sequitur, & amplectitur majus bonum minori præferendum; ergo voluntas necessariò sequitur, & amplectitur majus bonum verum vel falsum.

Resp. dist. min. Atqui ratio dicit majus bonum minori præferendum, & simul etiam minus bonum posse amplecti, *con. min.* majus bonum solum, & semper præferendum, *neg. min. & conf.* Unde ratio dicit, omne bonum posse amari, ac proinde etiam minus bonum, quod etiam sæpe præfertur; quia sæpe majores honores, divitiæ, voluptates recusantur, sic etiam in spiritualibus minor virtus, meritum, perfectio, & sanctitas in operibus eliguntur, licet minora bona æstimentur.

Inst. 7. Atqui majus bonum solum, & semper est præferendum; ergo &c. *Prob. subs.* Majus bonum, & major delectatio est sola ratio, ac pondus actionum nostrarum; ergo &c. *Prob. ant.* Si bonum, & delectatio consequens ad illud sit sola ratio, & pondus actionum nostrarum, adhuc à fortiori majus bonum, & major delectatio est sola ratio, & pondus actionum nostrarum; quia fortius movet, & quod convenit positivo, à potiori, & magis convenit superlativo: atqui sola ratio, & pondus actionum nostrarum est bonum,

Q. II. DE EFFICACIA GRATIÆ. A. II. 203

& delectatio ad illud consequens ; quia juxta tritum axioma Philosophorum omnes actiones humanæ sunt ab amore boni, & S. Augustinus Lib. 1. ad Simp. q. 2. dicit : *Voluntas ista, nisi aliquid occurrerit, quod delectet, moveri nullo modo potest* ; ergo major delectatio est sola ratio, & pondus actionum nostrarum.

Resp. dist. min. Atqui sola ratio, & pondus actionum nostrarum est bonum, & delectatio ad illud consequens, deliberata consequens ad liberam nostram electionem, ac determinationem, *con. min.* delectatio indeliberata antecedens nostrum consensum, & electionem, *neg. min. dist. conf.* ergo major delectatio deliberata consequens ad liberam nostram electionem, ac determinationem est sola ratio, & pondus nostrarum actionum, *con. conf.* major delectatio indeliberata, antecedens nostrum consensum, & electionem est sola ratio, & pondus nostrarum actionum, *neg. conf.* Unde delectatio indeliberata allicit quidem nostram voluntatem, sed voluntas non necessario illam sequitur, sed illam, quæ ex propria sua electione oritur. S. Augustinus autem sumit delectationem pro ipsa volitione, vel complacentia voluntatis, prout etiam dicit Psalmista Psal. 36. *Delectare in Domino, nempe amando, prout S. Augustinus Tract. 26. in Joan. & dabit tibi petitiones cordis tui, videlicet remunerando, & sic quod magis placeat voluntati, & quod magis voluntas vult, hoc facit.*

Inst. 8. Atqui delectatio deliberata non est sola ratio, ac pondus nostrarum actionum ; ergo indeliberata. *Prob. subs.* Delectatio deliberata est circa bonum, quod deliberatè volumus : atqui id, quod deliberatè volumus, sæpe non agimus, prout indicat Apostolus Paulus Rom. 7. 15. dicens : *Non enim quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum, illud facio, imò sæpe illud nec possumus perficere, ut patet ex eodem Apostolo v. 18. Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio* ; ergo delectatio deliberata non est sola ratio, ac pondus nostrarum actionum.

Resp. dist. min. Atqui id, quod deliberatè volumus, sæpe non agimus in iis, quæ non sunt in nostra potestate, *con. min.* in iis, quæ sunt in nostra potestate, *neg. min. & conf.* Apostolus loquitur de concupiscentiis

à qua voluiffet liberari, cujus motus invitus sentire debuit.

Inst. 9. Saltem delectatio relativè victrix non tollit libertatem; ergo &c. *Prob. subs.* Delectatio relativè victrix non tollit libertatem, fi differat à gratia Calvinì, cui non potest refifti, & juxtâ Jansenium homo motioni illius poffit refragari: atqui Jansenius Lib. 8. c. 21. afferit, fuam gratiam victricem differre à Calviniana, quòd Calvinus doceat, gratiam ita movere hominem, ut non fit ei liberum refiftere, Auguftinus verò, Dominum ita movere voluntatem, ut, quamvis infallibiliter convertatur, & operetur, poffit tamen motioni Dei refragari. Potentia quippe diffentiendi non repugnat actuali gratiæ motioni; ergo delectatio relativè victrix non tollit libertatem.

Resp. dift. min. Atqui Jansenius afferit, fuam gratiam victricem differre à Calviniana quoad modum explicandi, & poffe motioni Dei refragari potestate abfolutâ fine relatione, ac refpectu ad præfentes concupifcentiæ oppofitæ gradus, & circumftantias, *con. min.* potestate relativâ ad præfentes concupifcentiæ oppofitæ gradus, ac circumftantias, *neg. min. & conf.* Juxta Jansenium namque impoffibile eft, ut adjutorium illud cœleftis delectationis non determinet, imò prædeterminet voluntatem.

Inst. 10. Atqui gratiæ Jansenii refragari potest voluntas, etiam potestate relativâ; ergo &c. *Prob. subs.* Si voluntas non potest refragari motioni gratiæ Jansenii, non remaneret perfectiffima fub gratia efficaci ad peccandum potentia: atqui ibidem c. 20. dicit, perfectiffimam etiam fub gratia efficaci remanere ad peccandum potentiam; ergo gratiæ Jansenii refragari potest voluntas.

Resp. dift. min. Atqui dicit, Perfectiffimam etiam fub gratia efficaci remanere ad peccandum potentiam abfolutam, *con. min.* relativam, *neg. min. & conf.* Siquidem juxta Jansenium gratia efficax facit, ut neceffe fit animum fequi, & fecundum illud operari, quòd amplius delectaverit.

Inst. 11. Atqui etiam remanet potentia perfectiffima relativa ad peccandum fub gratia efficaci; ergo &c.

Q. II. DE EFFICACIA GRATIÆ. A. II. 205

Prob. subs. Remanet potentia perfectissima relativa ad peccandum sub gratia efficaci, si necessitas, quæ in actu apparet, sit consequens, & proficiens ab ipsa libertate: atqui juxta Jansenium ita est, qui Lib. 6. de grat. Christi c. 35. ait: *Necessitas, quæ in actu apparet, ab ipsa libertate, & dominii, ac libertatis ejus perfectione proficiscitur; quia ipsa sibi necessitatem facit, non per modum naturæ, sed perfectissimæ libertatis, movendo, & determinando se; ergo remanet potentia perfectissima relativa ad peccandum sub gratia efficaci.*

Resp. dist. min. Atqui juxta Jansenium necessitas, quæ in actu apparet, est consequens & proficiscens ab ipsa libertate à coactione, *con. min.* à libertate à necessitate, *neg. min. & conf.* Jansenius enim non aliam, quam à coactione admittit in homine libertatem.

Inst. 12. Juxta Jansenium necessitas, quæ in actu apparet, proficiscitur à libertate à necessitate; ergo &c.

Prob. subs. Si necessitas proficisceretur à libertate à coactione, se haberet per modum naturæ, & non perfectissimæ libertatis; quia illa à necessitate est perfectior: atqui necessitas se habet non per modum naturæ, sed perfectissimæ libertatis; ergo juxta Jansenium necessitas, quæ in actu apparet, proficiscitur à libertate à necessitate.

Resp. dist. min. Atqui necessitas illa non se habet per modum naturæ insensitivæ, sed perfectissimæ libertatis à coactione, *con. min.* non se habet per modum naturæ sensitivæ, sed perfectissimæ libertatis à necessitate, *neg. min. & conf.* Unde in sensu Jansenii libertas à coactione est perfectissima, cum non aliam in homine agnoscat, & se non habeat per modum naturæ insensitivæ, & inanimatæ, sed volitivæ.

Inst. 13. Atqui necessitas illa se habet per modum perfectissimæ libertatis à necessitate; ergo &c. *Prob. subs.* Ideo necessitas consequens gratiæ efficaci proficiscitur à libertate à necessitate in sensu Congruistarum; quia voluntas potest illi resistere, & aliquando eidem gratiæ entitativè sumptæ actu resistitur: atqui gratia Jansenii etiam ita se habet; quia Lib. 2. de grat. Christi c. 27. ait: Multos divinitus, imò verò & ipsa voluntate motibus gratiæ percelli, qui tamen ab ejus interna

suasione, & inclinatione dissentiunt, & eidem entitativè gratiæ, quæ in uno est efficax, in alio, in quo major viget cupiditas, non habet effectum, eique resistitur; ergo necessitas illa se habet per modum perfectissimæ libertatis à necessitate.

Resp. dist. min. Atqui gratia Jansenii etiam ita se habet, & potest voluntas illi resistere potestate absolutâ, & sæpe actu resistitur eidem entitativè sumptæ ex necessitate, quia non potest ei cooperari ob majorem concupiscentiam oppositam, *con. min.* potest illi resistere potestate relativâ, & actu resistitur liberè, ita, ut possit cum illa operari, *neg. min. & conf.* In sensu Catholico gratiæ efficaci potest resisti potestate etiam relativâ, & eidem entitativè sumptæ liberè resistitur, ita ut cum illa tanquam verè sufficiente potuisset operari. Non ita sensit Jansenius, cum gratiam verè, ac relativè sufficientem non admittat, & gratia ipsius parva, cui dissentitur, alium non possit habere effectum, nisi quosdam conatus, nec gratia relativè efficax, in aliis, in quibus prævalet major cupiditas, entitativè sumpta potuit efficere effectum.

Inst. 14. Atqui Jansenius concordat superiorem delectationem cum libertate à necessitate, & gratiam verè, ac relativè sufficientem agnoscit; ergo &c. *Prob. subs.* Jansenius Lib. 6. c. 4. ait: id omne, quod Thomistæ de concordia prædeterminationis physicæ cum libertate asserunt, se pariter dictum velle de concordia ejusdem libertatis cum superiore delectatione. Et Lib. 3. c. 1. profiteretur, se nolle impugnare gratiam sufficientem Thomisticam, sed tantùm versatilem illam Molinæ & Suaresianam, & testantur Jansenii discipuli Irenæus, Dionysius, Raymundus, omnes locutiones Jansenii ad doctrinam Thomisticam posse revocari: atqui Thomistæ concordant prædeterminationem physicam cum libertate à necessitate, & gratiam verè, relativè sufficientem admittunt; aliàs essent hæretici sicut Jansenistæ; ergo Jansenius concordat superiorem delectationem cum libertate à necessitate &c.

Resp. 1. Videant Thomistæ, an in re prædeterminationem physicam concordent cum libertate à necessitate, cum Calvinistæ, ac Jansenistæ illam principio

Q. II. DE EFFICACIA GRATIÆ. A. II. 207

habeant; & an eorum gratia verè, ac relativè sit sufficiens, cum sine gratia efficaci, ac physicè prædeterminante non possit reduci ad effectum.

Resp. 2. dist. maj. Jansenius, ipsiusque discipuli idem dicunt de sua superiore delectatione, & gratia sufficiente, quod dicunt Thomistæ, & re ipsa ita sentiunt, *neg. maj.* idem dicunt subdotè, & aliter est, ac aliter sentiunt, *con. min. & neg. conf.*

Inst. 15. Saltem Jansenius, ac ipsius discipuli non sunt hæretici; ergo &c. *Prob. subs.* Ideo Thomistæ non sunt hæretici; quia existimant, suam prædeterminationem non tollere libertatem, eorumque gratiam verè esse sufficientem: atqui etiam Jansenius, ejusque discipuli existimant, delectationem superiorem non tollere libertatem, parvamque gratiam verè esse sufficientem; ergo Jansenius, ac ipsius discipuli non sunt hæretici.

Resp. dist. min. Atqui etiam Jansenius, ejusque discipuli existimant delectationem superiorem non tollere libertatem à coactione, parvamque gratiam verè esse sufficientem absolutè, *con. min.* existimant delectationem superiorem non tollere libertatem à necessitate, parvamque suam gratiam verè esse sufficientem relativè, *neg. min. & conf.* Gratia enim Thomistica non adimit libertatem à necessitate, ut docent Thomistæ, ac relativè est sufficiens; quia homo potest resistere cuilibet & gratiæ & concupiscentiæ gradui, caret autem gratiæ effectū solo vitio voluntatis, expeditam namque confert ad opus potestatem, & nihil ex parte potentiæ, sed tantum actūs secundi requiritur. Econtra verò gratia Jansenii, ejusque discipulorum tollit libertatem à necessitate, & non est relativè sufficiens; quia voluntas cum illa non potest resistere concupiscentiæ superiori; & caret effectū vitio virium gratiæ, nec confert expeditam ad opus potestatem, ac proinde in re nec est verè sufficiens.

Solvuntur objectiones contra tertiam partem, de gratia prædeterminante Thomistarum.

Obj. Deus debet habere supremum dominium tam in ordine naturali, quam supernaturali: atqui si gratia efficax non constituitur per prædeterminationem physicam, Deus non habet supremum dominium in ordine

supernaturali; ergo gratia efficax constituitur per prædeterminationem physicam. *Prob. min.* Ut Deus habeat supremum dominium in ordine supernaturali, debet omnis motus supernaturalis dependere à Deo tanquam à causa physica efficiente: atqui, si gratia efficax non constituitur per prædeterminationem physicam, non omnis motus supernaturalis dependet à Deo tanquam causa physica efficiente; ergo si gratia efficax non constituitur per prædeterminationem physicam, Deus non habet supremum dominium in ordine supernaturali. *Prob. min.* Effectus gratiæ efficacis est motus quidam physicus, & supernaturalis, quò voluntas ex nolente fit volens: atqui si gratia efficax non constituitur per prædeterminationem physicam, ille motus supernaturalis, ac physicus, quo voluntas fit ex nolente volens non dependet à Deo tanquam à causa physicè efficiente, sed tantum moraliter alliciente per illuminationem intellectus, & voluntatem per actum indeliberatum, ac prævenientem moraliter ad consensum alliciendo; ergo si gratia efficax non constituitur per prædeterminationem physicam, non omnis motus supernaturalis, dependet à Deo tanquam causa physica efficiente. *Prob. min.* Gratia efficax est præveniens, & excitans: atqui gratia præveniens, & excitans tantum movet moraliter, ut omnes fatentur Theologi congruistæ; si enim physicè movet, etiam præmover physicè, ac prædeterminat; prævenit namque voluntatem, & ex non determinata facit determinatam, ex nolente volentem, ut docet S. Augustinus; ergo ille motus supernaturalis, ac physicus non dependet à Deo tanquam à causa physicè efficiente.

Resp. dist. min. Atqui si gratia efficax non constituitur per prædeterminationem physicam, ille motus supernaturalis, ac physicus, quò voluntas fit ex nolente volens non dependet à Deo tanquam à causa physicè efficiente per gratiam præcisè, ut prævenientem, *con. min.* non dependet à Deo tanquam à causa physicè efficiente per gratiam ut adjuvantem, & cooperantem ac concomitantem, *neg. min. & conf.* Unde Deus gratiâ præveniente efficaci intellectum quidem physicè illuminat, & in voluntate tanquam causa physica efficit actum indeliberatum, quo moraliter tantum voluntatem allicit

allicit ad illum deliberatè prosequendum; videns autem Deus voluntatem tali gratiâ præventam velle consentire, ac cooperari, si ei ulteriora auxilia præbeantur, eandem adjuvat præbendo gratiam adjuvantem, cooperantem, ac concomitantem, quibus gratiis in actû secundo efficacibus physicè concurrendo actum, & effectum à gratia efficaci intentum efficit, non verò physicè prædeterminando.

Inst. 1. Atqui Deus adjuvat ad consensum physicè prædeterminando; ergo &c. *Prob. subs.* Facere ex nolente tanquam causa physicè efficiens volentem, vel quod idem est, ex indeterminato facere determinatum est physicè prædeterminare, vel dicatur, quid sit physicè determinare: atqui Deus gratiâ adjuvante ad consensum tanquam causa physicè efficiens facit voluntatem ex nolente volentem, ex indifferente determinatam; quia hunc motum physicum physicè tanquam causa prima producit; ait enim S. Augustinus Lib. 4. ad Bonif. c. 9. *Oramus . . . ut faciat ex nolentibus volentes, & ex repugnantibus consentientes, & ex oppugnantibus amantes*: atqui hoc est determinare. Et S. Augustinus Enchir. 32. ait: *Utrumque legitur in sacris eloquiis . . . nolentem prævenit, ut velit*; ergo Deus adjuvat ad consensum physicè prædeterminando.

Resp. dist. maj. Facere ex nolente tanquam causa physicè efficiens volentem cum exclusione propriæ, & simultaneæ determinationis voluntatis, & præviè facere physicè voluntatem ex indeterminata determinatam, est prædeterminare, *con. maj.* non exclusâ determinatione simultaneâ voluntatis, sed simul cum voluntatè concurrendo, est prædeterminare, *neg. maj. dist. min.* atqui Deus gratiâ adjuvante ad consensum tanquam causa physicè efficiens facit voluntatem ex nolente volentem illam physicè præveniendo, *neg. min.* illam concomitando, ac cum illa simul concurrendo, *con. min. & neg. conf.* Unde Deus quidem tanquam causa physicè efficiens facit voluntatem ex nolente volentem, juxta illius voluntatis inclinationem, & determinationem, cum gratia præveniente prævisam, concurrendo, non verò præveniendo physicè determinationem voluntatis, sed tantum moraliter gratiâ præveniente, & motione

indeliberatâ eam moraliter alliciendo. Unde ait S. Thomas q. 3. de pot. a. 3. *Et cum conjunxerimus his, quod Deus sit sua virtus, & quòd sit intra rem quamlibet, non sicut pars essentia, sed sicut tenens rem in esse, sequitur, quod ipse in quolibet operante immediatè operetur, non exclusâ operatione voluntatis, & naturæ, nempe simul naturâ cooperante. Voluntas igitur juxta S. Thomam simul cum causa prima operatur, & non prima ante secundam, sed ambæ simul tanquam duæ causæ totales diversi ordinis eandem operationem determinationis producentes.*

Inst. 2. Atqui Deus facit ex nolente volentem eam præveniendo tanquam causa physicè efficiens; ergo &c. *Prob. subf.* S. Thomas 3. contra gent. cap. 149. ait: *Motionem moventis præcedere motum mobilis ratione, & causalitate, commune est axioma, causa est prior naturâ effectui: atqui voluntatis determinatio est motus mobilis, & est effectus, & gratia adjuvans est motio moventis, & causa prima determinationis; ergo Deus facit ex nolente volentem eam præveniendo tanquam causa physicè efficiens.*

Resp. dist. maj. Motio moventis præcedit motum mobilis passivè sumptum, & si mobile non sit simul movens, *con. maj.* activè sumptum, & si mobile sit simul movens, & motum, *neg. maj. dist. min.* atqui determinatio est motus mobilis, & simul movens, & est effectus gratiæ, ac simul voluntatis, *con. min.* determinatio est motus mobilis, & non simul movens, sed merè passivè se habens, & effectus solius gratiæ, & non simul voluntatis, *neg. min. & conf.* Unde Deus movet, ut causa prima voluntatem, & voluntas, ut causa secunda, simul ratione, naturâ, ac causalitate est seipsam movens, & applicans in suo ordine ad effectum; quia est verè activa, & non merè passivè se habens, & Deus, ac voluntas sunt duæ causæ simul agentes, & eandem motionem voluntatis simul producentes, quæ motio est determinatio, prout est à voluntate; quia fit secundum ipsius propensionem, & prout ipsa vult, non verò prout se tenet ex parte Dei, sed tantum cooperatio, quia Deus agendo se accommodat, ac cooperatur voluntati hominis, volens

Q. II. DE EFFICACIA GRATIÆ. A. II. 211

ipſius conſervare libertatem, prout pulchrè indicat S. Bernardus Tract. de grat. & lib. arb. c. 14. tom. I. p. 621. dicens: *Quod à ſola gratia ceptum eſt, pariter ab utroque perficitur, ut mixtim, non ſingulatim, ſimul, non viciffim, per ſingulos profectus operentur. Non partim gratia, partim liberum arbitrium, ſed totum ſingula opere in dividuo peragunt, quidem hoc, & totum illa; ſed ut totum in illo, ſic totum ex illa.* Et S. Thomas 3. contra gent. c. 70. *Non ſic idem effectus cauſæ naturali, & divinæ virtuti attribuitur, quaſi partim à Deo, & partim à naturali agente fiat, ſed totus ab utroque ſecundum alium modum, ſicut idem effectus totus attribuitur instrumento, & principali agenti etiam totus.*

Inſt. 3. Atqui Deus, ut cauſa prima, non movet ſecundam, ac ipſam voluntatem ſimul concurrente; ſed phyſicè prædeterminando; ergo &c. *Prob. ſubſ.* Deus non poteſt phyſicè movere cauſam ſecundam, niſi cauſalitate phyſicè influat in ſecundam: atqui juxta eos, qui admittunt ſolum concursum ſimultaneum non influit in ipſam cauſam ſecundam, ſed cum cauſa ſecunda in effectum; ergo per concursum non movet cauſam ſecundam, ſed cauſa ſecunda ſeipſam moveret, ac illius motio non eſſet à Deo phyſicè efficiente, ac proinde independens à Deo tanquam à cauſa efficiente; quia, ut phyſicè motionem cauſæ ſecundæ efficeret, deberet in illam influere, & non ſolum in effectum.

Reſp. diſt. min. Atqui juxta eos, qui admittunt ſolum concursum ſimultaneum, Deus non influit in ipſam cauſam ſecundam præviè eam movendo, *con. min.* non influit in cauſam ſecundam, eamque ſimul movendo, *neg. min. & conf.* Unde omnia, quæ Thomiſtæ de ſua prædeterminatione phyſica dicunt, poſſent dici de concursu ſimultaneo naturali in naturalibus, & ſupernaturali in ſupernaturalibus, ſolâ exceptâ particulâ præviè; quia 1.º concursus ſimultaneus eſt applicatio omnipotentis Dei influens in cauſam ſecundam, eam phyſicè movendo ſecundum modum, & exigentiam illius, non tamen præviè, ſed cauſam ſecundam in ſuo ordine, nempe ut vitali, ſe ſimul moyente. 2.º Eſt determinans voluntatem, non tamen præviè, niſi moraliter gratiâ præveniente, ſed ſimul eandem cum vo-

luntate se determinante producendo determinationem.
 3.^o Causam secundam applicat ad actum secundum, non tamen præviè, sed simul cum potentia motrice cooperando. 4.^o Est physicus; quia physicè movet, & applicat voluntatem, non tamen præviè, sed simul cum ipsa voluntate se physicè movente & applicante. 5.^o Est infallibiliter, & necessariò connexus cum effectu in actu secundo, ac composito necessitate præveniente ex ipsa actualitate, quia, cum actu agit, non potest non agere. 6.^o Est in hominis potestate; quia potest illum habere cum gratia præveniente cooperando; & illum non impediendo. Unde facilè famosa illa de auxiliis disputatio terminaretur, si placeret Thomistis huic soli renunciare particulæ, *præ*, vel *præviè*; quâ S. Thomas non utitur, nec necessaria est, cum causa prima, & secunda sint duæ causæ totales simul naturâ, & tempore in diverso ordine agentes, ac eandem actionem, & eundem illius effectum producentes, quælibet in suo ordine agendo.

Inst. 4. Atqui causa prima, vel ipse Deus gratia efficaci physicè influit in voluntatem præviè, ac physicè prædeterminando; ergo &c. *Prob. subs.* Gratia præveniens, quâ Deus in voluntate excitat, ac producit actum indeliberatum, quo voluntatem ad consensum, ac deliberatè cooperandum moraliter excitat, & allicit, est eadem entitativè, ac illa, quæ eundem actum consentiente voluntate prosequitur, cooperando, & adjuvando; quia, ut communiter docent Theologi, gratia præveniens, excitans; cooperans, adjuvans &c. differunt tantum nomine, ac functione, non entitate: atqui gratia præveniens præviè, ac physicè influit in voluntatem, præviè, ac physicè illam prædeterminando ad actum illud indeliberatum producendum; aliàs esset deliberatus, si voluntas determinaret; ergo & gratia adjuvans, cooperans &c. saltem entitativè est physica prædeterminatio.

Resp. dist. maj. Gratia præveniens est entitativè eadem gratia, ac adjuvans, cooperans &c. quoad entitatem, & eodem modo agens, sicut adjuvans, & cooperans, *neg. maj.* & alio, ac diverso modo agens quoad consensum voluntatis, *con. maj. dist. min.* atqui

gratia præveniens physicè prædeterminando producit illum actum indeliberatum, & ille actus indeliberatus est actus liber, *neg. min.* est necessarius, *con. min. neg. conf.* Hic autem est quæstio de actu libero; necessarium enim, & cum læsione libertatis prædeterminatione physicâ produci posse, nemo negat. Deinde diverso modo agit gratia præveniens, & adjuvans, ac cooperans; quia præveniens tantum physicè agit in voluntatem excitando motum indeliberatum, & moraliter illam alliciendo ad eum deliberatè prosequendum; adjuvans verò, & cooperans physicè agunt in voluntatem, physicè illam adjuvando, & illi cooperando concursu supernaturali, ac physico, sed conformiter ad illius exigentiam, prout indicat S. Thomas 1. 2. q. 10. a. 4. in corp. *Omnia movet (Deus) secundum eorum conditionem . . . quia ergo voluntas est principium activum non determinativum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa, sic Deus eam movet, quòd non ex necessitate ad unum determinat, sed remanet motus ejus contingens, ac non necessarius, nisi in his, ad quæ naturaliter movetur.*

Inst. 5. Atqui gratia præveniens, & adjuvans, ac cooperans eodem modo agunt prædeterminando; ergo. *Prob. subs.* Si gratia adjuvans, & cooperans non eodem modo agerent, ac præveniens, nempe quoad actum indeliberatum, ideo esset; quia adjuvans, & cooperans movent voluntatem juxta illius inclinationem; ac determinationem: atqui falsum consequens; ergo &c. *Prob. min.* Si gratia adjuvans, ac cooperans moverent voluntatem juxta illius inclinationem, Deus suâ gratiâ non faceret, ut velimus, nec faceret, ut faciamus, sed homo, ac illius voluntas faceret, ut Deus faciat, & tali modo gratiâ adjuvante moveat: atqui hoc expressè est contra S. Augustinum dicentem Lib. de grat. & lib. arb. c. 16. *Ille facit, ut velimus bonum. . . ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati; ergo & antecedens.* Deinde determinare voluntatem ad actum, est effectus formalis gratiæ efficacis.

Resp. dist. maj. Si gratia adjuvans, ac cooperans moverent voluntatem juxta illius inclinationem, Deus gratiâ suâ non faceret, ut velimus, nec faceret, ut faciamus gratiæ præveniente, *neg. maj.* non faceret.

ut faciamus gratiâ adjuvante, & cooperante, *subdist.* voluntatem physicè prædeterminando, *con. maj.* physicè adjuvando, & cooperando, *neg. maj. dist. min.* atqui ex S. Augustino Deus facit, ut faciamus gratiâ præveniente moraliter alliciendo, ac determinando voluntatem moraliter, *conc. min.* facit, ut faciamus gratiâ adjuvante, & cooperante, *subdist.* facit, ut faciamus physicè adjuvando, ac cooperando, *conc. min.* physicè prædeterminando, *neg. min. & conf.* Deinde determinare moraliter, & præbere vires physicas adjuvando, est effectus formalis gratiæ efficacis, non verò prædeterminare physicè.

Inst. 6. Atqui Deus facit, ut faciamus non tantum adjuvando physicè, sed etiam prædeterminando; ergo. *Prob. subs.* Si Deus faceret, ut faciamus tantum physicè adjuvando, & cooperando, & non prædeterminando, voluntas non esset pedissequa, sed prævia; quia gratia adjuvans, & cooperans sequuntur determinationem voluntatis: atqui voluntas est pedissequa, & non prævia ex S. Augustino Lib. 1. ad Bonif. c. 19. n. 37. & Epist. 186. ad Paulinum aliàs 106. c. 3. n. 10. ubi dicit: *Concomitante non ducente, pedissequâ, non præviâ, voluntate;* ergo Deus facit, ut faciamus non tantum adjuvando physicè, sed etiam prædeterminando.

Resp. dist. maj. Si Deus faceret, ut faciamus tantum physicè adjuvando, & cooperando, & non prædeterminando voluntas non esset pedissequa, sed prævia, respectu gratiæ cooperantis, & adjuvantis, *con. maj.* respectu gratiæ prævenientis, & excitantis, *neg. maj. dist. min.* atqui ex S. Augustino voluntas est pedissequa & non prævia, respectu gratiæ prævenientis, *con. min.* voluntas est pedissequa, respectu gratiæ cooperantis, & adjuvantis, *neg. min. & conf.* Unde S. Augustinus vult tantum dicere, quod gratiam Dei prævenientem non aliquid meriti voluntatis præcedat, respectu verò gratiæ adjuvantis, ac cooperantis voluntas non est pedissequa, sed simul physicè agens, & moraliter, ac objectivè prævia, quatenus Deum movet suâ exigentiâ, & consensu, à gratia præveniente excitato, ac scientiâ mediâ, præviso ad physicè concurrendum cum gratia adjuvante, & cooperante, in quo sensu etiam juxta ipsos

Thomistas gratia prædefiniens potest dici postdefinitio, & postdeterminatio, quia sequitur juxta dispositionem, & exigentiam voluntatis, à qua Deus objectivè determinatur, ad dandum talem potiùs influxum physicum, v. g. ad amorem, quàm alium, v. g. odium. Vide apud Goudin Bill. suprâ cit. in prænot. Hinc voluntas est pedissequa respectu gratiæ prævenientis, & est prævia objectivè respectu gratiæ concomitantis, & in actu secundo physicè simul cum gratia cooperans, ut patet ex verbis antecedentibus ipsius S. Augustini cit. Epist. 186. ad Paulin. quæ sic sonant: *Cum fides impetrat justificationem, non gratiam Dei aliquid meriti præcedit humani, sed ipsa gratia meretur augeri, ut auctus mereatur perfici, concomitante, non ducente, pedissequâ, non præviâ, voluntate.* Et Lib. de grat. & lib. arb. c. 17. dicit: *Deus est, qui præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incepit, quoniam ipse, ut velimus, operatur, incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. . . ut ergo velimus sine nobis operatur; cum autem volumus, & sic volumus, ut faciamus, nobiscum operatur.*

Inst. 7. Atqui voluntas est pedissequa etiam respectu gratiæ adjuvantis, & cooperantis; ergo &c. *Prob. subs.* Priùs est dare, quàm accipere: atqui Deus adjuvando, & cooperando dat operari voluntati; ergo est prior, ac voluntas est pedissequa.

Resp. dist. min. Atqui Deus adjuvando, & cooperando dat operari in utroque ordine solus, exclusâ voluntate, *neg. min.* dat operari in suo ordine simul cum voluntate in suo quoque ordine simul cooperante, *neg. min. & conf.* Unde operari in homine est à Deo & homine, simul ratione ac naturâ cooperantibus. Halucinantur semper Thomistæ; quia considerant actionem immanentem voluntatis, ut procedentem à Deo tanquam à causa prima, & non simul ut procedentem ab ipsa voluntate ut causâ secundâ immanente, ac vitali, & non satis considerant actionem voluntatis immanentem non posse esse à solo Deo, in nullo signo, sed actionem Dei, & creaturæ esse unicam, ac indivisibilem, & si actio Dei esset prior naturâ, & causâ actionis creaturæ, esset distincta; quia omnis causa

efficiens distincta est realiter ab effectu, aliàs seipsam produceret.

Inst. 8. Atqui Deus dat operari in utroque ordine primæ, ac secundæ; ergo &c. *Prob. subs.* Deus dat operari in utroque ordine, si illud, quod voluntas in suo ordine producit, etiam Deus producat tanquam causa efficiens: atqui Deus id, quod voluntas in suo ordine producit, etiam Deus, ut causa efficiens producit; aliàs esset independens à Deo tanquam à causa efficiente; ergo Deus dat operari in utroque ordine primæ, ac secundæ causæ.

Resp. dist. maj. Deus dat operari in utroque ordine, si illud, quod voluntas producit, producat tanquam causa efficiens immanens, & vitalis, *con. maj.* si ut causa prima, & extrinseca, *neg. maj. dist. min.* atqui id, quod voluntas in suo ordine producit, etiam Deus ut causa efficiens producit in suo ordine causæ primæ, & extrinsecæ, *con. min.* immanentis, & intrinsecæ, *neg. min. & conf.* Unde ambæ causæ idem producant, sed diverso modo, & in diverso ordine, quod voluntas agit ut causa vitalis, hoc Deus ut causa prima producit.

Inst. 9. Atqui Deus dat operari adjuvando, & cooperando solus cum exclusione voluntatis; ergo &c. *Prob. subs.* Operari gratiæ efficacis est supernaturale, uti est actus fidei: sed voluntas, quæ est potentia naturalis, non potest dare operari supernaturale; ergo Deus operari dat solus cum exclusione voluntatis.

Resp. dist. min. Atqui voluntas, quæ est potentia naturalis, non potest dare operari supernaturale, non elevata virtute supernaturali, & propriis viribus, *con. min.* elevata virtute supernaturali gratiæ, *neg. min. & conf.* Unde operatio, seu effectus gratiæ efficacis, est naturalis, prout est actus vitalis; & est supernaturalis, prout est à potentia, ac virtute supernaturali, voluntatem supra suas vires elevante.

Inst. 10. Atqui voluntas etiam elevata non dat operari; ergo &c. *Prob. subs.* Si voluntas etiam elevata daret operari, Deus deberet expectare voluntatem gratiæ prævenienti obtemperantem: atqui Deus non expectat voluntatem gratiæ prævenienti obtemperantem; ergo &c. *Prob. min.* Si Deus expectaret volun-

tatem gratiæ prævenienti obtemperantem, non posset operari in voluntate hominis, quod vellet, priusquam velle in homine reperiret: atqui hoc expressè reprobabat S. Fulgentius Lib. de Incarn. & grat. c. 29. dicens: *Itane rerum ordo credi, putarique permittitur, ut Deus, qui Creator est hominis, . . . operari tamen, quod vult in hominis voluntate non possit, priusquam in homine ipsum velle repererit. . . hanc itaque amentiam, & à fidelibus suis arceat, & ab infidelibus auferat Deus; ergo Deus non expectat voluntatem gratiæ prævenienti obtemperantem.*

Resp. dist. maj. Si Deus expectaret voluntatem gratiæ prævenienti obtemperantem, non posset operari gratiâ cooperante in voluntate hominis, quod vellet, priusquam ipsum velle cum gratia præveniente in homine reperiret, *con. maj.* non posset operari gratiâ præveniente, & excitante in voluntate hominis, quod vellet, priusquam ipsum velle in homine repererit, *neg. maj. dist. min.* atqui hoc expressè reprobabat S. Fulgentius, quod Deus non possit operari gratiâ præveniente in voluntate hominis, quod vellet, priusquam ipsum velle in homine repererit, *con. min.* quod Deus non possit operari gratiâ cooperante, salvâ libertate, quod vellet, nisi ipsum velle in homine repererit, gratiâ præveniente excitatum, *neg. min. & conf.* Unde S. Fulgentius contra Semipelagianos reprobât, Deum non posse prævenire voluntatem suâ gratiâ vocante, ac excitante, antequam pium conatum voluntatis viribus naturæ productum repererit, quod & nos rejicimus. Gratiâ enim suâ præveniente facit volentes ex nolentibus, & volentibus cooperatur gratiâ adjuvante, ac cooperante.

Inst. II. Atqui Deus non potest facere, quod vellet in voluntate hominis, v. g. volentem ex nolente, etiam gratiâ præveniente, priusquam reperiat ipsum velle in voluntate; ergo &c. *Prob. subsf.* Deus facit volentem ex nolente gratiâ præveniente efficaci: atqui gratia præveniens non est efficax in sensu admittentium scientiam mediam, nisi dependenter à voluntatis consensu, seu à velle in voluntate hominis præviso per scientiam mediam; ergo Deus non potest facere

volentem ex nolente, priusquam sua scientia reperiat velle in ipsa voluntate.

Resp. dist. min. Gratia præveniens non est efficax, nisi dependenter à consensu, seu velle, in hominis voluntate per scientiam mediam præviso, independenter à gratia præveniente, & propriis viribus in voluntate præexistente, *neg. min.* non est efficax, nisi dependenter à velle per scientiam mediam præviso, dependenter simul à gratia præveniente, & illud velle excitante, *con. min. dist. conf.* ergo Deus non posset facere volentem ex nolente, priusquam reperiat suâ scientiâ velle, in ipsâ voluntate gratiâ præveniente efficiendum, & excitandum, *con. conf.* priusquam reperiat velle, à gratia præveniente independens, ac propriis viribus præexistens, *neg. conf.* Effectus gratiæ efficacis quidem non dependet à sola gratia, sed simul à voluntatis consensu, quem gratia non supponit, sed præveniendò moraliter, & adjuvando physicè efficit, & Deus nolens voluntati vim inferre, eam movet, quomodo scit ei congruere, ut vocantem liberè agens non respuat.

Inst. 12. Atqui ipsum velle non est dependens simul à gratia præveniente; ergo &c. *Prob. subs.* Velle est actus physicus, prout est v. g. actus amoris Dei perfectus: atqui actus physicus non potest esse à gratia præveniente, quæ est causa moralis; ergo ipsum velle non est simul à gratia præveniente.

Resp. dist. min. Atqui actus physicus non potest esse à causa morali physicè absque alio concursu gratiæ adjuvantis, *con. min.* succedente gratiâ simul adjuvante, *neg. min. & conf.* Hinc si gratiâ præveniente voluntas fuerit excitata, & præparata ad volendum, quod bonum est, Deus dat adjuvantem ad illud in actu secundo volendum, ac perficiendum juxta voluntatis gratiâ præveniente excitatæ exigentiam.

Inst. 13. Atqui actus physicus gratiæ non potest esse à causa morali succedente simul gratiâ adjuvante, sed debet esse, ac desumi à prædeterminatione physica; ergo &c. *Prob. subs.* Deus facit, ut faciamus juxta S. Aug. Lib. de gratia & liber. arbitr. cap. 16. præbendo vires efficacissimas voluntati; atqui sola prædeterminatio physica præbet vires efficacissimas voluntati; ergo

Q. II. DE EFFICACIA GRATIÆ. A. II. 219

actus physicus gratiæ non potest esse à causa morali succedente &c. *Prob. min.* Vires ex natura sua essentialiter antecedenter, ac infallibiliter connexæ cum effectu sunt efficacissimæ: atqui tales præbêt prædeterminatio physica; ergo sola prædeterminatio physica præbet vires efficacissimas voluntati.

Resp. dist. maj. præcedentis argumenti, Deus facit, ut faciamus præbendo vires efficacissimas voluntari, salvâ ipsius libertate, *con. maj.* quæ cum libertate reconciliari nequeunt, *neg. maj. dist. min.* atqui sola prædeterminatio physica præbet vires efficacissimas voluntati, salvâ ipsius libertate, *neg. min.* quæ cum libertate reconciliari, ac intelligi nequeunt, *con. min. neg. conf.* Tales etiam præbet præmotio Calvinii, ac delectatio victrix Jansenii, propterea non possunt admitti sine errore.

Inst. 14. Atqui prædeterminatio physica præbet vires efficacissimas voluntari, salvâ ipsius libertate; ergo. *Prob. subs.* Si cum prædeterminatione physica non subsisteret libertas, ideo esset; quia illi non potest resistere liberum arbitrium: atqui Concilium Trid. damnavit Sess. 6. Can. 4. liberum arbitrium non posse dissentire præmotiõni physicæ; si velit; ergo prædeterminatio physica præbet vires efficacissimas voluntati, salvâ ipsius libertate. *Prob. min.* Concilium Trid. in Canone citato damnavit errorem Lutheri, ac Calvinii circa gratiam efficacem: atqui error Lutheri, ac Calvinii circa gratiam efficacem erat, liberum arbitrium non posse dissentire physicæ præmotiõni gratiæ, sed necessitari; ergo Concilium Tridentinum damnavit liberum arbitrium non posse dissentire præmotiõni physicæ, si velit.

Resp. dist. maj. Concilium Tridentinum damnavit errorem Lutheri, & Calvinii circa gratiam efficacem in particulari, *neg. maj.* in genere damnando omnem motionem gratiæ, cui liberum arbitrium non potest dissentire, *con. maj. concessã min. dist. conf.* ergo Concilium Tridentinum damnavit, prædeterminationi physicæ liberum arbitrium non posse dissentire, in genere, damnando omnem gratiæ motionem, cui non potest resisti, *con. conf.* in specie, quasi voluisset declarare, seu approbare, libertatem cum prædeterminatione

subsistere, *neg. conf.* Scopus quidem Concilii Tridentini erat, damnare errorem Lutheri, ac Calvinii Sess. 6. Can. 4. generaliter dicens: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum . . . neque posse dissentire, si velit . . . anathema sit.* Cui autem gratiæ motioni liberum arbitrium non possit dissentire, reliquit indecisum, & an prædeterminatio physica talis sit, cui voluntas reipsa possit resistere, disputationi Scholæ permisit.

Inst. 15. Atqui prædeterminationi physiciæ voluntas reipsa potest dissentire; ergo &c. *Prob. subs.* Si voluntas non posset prædeterminationi physiciæ dissentire, ideo esset; quia homo in sensu composito physiciæ prædeterminationis non potest non agere: atqui hoc ipsum evenit in sententia admittentium scientiam mediam, & in sensu composito gratiæ suæ efficacis non potest non agere, salvâ libertate, & potentiâ dissentendi; ergo etiam prædeterminationi physiciæ voluntas reipsa dissentire potest. *Prob. min.* Gratia in eorum sententia, qui admittunt scientiam mediam, est in sensu composito, & in actu secundo efficax; quia juxta Apostolum Paulum Phil. c. 2. v. 13. Deus in nobis operatur actu velle, & perficere: atqui implicat, Deum in nobis actu operari velle, & perficere, & voluntatem simul non agere; ergo hoc ipsum evenit in sententia admittentium scientiam mediam, salvâ libertate.

Resp. dist. maj. Gratia efficax est in sensu composito, quâ Deus in nobis operatur velle, & perficere, repudiabiliter ex parte voluntatis, *con. maj.* non repudiabiliter, ac indeclinabiliter, *subd.* consequenter ad Dei prævisionem, *con. maj.* antecedenter, *neg. maj. dist. min.* atqui implicat, in nobis Deum actu operari velle, & perficere, & voluntatem simul non agere ex suppositione, & necessitate consequente ex libera determinatione voluntatis, *con. min.* ex suppositione, ac necessitate antecedente, proveniente à prædeterminatione physica, determinationem voluntatis præveniente physice, *neg. min. & conf.* Unde triplex est sensus compositus, ac divisus, videlicet primus Lutheri, ac Calvinii proveniens à præmotione necessitante, componente potentiam in actu necessario cum non actu; sic præ-

Q. II. DE EFFICACIA GRATIÆ. A. II. 221

motus ad amorem non posset dissentire, posset tamen, si non esset præmotus, sicut antecederet inconsultâ libertate vinculis ligatus non potest ambulare in sensu composito, quamvis est ligatus, potest tamen ambulare in sensu diviso, nempe solutis vinculis. Patet taliter, ligatum simpliciter non esse liberum ad ambulandum; quia non liberè, sed inconsultâ libertate est, & manet ligatus, videlicet decreto Dei absoluto antecedente, physicè prædeterminante, ac necessitante, ut fatetur Calvinus, & Lutherus. Secundus Thomistarum, præcipuè recentiorum, proveniens quidem à præmotione antecedente naturâ, & causalitate præviæ prædeterminante, non tamen necessitante, sed in hominis potestate positâ; quia illam impedire potest deficiendo, ac deflectendo à gratiæ sufficientis præmotione, & hic sensus compositus per hoc differt ab illo Lutheri, ac Calvinii; quia componit potentiam in actu libero cum non actu, sic prædeterminatus ad amorem non potest, dum actu amat, non amare, retinet tamen potentiam non amandi; quia in sensu diviso, antequam fuit prædeterminatus, potuit impedire, ne ligaretur prædeterminatione, deficiendo, sicut qui liberè permittit, se ligari, cum posset impedire, ne ligaretur, non potest ambulare in sensu composito, benè autem in diviso, antequam fuit ligatus; quia potuit impedire, ne ligaretur, prout indicat S. Thomas 3. contra gent. c. 159. dicens: *Illi soli gratiâ privantur, qui in seipso gratiæ impedimentum præstant.* Et Concilium Trid. Sess. 6. c. 15. dicens: *Deus, nisi homines illius gratiæ deficeret, sicut cepit opus bonum, ita perficiet operans velle, & perficere.* Iste sensus compositus Thomistarum admittit quidem in homine libertatem, sed modo imperceptibili; quia oritur ab eodem principio prædeterminationis physicæ, ac decreto Dei absoluto antecedente naturâ, & causalitate, sicut ille Lutheri, & Calvinii, & non potest intelligi, quomodo voluntas possit deflectere, ac deficere ab eo, quod absolutè, & antecederet, ac independenter à libera hominis determinatione prædefinitum, ac decretum est. Tertius est eorum, qui scientiam mediam prædicto decreto Dei absoluto anteponunt, & provenit à libera hominis determinatione cum Dei auxilio præveniente

& adjuvante, sic gratiâ præveniente, & adjuvante ex propria determinatione amans, non potest in sensu composito, dum actu amat, non amare, bene autem in sensu diviso, antequam se determinavit ad actum gratia cooperandum, & potest liberè cessare ab amore, & actuali gratiæ motioni resistere, & perfectè liber est, sicut qui spontè ac liberè seipsum ligat, & prohibitu à vinculis se solvere potest, & sicut liberè ex propria determinatione sedens, quia licet in sensu composito, dum est ligatus, non possit ambulare, vel stare actu sedens, potest tamen ambulare in sensu diviso, antequam se ligavit, vel vincula solvendo, & stare surgendo; quia hic sensus compositus oritur ex propria voluntatis determinatione, cum tali auxilio gratiæ prævenientis, & adjuvantis infallibiliter prævisâ, & consequenter ad hanc prævisionem prædefinitâ, ac decretâ. Unde sensus compositus Calvinii, ac Lutheri est hæreticus, Thomistarum quidem catholicus, sed imperceptibilis, & tertius catholicus, & evidens.

Inst. 16. Atqui gratia prædeterminans, quâ Deus in nobis operatur velle, & perficere in sensu composito Thomistico, etiam est repudiabilis; ergo &c. *Prob. subs.* Ideo gratia efficax cum scientia media est repudiabilis, quia necessitas, quæ inde oritur, est tantum consequens, seu consequentiæ, quæ oritur, & sequitur ex infallibilitate scientiæ mediæ, & quia est tantum conditionata: atqui necessitas, quæ oritur ex prædeterminatione physica, etiam est tantum consequentiæ, seu illationis, quæ infertur ex Dei decreto, quod falli non potest, non verò consequentis; ergo gratia prædeterminans in sensu Thomistico etiam est repudiabilis. *Prob. min.* S. Bonaventura in 1. dist. 47. a. 1. q. 1. dicit, quod in iis, quæ Deus vult, sicut in his, quæ præscit, sit necessitas consequentiæ, sed non consequentis. Et S. Thomas 1. dist. 47. q. 1. ad 2. ait: *Quamvis voluntas Dei sit immutabilis, & invincibilis, non tamen sequitur, quod omnis effectus ejus sit necessarius necessitate absolutâ, sed solum conditionatâ: atqui decretum Thomisticum, in quo fundatur prædeterminatio physica, est ipsa voluntas Dei; ergo necessitas, quæ infertur ex decreto Thomistico, est tantum consequentiæ, sicut illa, quæ infertur ex scientia media,*

Q. II. DE EFFICACIA GRATIÆ. A. II. 223

Resp. dist. maj. Necessitas, quæ inferitur ex voluntate Dei consequente nostram liberam determinationem, est tantum consequentiæ, & non consequentis, & conditionata, ut prædeterminatio physica, ac decretum Thomisticum absolutum, *neg. maj. dist. min.* atqui decretum Thomisticum est ipsa voluntas Dei antecedens, & absoluta, *con. min.* consequens, & conditionata, *neg. min. & conf.* Jam patet differentia decreti Thomistici, & admittentium scientiam mediam ex supra dictis, & ex Tract. de Deo uno.

Inst. 17. Atqui decretum Thomisticum etiam est voluntas Dei consequens; ergo &c. *Prob. subs.* Ideo decretum vestrum est voluntas Dei consequens; quia consequitur ad inclinationem, & exigentiam voluntatis conditionatè prævisam, & Deus ab ipsa voluntate objectivè movetur ad illud formandum: atqui etiam decretum Thomisticum est consequens ad dispositionem, & exigentiam voluntatis, & Deus objectivè determinatur à voluntatis dispositione ad illud formandum, uti docet Goudin, & Billuart supra in prænotatis citati; ergo decretum Thomisticum etiam est voluntas Dei consequens.

Resp. dist. min. Atqui etiam decretum Thomisticum est consequens dispositionem, & exigentiam voluntatis præbens influxum physicè prævium, & prædeterminantem, *con. min.* præbens influxum simultaneum, sicut decretum nostrum consequens, *neg. min. & conf.* Quamvis enim Thomistæ famiores, ut salvent sanctitatem Dei, & ne debeant admittere Deum solum esse causam peccati, & potiùs actûs mali, v. g. odii Dei, quàm amoris, fateantur, Deum præmovere voluntatem ad bonum, vel malum juxta illius dispositionem, & exigentiam ad bonum, vel malum; id tamen fieri afferunt per influxum physicum prævium, & prædeterminantem; nos autem dicimus esse simultaneum; quia, cum influxus voluntatis sit vitalis, ac immanens, non potest esse ab influxu divino transeunte tanquam à causa physica illius, nisi simul sit naturâ, & causalitate ab ipsa voluntate in suo ordine tanquam principio essentiali immanente, ac connaturali, sicut visio non potest vitaliter præviè produci à Deo, quin simul naturâ, & causalitate fiat ab oculo; quia in null.

instanti naturæ, vel rationis potest fingi visio sine oculo.

Solvuntur objectiones contra alias partes.

Obj. 4. Per illud constituitur efficacia gratiæ, per quod gratia suum infallibiliter sortitur effectum diversimodè 1.º per delectationem moraliter necessitantem; quia experientia docet, voluntatem secundum id, quod magis delectat, necessariò saltem moraliter operari, quin delectatio moralis officiat libertati, sic nudo corpore luce meridianâ per plateas currere sapienti moraliter est impossibile, & tamen liberè non currit. 2.º Per consensum; quia S. Augustinus Lib. 12. de civit. Dei ex duobus æqualiter tentatis, & æquali gratiâ suffultis efficaciam soli voluntatis consensui adscribit dicens: *Quid aliud apparet, nisi unum voluisse, alterum noluisse.* 3.º Per congruitatem, cui idem S. Augustinus variis in locis efficaciam gratiæ tribuit. 4.º Per multitudinem omnium mediorem simul sumptorum; quia omnibus simul sumptis effectus infallibiliter sequitur; ergo per prædicta gratia efficax constituitur.

Resp. dist. maj. Per illud constituitur efficacia gratiæ, per quod gratia suum infallibiliter sortitur effectum infallibilitate metaphysicâ, & in sensu theologico cum libertate, & tanquam singulare Dei donum, *con. maj.* per quod suum effectum infallibiliter, infallibilitate morali duntaxat, & quocunque modo sortitur, *neg. maj. dist. min.* atqui gratia suum sortitur effectum infallibiliter per delectationem moraliter necessitantem, vel per consensum, vel congruitatem, vel multitudinem mediorem infallibilitate morali, quæ sine miraculo potest falli, *con. min.* sortitur suum effectum in prædictis sententiis infallibilitate metaphysicâ, theologice cum libertate, & tanquam à singulari Dei dono, *neg. min. & conf.* Delectatio enim moralis, congruitas, ac multitudo mediorem sine miraculo falli possunt, cum tantum certitudinem moralem, quæ sine miraculo aliter se habere potest, includunt, & desumpta ex solo consensu non est singulare Dei donum, ut patet ex probationibus. Unde infallibilitas ex perspicuitate scientiæ Dei infinitæ desumi debet, & ratio doni Dei singularis ex decreto absoluto, quo potius hanc, cum qua
vidit

vidit effectum fecuturum, quàm aliam, cum qua prævidit non fecuturum, placuit decernere, & libertas ex consensu cum tali gratia liberè futuro intelligitur.

Inst. Ergo prædictæ sententiæ Scholæ omnes possent admitti præsuppositâ scientiâ mediâ, & decreto subsequente de gratia tali præ alia danda.

Resp. dist. subs. Ergo omnes prædictæ sententiæ Scholæ possent admitti præsuppositâ scientiâ mediâ, & decreto de illa gratia præ alia danda subsequente exceptâ Thomisticâ, *con. subs.* etiam Thomistica, *neg. subs.* Deus enim videt hominem aliquando cooperaturum ob vehementiam, ac intensiorem gratiæ, ut Paulum spirantem minas; aliquando ob circumstantias gratiarum externarum, ut illi, de quibus Joan. 4. 28. ait Christus: *Nisi signa, & prodigia videritis, non creditis;* aliquando ob multitudinem mediorem Christi fanantis omnem languorem in populo, Matth. 4. Prædeterminatio verò, ut libertas salvari possit, deberet collocari in eodem signo naturæ, & causalitatis, ac ipsa voluntas agens, & concipi in eodem signo naturæ; quia est una, ac indivisibilis actio à Deo, & voluntate simul tanquam duabus causis simul agentibus procedens, & est vitalis, libera, ut est à voluntate tanquam principio vitali, immanente, ac connaturali; & quoad entitatem, & materialiter sumpta simul à Deo tanquam à principio extrinseco creativo, conservativo, & activo omnis entis activi, & passivi, quod Thomistæ intelligere nolunt.

CONCLUSIO II.

Gratia efficax theologicè, & in actu primo sumpta, est ipsa entitas gratiæ prævenientis intrinseca cum prævisione infallibili liberæ cooperationis voluntatis ex speciali misericordia præ alia, liberum voluntatis consensum non illaturâ, à Deo ab æterno pro tempore prædefinita. Ac proinde in recto est ipsa gratiæ entitas ex se versatilis, prout in obliquo præscientiam, ac Dei decretum importat. In actu verò secundo est ipse actualis prædictæ entitatis gratiæ influxus, quo cum tali prævisione, & decreto actu voluntatem prævenit, excitat, & consentientem adjuvando, & concomitando usque ad perfectam operis salutaris consummationem supernaturaliter in suo ordine movet, ac dirigit.

Prob. 1. pars, quòd gratia efficax theologicè, & in actu primo sumpta, sit ipsa entitas gratiæ prævenientis cum prævisione infallibili liberæ cooperationis, & Dei decreto, 1.º ex S. Scriptura. Prov. 21. 1. Cor regis in manu Domini, quocunque voluerit, inclinabit illud. Ezech. 36. 27. Faciam, ut in præceptis meis ambuletis. Esther 13. Dominus Rex omnipotens, non est qui possit tuæ resistere voluntati. Phil. 2. 13. Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona sua voluntate. Rom. 9. 15. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.

Ex quibus sic argumentor: Gratia efficax juxta textus citatos est medium infallibile in manu Dei, quo cor regis inclinatur, quòd voluerit, quo nos facit ambulare in præceptis suis, quòd operatur in nobis velle, & perficere pro bona sua voluntate, & speciali misericordia, salvâ hominis libertate; ita enim Ecclesia, ac SS. Patres prædictos textus intelligunt: atqui Deus per entitatem gratiæ prævenientis, quâ videt hominem infallibiliter, ac liberè cooperaturum, cor regis infallibiliter inclinabit, quocunque voluerit illam ei concedendo, faciet nos ambulare cum illa infallibiliter in suis præceptis, aliàs non videret infallibiliter nos cooperaturos, operatur in nobis velle, & perficere pro bona sua voluntate, ac speciali misericordia; quia illam concedit præ alia, quâ prævidet nos non cooperaturos, & salvâ libertate; quia prævidit hominem liberè cooperaturum, ita ut posset non cooperari, si vellet; ergo gratia efficax rectè dicitur ipsa entitas gratiæ prævenientis, quâ prævidit hominem infallibiliter, ac liberè cooperaturum, ex speciali misericordia concessa præ alia, cum qua Deus prævidit hominem non cooperaturum.

Prob. 2. ex S. Augustino, qui dicit de gratia efficaci Lib. de præd. Sanct. c. 10. Ipse tamen facit, ut illa faciant, quæ præcepit. Lib. 4. ad Bonif. c. 9. Oramus non solum pro nolentibus, sed etiam pro repugnantibus, & oppugnantibus, quid ergo petimus, nisi ut faciat ex nolentibus volentes, & ex repugnantibus consentientes, & ex oppugnantibus annuentes. In Enchiridio c. 32. Utrumque legitur in sacris eloquiis. . . nolentem prævenit, ut velit, volentem subsequitur, ne frustra velit. Libr. de grat. & lib. arb. c. 16. n. 32. Ille facit, ut faciamus præbendo

vires efficacissimas voluntati. Lib. de corr. & grat. c. 12. Subventum est infirmitati voluntatis humanae, ut divinam gratiam indeclinabiliter, insuperabiliter ageretur, & ideo, quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur. Et paulò ante: *Infirmis servavit, ut Deo donante invictissimè, quod bonum est, vellent, & hoc deserere invictissimè nollent.* Lib. de corr. & grat. c. 14. *Humanas voluntates non posse resistere, quòminus faciat ipse, quod vult, quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, cum vult, facit. . . habens sine dubio humanorum cordium, quò placet, & inclinandorum omnipotentissimam potestatem.* Lib. I. quæst. ad Simp. q. 2. *Cujus enim miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.* Ibid. Lib. I. ad Simp. *Ut velimus suum esse voluit, & nostrum, suum vocando, nostrum sequendo.* Lib. de spir. & litt. c. 34. *In omnibus misericordia ejus prævenit nos, consentire autem vocationi Dei, vel ab eo dissentire, sicut dixi, propriæ voluntatis est.*

Ex quibus sic argumentor: Gratia efficax juxta S. Augustinum est gratia, quâ facit, ut faciamus, quæ præcipit; quâ ex nolentibus repugnantibus, & oppugnantibus facit volentes, consentientes, annuentes; quâ facit, ut faciamus præbendo vires efficacissimas voluntati, quâ indeclinabiliter, insuperabiliter ageretur, & homo nullâ adversitate vinceretur, & bonum invictissimè vellet; quâ ex misericordia sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat, salvâ libertate, quâ potest consentire, vel dissentire: atqui entitate gratiæ, quâ Deus voluntatem videt infallibiliter, ac liberè cooperaturam, facit, ut faciamus, quæ præcipit, & ex nolentibus, repugnantibus, & cooperantibus facit volentes, consentientes & annuentes; præbet vires efficacissimas, quibus indeclinabiliter, insuperabiliter invictissimè voluntas vult bonum; quia cum illis prævidet infallibiliter eam cooperaturam; & vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat salvâ libertate; quia voluntatem videt liberè consensuram ex speciali misericordia; quia aliter posset hominem vocare, ita ut non esset consensurus; ergo gratia efficax est ipsa entitas gratiæ, quâ Deus ex speciali misericordia vocat, & ita movet voluntatem, quomodo prævidet liberè eam consensuram.

Prob. 3. ratione. Ea sententia est præferenda, quâ Scriptura, ac SS. Patres, libertas voluntatis, infallibilitas gratiæ, ac singulare Dei donum, rectè, & clarè explicantur: atqui in nostra sententia S. Scriptura, ac SS. Patres, libertas voluntatis, infallibilitas gratiæ, ac singulare Dei donum, rectè, & clarè explicantur, ut patet ex dictis, & dicendis in solutione objectionum; ergo nostra sententia aliis est præferenda.

Prob. 2. pars, quòd gratia efficax in actu secundo constituitur per ipsum actualem entitatis gratiæ influxum cum prævisione infallibilis, ac liberæ cooperationis ex speciali Dei misericordia concessum. Per illud constituitur gratia efficax in actu secundo, quo voluntas actu prævenitur excitatur effectus salutaris actu liberè infallibiliter ex speciali Dei misericordia producitur; hæc enim sunt proprietates gratiæ efficacis theologicè sumptæ in actu secundo: atqui per actualem influxum entitatis gratiæ seu actualem concursum supernaturalem, præ alio ex speciali Dei misericordia concessum, cum prævisione cooperationis liberæ & infallibilis voluntatis consensûs, actu voluntas prævenitur, excitatur, & consentienti cooperando, concomitando, adjuvando, effectus salutaris actu liberè, & infallibiliter, ex speciali Dei misericordia producitur; quia aliam potuisset concedere sufficientem, quâ positâ, talis effectus non fuisset secutus; ergo gratia efficax in actu secundo constituitur per actualem influxum entitatis gratiæ, cum prævisione effectus liberè & infallibiliter secutum ex speciali Dei dono concessum.

Solvuntur objectiones.

Obj. In Gratia efficaci theologicè sumpta debet explicari ipsa efficacia cum infallibilitate, & libertate tanquam singulare Dei donum: atqui hæc non rectè in vestra sententia explicantur; ergo non est admittenda.

Prob. min. Vos explicatis efficaciam per ipsam entitatem gratiæ, infallibilitatem per scientiam mediam, & libertatem per ipsam voluntatem prævisam; & singulare Dei donum per decretum: atqui hoc fieri nequit; ergo hæc non rectè explicantur in vestra sententia.

Prob. min. quoad primam partem. Efficacia non potest explicari per ipsam entitatem, si effectus gratiæ non possit esse ab ipsa entitate gratiæ: atqui non potest

esse ab ipsa entitate gratiæ; ergo efficacia non potest explicari per ipsam entitatem. *Prob. min.* Effectus vitalis, ac immanens non potest esse à principio extrinsecò, sed essentialiter est à principio intrinsecò, & immanente connaturali, sic visio non potest esse ab aure, nec intellectio hominis ab Angelo: atqui effectus gratiæ, ut est actus amoris Dei, vel fidei &c. sunt actus vitales, & gratia est principium extrinsecum, nec connaturale; ergo efficacia non potest esse ab entitate gratiæ.

Resp. dist. maj. Effectus vitalis, ac immanens non potest esse à principio extrinsecò, ut vitalis, ac immanens est, *con. maj.* ut supernaturalis est, *neg. maj. concessã min. dist. conf.* ergo effectus gratiæ non potest esse ab ipsa entitate gratiæ, ut vitalis, ac immanens est, *con. conf.* ut supernaturalis est, *neg. conf.* Unde effectus gratiæ perfectus, ut actus amoris Dei, vel fidei est vitalis, & immanens, quatenus est à voluntate, & supernaturalis, prout est à gratia.

Inst. 1. Atqui effectus vitalis, ac immanens non potest esse ab entitate gratiæ, ut supernaturalis est; ergo. *Prob. subs.* Effectus gratiæ, uti est actus amoris Dei, vel fidei, est actus physicus: atqui actus physicus non potest esse ab entitate gratiæ, etiam prout supernaturalis est; ergo effectus vitalis, ac immanens non potest esse ab entitate gratiæ prout supernaturalis est. *Prob. min.* Ut actus physicus sit ab entitate gratiæ, debet gratia physicè influere in effectum: atqui gratia physicè non influit in effectum; ergo non potest esse ab entitate gratiæ, etiam prout supernaturalis est. *Prob. min.* Gratia efficax est gratia præveniens voluntatem moraliter tantum movet & excitat alliciendo; ergo gratia physicè non influit in effectum.

Resp. dist. min. Atqui gratia præveniens voluntatem moraliter movet excitando, prout præveniens est, *con. min.* prout est simul adjuvans, *neg. min. & conf.* Gratia namque præveniens efficax voluntatem prævenit per actus indeliberatos, & initium operis salutaris, quod physicè in voluntate incipit, & producit, eamque per illud ad consensum moraliter allicit, & determinat, & consentientem physicè adjuvat, ei cooperando & concomitando.

Inst. 2. Ex hoc sequeretur, quòd gratia sit ex natura sua efficax; quia moveret moraliter, ac physicè voluntatem: atqui hanc ex natura sua efficacem rejicitis; ergo nulla responsio.

Resp. dist. maj. subs. Ex hoc sequeretur, quòd gratia sit ex natura sua efficax latè, contingenter, & repudiabiliter, *con. maj.* essentialiter, strictè, & infallibiliter, *neg. maj. applicatà eadem distinctione minori, neg. conf.* Unde gratia habet ex natura sua efficaciam sufficientem ad effectum, cui voluntas tamen potest resistere, vel illam impedire; infallibilitatem autem habet ex Dei prævisione infallibili.

Prob. 2. partem min. præcedentis, quòd gratia efficax non habeat suam infallibilitatem à scientia mediâ. Si gratia efficax haberet infallibilitatem ex parte Dei à scientia mediâ, ideo esset; quia Deus antequam decernit, dare talem gratiam, scientiâ mediâ prævideret effectum infallibiliter cum tali gratia futurum, si detur: atqui Deus non videt scientiâ mediâ effectum sub conditione talis gratiæ infallibiliter futurum; ergo gratia efficax non habet infallibilitatem à scientia mediâ. *Prob. min.* Si Deus videret effectum gratiæ efficacis sub conditione talis gratiæ, si detur, infallibiliter futurum, effectus gratiæ esset objectum scientiæ mediæ; quia illum scientiâ mediâ conditionatè futurum prævideret: sed effectus gratiæ efficacis non est objectum scientiæ mediæ; ergo Deus non videt scientiâ mediâ effectum sub conditione talis gratiæ infallibiliter futurum. *Prob. min.* Quod est absolutè futurum non est objectum scientiæ mediæ, sed visionis: atqui effectus gratiæ efficacis est absolutè futurus, sic conversio S. Petri, & S. Pauli est effectus gratiæ efficacis: & erat absolutè futura; ergo effectus gratiæ efficacis non est objectum scientiæ mediæ.

Resp. dist. maj. Quod est absolutè futurum, non est objectum scientiæ mediæ pro eo signo rationis, in quo est absolutè futurum, *con. maj.* pro alio signo, in quo est merè conditionatè futurum, *neg. maj. dist. min.* atqui effectus gratiæ efficacis est absolutè futurus post decretum absolutum, quò Deus decrevit illam dare, *con. min.* in signo rationis ante tale decretum; *neg. min. & conf.* Nam eadem res in diverso signo rationis, ac rerum statu

considerata, diversarum scientiarum potest esse objectum, sic conversio Petri in primo signo, ac statu possibilitatis considerata fuit objectum scientiæ simplicis intelligentiæ; quia in tali statu erat merè possibilis. In secundo signo, ieu statu conditionato, fuit objectum scientiæ mediæ; quia erat conditionatè futura, nempe sub conditione talis gratiæ; & in tertio, postquam Deus decrevit, illam dare in talibus circumstantiis, & prævisione consensûs, est objectum scientiæ visionis; quia in hoc statu est absolutè futura; & sic est triplicis Dei scientiæ objectum in triplici signo, ac statu considerata.

Inst. 1. Atqui conversio Petri in nullo signo fuit objectum scientiæ mediæ; ergo &c. *Prob. subs.* Objectum scientiæ mediæ est id, quod nunquam est absolutè exiturum, prout fuit conversio Tyriorum, ut patet ex definitione scientiæ mediæ, quæ ordinariè definitur: cognitio certa, & infallibilis, quâ Deus ante omne decretum actuale, & absolutum cognoscit ea, quæ quidem nunquam absolutè futura existent, exitura tamen essent, si certa poneretur conditio, prout conversio fuit Tyriorum, & Sydoniorum, quæ ordinariè pro exemplo citatur: atqui conversio Petri non erat nunquam futura, sicut illa Tyriorum, sed erat aliquando absolutè exitura; ergo conversio Petri in nullo signo fuit objectum scientiæ mediæ.

Resp. dist. maj. Objectum scientiæ mediæ est id, quod nunquam est absolutè exiturum, pro nullo signo & statu, pro quo est objectum scientiæ mediæ, *con. maj.* quod pro nullo signo & statu est exiturum, *neg. maj. concessâ min. neg. conf.* Unde futurum conditionatum est duplex, ut haberetur in prænotatis de Scientia Dei, videlicet futurum conditionatum purè, ac simpliciter, cuius conditio nunquam pro nullo signo absolutè est ponenda, talis fuit conversio Tyriorum. Aliud futurum conditionatum secundum quid, cuius conditio aliquando est ponenda, quod, supposito conditionis eventui, transit in absolutum, talis fuit conversio S. Petri in signo ac statu ante decretum absolutum, quo decrevit Deus talem gratiam illi dare, & utrumque futurum conditionatum potest esse objectum scientiæ mediæ pro statu conditionato.

Inst. 2. Atqui futurum conditionatum secundum quid,

prout fuit conversio S. Petri, in nullo signo, ac statu potest esse objectum scientiæ mediæ; ergo &c. *Prob. subs.* Ut Deus viderit conversionem Petri scientiâ mediâ, debuit illam vidisse in aliquo signo sub conditione non ponenda, quia, si illam viderit sub conditione certò ponenda, vidit ut absolutè futuram; purificatâ enim conditione, transit in absolutam: atqui Deus in nullo signo excogitabili vidit conversionem Petri sub conditione non ponenda; quia illam vidisset aliter, quàm est, vel ignorâset, illam in aliquo signo esse ponendam, quod absurdum est; ergo futurum conditionatum secundùm quid in nullo signo, ac statu potest esse objectum scientiæ mediæ.

Resp. dist. maj. Ut Deus viderit conversionem Petri scientiâ mediâ, debuisset illam vidisse in aliquo signo sub conditione non ponenda pro illo signo, pro quo vidit conditionatè futuram, *con. maj.* sub conditione non ponenda pro ullo signo, *neg. maj. dist. min.* atqui Deus in nullo signo excogitabili vidit conversionem Petri sub conditione, non ponenda pro ullo signo, *neg. min.* in nullo signo vidit conversionem Petri sub conditione non ponenda pro illo signo, pro quo est ponenda, *con. min. & neg. conf.* Jam dictum est, duplex esse objectum scientiæ mediæ, nempe futurum conditionatum purè, & simpliciter, cujus conditio pro nullo signo est futura, & conditionatum secundùm quid, cujus conditio in aliquo signo, nempe post decretum est ponenda. Unde quamvis Deus in omni signo viderit conditionem, sub qua conversio S. Petri erat futura, esse ponendam in statu absoluto, attamen etiam simul vidit, illam non esse ponendam pro statu conditionato, & ante decretum, sub qua erat conditionatè futura.

Inst. 3. Atqui Deus in nullo signo vidit conversionem Petri per scientiam mediam conditionatè futuram; ergo. *Prob. subs.* Si Deus vidisset conversionem Petri conditionatè futuram in aliquo signo, præcipuè ante decretum absolutum; quia scientia media est, quâ videt futura conditionata ante omne decretum: atqui Deus non vidit conversionem Petri sub tali gratia conditionatè futuram ante decretum absolutum; ergo Deus in nullo signo vidit conversionem Petri per scientiam mediam conditionatè futuram. *Prob. min.* Deus vidit

suum decretum dandi Petro talem gratiam, antequam vidit cooperationem Petri sub tali gratia conditionatè futuram; ergo non vidit illam ante decretum Dei absolutum. *Prob. ant.* Deus vidit objectum primarium, essentialè, ac necessarium suæ scientiæ ante secundarium, & accidentale: atqui decretum Dei absolutum est de objecto scientiæ Dei primario, essentiali, ac necessario; est enim ipsa Dei voluntas, quâ vult aliquid fieri: & cooperatio Petri, seu conversio est de secundario, & accidentali Dei objecto; potuisset enim non esse; ergo Deus vidit suum decretum dandi Petro talem gratiam, antequam vidit cooperationem Petri sub tali gratia conditionatè futuram.

Resp. dist. maj. Deus videt objectum primarium essentialè, ac necessarium entitativè in recto, & secundum se ante secundarium, *con. maj.* in obliquo terminativè, & in ordine ad actus liberos creaturæ, *neg. maj. dist. min.* atqui decretum Dei absolutum entitativè in recto, & secundum se consideratum est de objecto scientiæ Dei primario, *con. min.* in obliquo terminativè, ac in ordine ad actus liberos creaturæ consideratum est de objecto primario essentiali, ac necessario, *neg. min. & conf.* Decretum enim Dei absolutum circa creaturas, præcipuè circa actus liberos quoad terminationem, cum sit liberum, potuit non esse, & est consequens ad prævisionem liberæ nostræ determinationis, ac proinde consequenter ad liberam nostram determinationem illud videt tanquam objectum liberum, contingens, & secundarium, & eo modo, quo se habet in ordine ad actus nostros liberos, & quo omnia decrevit.

Inst. 4. Atqui Deus videt objectum primarium terminativè in ordine ad actus nostros liberos ante secundarium, & ante liberam determinationem, seu cooperationem, v. g. Petri cum gratia; ergo &c. *Prob. subs.* Si Deus non priùs videret suum decretum, etiam terminativè sumptum, quàm nostram cooperationem; non priùs sciret, quid ipse sit factururus, quàm quid creaturæ sint facturæ, imò priùs videret, quid creaturæ sint acturæ; quia decretum consequenter ad nostram determinationem videret: atqui hoc videtur absurdum; ergo Deus videt objectum primarium terminativè in ordine ad actus nostros liberos ante secundarium &c.

Resp. dist. maj. Si Deus non prius videret suum decretum, etiam terminativè sumptum, quàm nostram cooperationem, non prius sciret, quid ipse sit factururus, quàm quid creaturæ sint acturæ, in iis, quæ vult consequenter ad illarum determinationem, *con. maj.* in iis, quæ vult independenter ab illarum voluntate, & determinatione, *neg. maj. dist. min.* atqui absurdum videtur, quòd non prius videat, quæ ipse sit factururus in iis, quæ dependent à sola sua voluntate, *con. min.* quæ dependent simul à voluntate nostra, & quæ vult consequenter ad nostram voluntatem, *neg. min. & conf.* Cùm enim Deus velit creaturas liberas & earum actus liberos ex propria determinatione producendos, debet eos prius conditionatè prævidere, antequam eos absolute velit, ac decernat, prout autem res vult, & decernit, eo ordine etiam cognoscit, se illas velle.

Inst. 5. Atqui Deus non videt suum decretum, ut consequens ad liberam nostram determinationem, vel cooperationem; ergo &c. *Prob. subsf.* Causa non videtur, ut consequens ad effectum, sed ut antecedens: atqui decretum est causa nostræ cooperationis; est enim applicatio concursus Dei immediati; ergo Deus non videt suum decretum, ut consequens ad liberam nostram determinationem.

Resp. dist. min. Atqui decretum absolutum est causa nostræ cooperationis absolute futuræ, *con. min.* decretum absolutum est causa cooperationis conditionatè futuræ, *neg. min. & conf.* Unde Deus videt quidem suum decretum absolutum consequenter ad cooperationem conditionatè futuram, non verò consequenter ad cooperationem absolute futuram; hæc enim jam præsupponit decretum absolutum de auxiliis certè, & absolute dandis, & cooperatio conditionatè futura supponit decretum conditionatum.

Inst. 6. Atqui semper remanet, gratiam efficacem non habere infallibilitatem à scientia media; ergo &c. *Prob. subsf.* Gratia talis, v. g. quâ Petrus fuit conversus ex se habet infallibilitatem effectûs, & antecedenter ad prævisionem scientiæ mediæ; quia antecedenter ad scientiam mediam, & eâ implicante, verum fuit dicere, Petrum cum tali gratia esse cooperaturum; & objectum

ratione, ac ordine præcedit scientiam: atqui cooperatio Petri cum tali gratia est objectum scientiæ mediæ, & ideo à Deo prævisa, quia ita est, & non fuit quid futurum, quia Deus ita vidit; ergo gratia efficax non habet infallibilitatem à scientia mediâ.

Resp. dist. maj. Gratia talis, v. g. quâ Petrus fuit conversus ex se habet infallibilitatem objectivam effectûs, antecedenter ad prævisionem scientiæ mediæ, *con. maj.* infallibilitatem formalem ex parte subjecti, seu subjectivam, *neg. maj. concessâ min. neg. conf.* Unde quamvis objectum scientiæ mediæ sit antecedenter infallibiliter sub conditione futurum, & non per scientiam mediâ habeat, quòd sit conditionatè futurum; si tamen Deus illud non prævideret sub tali gratia conditionatè futurum, non posset infallibiliter, & absque læsione libertatis voluntatem flectere, quòd vellet; sit ergo gratia medium infallibile respectu Dei per scientiam mediâ.

Inst. 7. Saltem sequitur, gratiam esse ex se efficacem independenter, & ante scientiam mediâ; ergo ad nihil infervit. *Prob. subs.* S. Petrus cum tali gratia ante, & independenter à scientia mediâ fuit cooperaturus; quia etiamsi Deus per impossibile non prævidisset eum cooperaturum, tamen fuisset cooperaturus: atqui gratia, cum qua homo infallibiliter est cooperaturus, est efficax; ergo gratia est efficax ex se independenter & ante scientiam mediâ.

Resp. dist. maj. S. Petrus cum tali gratia ante, & independenter à scientia mediâ fuit cooperaturus infallibiliter, formaliter, & ex parte Dei, *neg. maj.* infallibiliter, objectivè, & in se, *con. maj. dist. min.* atqui gratia, cum qua homo est cooperaturus, est efficax latè, grammaticaliter secundum communem vocis acceptionem, *con. min.* est efficax theologicè, & secundum omnia, quæ Theologi pro gratia efficaci explicanda requirunt, & à SS. Patribus, ac Scriptura ei attribuuntur, *neg. min. & conf.* Theologi enim per gratiam efficacem intelligunt eam, quâ homo est infallibiliter cooperaturus infallibilitate formali ex parte Dei in ratione singularis doni, utrumque dependet à scientia mediâ.

Inst. 8. Atqui gratia efficax non habet necessariò

infallibilitatem, etiam formaliter sumptam à scientia media, quâ Deus videt hominem gratiæ cooperaturum; ergo &c. *Prob. subs.* Ad infallibilitatem formalem, & ex parte Dei sufficit, quòd Deus cognoscat, infallibiliter effectum cum tali gratia esse futurum: atqui hoc Deus cognoscit infallibiliter ex propria sua cooperatione prævisa æquè, ac principalius, quàm ex cooperatione voluntatis humanæ; quia Dei cooperatio est causa principalior; ex eo enim, quòd Deus tali gratiæ fit cooperaturus ad talem effectum, æquè certè Deus cognoscit effectum futurum, quàm ex eo, quòd voluntas gratiæ fit cooperatura; ergo non necessariò habet infallibilitatem formaliter sumptam à scientia, quâ Deus videt hominem cooperaturum.

Resp. dist. maj. Ad infallibilitatem formalem sufficit, quòd Deus cognoscat effectum infallibiliter cum tali gratia liberè futurum, *con. maj.* sufficit, quòd Deus cognoscat effectum cum tali gratia quocunque modo liberè, vel non liberè futurum, *neg. maj. dist. min.* atqui Deus ex sua cooperatione cognoscit effectum cum tali gratia infallibiliter, ac liberè futurum, *neg. min.* cognoscit infallibiliter quocunque modo futurum, *con. min. & neg. conf.* Ut Deus cognoscat, ex sua propria cooperatione effectum liberè futurum, debet etiam cognoscere, liberum hominis arbitrium cum tali cooperatione divina esse liberè cooperaturum. Quòd fit scientiâ mediâ circa liberum voluntatis consensum infallibiliter futurum.

Prob. 3. partem min. primi argumenti, quòd scientia media non requiratur ad conservandam libertatem cum infallibilitate gratiæ. Si requireretur ad conservandam libertatem cum infallibilitate gratiæ prævisio nostri consensûs, & cooperationis mediante scientiâ mediâ, supremum, ac absolutissimum Dei dominium, quòd Deus debet habere in nostram voluntatem, dependeret à nostro consensu conditionatè prævisio; quia non prævisio nostro consensu conditionatè futuro, non posset disponere de nostra voluntate, prout vult, salvâ ipsius libertate: atqui hoc supremo repugnare videtur Dei dominio; ergo non requiritur, ad conservandam libertatem cum infallibilitate gratiæ, prævisio nostri consensûs, & cooperationis mediante scientiâ mediâ.

Resp. dist. maj. Si ad conservandam libertatem cum infallibilitate gratiæ requireretur prævisio nostri consensûs, & cooperationis per scientiam mediam, supremum, ac absolutissimum Dei dominium dependeret à nostro consensu secundum quid, quatenus voluntati nullam Deus vult inferre vim, *con. maj.* dependeret adæquatè à nostro consensu, vel quoad vim operandi, *neg. maj. dist. min.* atqui repugnat, quod supremum Dei dominium dependeat à nostro consensu quoad vim operandi, *con. min.* quoad conservationem libertatis, *neg. min. & conf.* Supremum Dei dominium in nostram voluntatem consistit in virtute operandi, ac mediis infinitis, quæ habet in sua omnipotentia, quibus prævidet hominem cooperaturum, & voluntatem flectendam, quò voluerit.

Inst. 1. Atqui supremum Dei dominium nullo modo dependet à consensu nostro, etiam quoad conservationem libertatis; ergo &c. *Prob. subs.* Si supremum Dei dominium aliquo modo dependeret à nostro consensu pro conservatione libertatis, ideo esset; quia Deus volens exercere supremum dominium in voluntatem, & facere, ut faciamus, eligit, & confert gratiam, cum qua hominem prævidet infallibiliter, ac liberè cooperaturum, præ alia, quâcum videt hominem non cooperaturum: atqui Deus non sic eligit, & confert gratiam, quia videt hominem liberè cooperaturum cum hac, præ alia, quâcum videt eum non cooperaturum; ergo supremum Dei dominium nullo modo dependet à consensu nostro, etiam quoad libertatis conservationem. *Prob. min.* Conferre gratiam, quia Deus videt hominem liberè cum ea cooperaturum, esset conferre gratiam propter bonum illius usum; quia cooperatio est bonus usus gratiæ: atqui hoc damnatum est contra Semipelagianos; ergo Deus non confert gratiam, quia videt hominem liberè cooperaturum.

Resp. dist. maj. Conferre gratiam, quia Deus videt hominem liberè cum ea cooperaturum, tanquam propter causam meritoriam, est conferre gratiam propter bonum usum, *con. maj.* tanquam propter conditionem, & medium miserendi, & causam finalem, *neg. maj. con. min. vel dist.* atqui conferre gratiam propter bonum illius suum tanquam causam meritoriam, damnatum est

in Semipelagianis, *con. min.* tanquam medium specialiter miserendi, & causam finalem, *neg. min. & conf.* Unde ait S. Thomas 1. p. q. 23. a. 5. ad 1. *Usus gratiæ præscitus non est ratio collationis gratiæ, nisi secundum rationem causæ finalis*; quia Deus volens quorumdam specialiter misereri, unam gratiam, cui videt cooperaturos, eligit præ alia, quâcum non essent cooperaturi, & quatenus una præ alia ad finem intentum efficaciter ac infallibiliter conducit, ideoque ad illam dandam ex mera movetur misericordia, & non quia sunt cooperaturi. Tyrii enim, & Sydonii in cinere, & cilicio pœnitentiam egissent, si habuissent certas gratias, quas habuerunt Judæi, illas tamen eis non concessit.

Inst. 2. Atqui usus gratiæ, & consensus conditionatè prævisus non habet rationem causæ finalis, vel conditionis Deum dirigentis ad dandam hanc, quâcum homo est cooperaturus, præ alia, quâcum homo non est cooperaturus; ergo &c. *Prob. subs.* Deus nunquam fuit indifferens, sed semper determinatus ad hanc; ergo consensus conditionatè prævisus non habet rationem causæ finalis, seu conditionis Deum dirigentis.

Resp. dist. ant. Deus nunquam fuit indifferens ad aliam, sed semper determinatus ad hanc, consequenter ad liberam voluntatis cooperationem, ita ut potuisset se determinare ad aliam, *con. ant.* antecedenter, & necessariò, ita ut non potuisset eligere aliam, *neg. ant. & conf.* Quamvis enim Deus ab æterno sit determinatus ad certam gratiam dandam, non tamen sine ratione se ita determinavit, sed hanc potius elegit; quia vidit eam magis congruam ad finem, & effectum intentum, & ita se determinavit ad hanc, ut potuisset eligere aliam.

Prob. 4. partem min. primi argumenti, quòd saltem gratia efficax non habet rationem doni specialis à decreto consequente scientiam mediam; gratia efficax non habet à decreto subsequente scientiam mediam, quòd sit singulare Dei donum, si non habeat à decreto, quòd in his circumstantiis sit potius efficax, quàm non efficax; est enim speciale donum, quatenus est efficax; atqui non habet à decreto tali in his circumstantiis, quòd sit efficax; ergo gratia efficax non habet rationem doni specialis à decreto consequente scientiam mediam.

Q. II. DE EFFICACIA GRATIÆ. A. II. 239

Prob. min. Gratia non habet, quòd in his circumstantiis sit efficax à decreto, si jam ante decretum fuerit habitura effectum: atqui ante omne decretum absolutum fuit habitura effectum; quia Deus eam vidit ante omne decretum habituram effectum, & antequam decrevit, illam dare; ergo non habet à decreto tali in his circumstantiis, quòd sit efficax.

Resp. dist. min. Atqui ante omne decretum absolutum fuit habitura effectum, conditionatum, si Deus decernit illam dare, *con. min.* fuit habitura effectum absolutè futurum, *neg. min. & conf.* Gratia efficax non est speciale beneficium, quia conditionatè, sed quia absolutè habitura est effectum. In multis enim conditionatè habitura fuisset effectum, ut in Tyriis, & Sydoniis; quia autem ipsis non fuit decreta, non habuit rationem beneficii.

Inst. 1. Atqui gratia efficax non habet à decreto Dei absoluto, quòd sit habitura effectum in his circumstantiis absolutè futurum; ergo &c. *Prob. subs.* Etiam supposito decreto absoluto de danda tali gratia, gratia efficax non haberet effectum, si voluntas non vellet cooperari, & in multis in iisdem circumstantiis positus effectum non habet; ergo non habet gratia efficax à decreto absoluto, sed à voluntate, quòd sit habitura effectum absolutè futurum.

Resp. dist. conf. Ergo non habet à decreto absoluto solo, quòd sit in illis circumstantiis habitura effectum absolutè futurum, *con. conf.* non habet à decreto absoluto, & simul à voluntate, *neg. conf.* Effectus enim gratiæ efficax non est à solo decreto absoluto, nec à sola voluntate, sed ab utroque simul.

Inst. 2. Atqui gratia efficax non habet à decreto absoluto de gratia danda, quòd sit habitura effectum in iis circumstantiis, in quibus datur, etiam supposità voluntate consensurà; ergo &c. *Prob. subs.* Gratia efficax nihil habet ampliùs à decreto absoluto, quàm sufficiens; quia eadem gratia absolutè decreta aliquando est efficax, & aliquando tantum sufficiens: atqui gratia sufficiens non habet à decreto absoluto, quòd sit speciale donum; ergo gratia efficax non habet à decreto absoluto, quòd sit habitura effectum, etiam supposità voluntate consensurà.

Resp. dist. maj. Gratia efficax nihil ampliùs habet à decreto absoluto quoad entitatem, quàm sufficiens, *con. maj.* nihil habet ampliùs in ratione beneficii, & ratione circumstantiarum, & dispositionis voluntatis, pro quibus Deus gratiam decernit, *neg. maj. concessâ min. neg. conf. vel dist.* ergo gratia efficax non habet à decreto absoluto ratione entitatis, quòd sit habitura effectum, *con. conf.* non habet à decreto ratione circumstantiarum, & dispositionis voluntatis, pro quibus eam decrevit, quòd sit habitura effectum, *neg. conf.* Unde gratia non est ratione entitatis, sed circumstantiarum, pro quibus decernitur, singulare Dei donum, nempe pro iis, in quibus prævidit voluntatem cooperaturum potiùs, quàm non cooperaturam.

Inst. 3. Atqui gratia efficax nihil haberet ampliùs, quàm sufficiens, etiam in ratione beneficii, & circumstantiarum; ergo &c. *Prob. subs.* Ut gratia efficax habeat aliquid ampliùs in ratione beneficii, & circumstantiarum, deberet decretum absolutum causare consensum in iis circumstantiis, in quibus datur, quem sufficiens non causat: atqui gratia illum non causat, sed supponit; ergo gratia efficax nihil haberet ampliùs, quàm sufficiens, etiam in ratione beneficii, & circumstantiarum.

Resp. dist. min. Atqui decretum absolutum non causat, sed supponit consensum futurum conditionatè, *con. min.* supponit consensum absolutè futurum, *neg. min. & conf.* Gratia efficax est singulare Dei donum mediante decreto absoluto; quia ita causat consensum absolutè futurum, quem in voluntate excitat, & allicit eo modo, quò Deus prævidet voluntatem cooperaturam.

Inst. 4. Atqui decretum absolutum præsupponit effectum absolutè futurum; ergo &c. *Prob. subs.* Si decretum absolutum non præsupponeret effectum absolutè futurum, talis effectus esset subsequens decretum: falsum consequens; ergo &c. *Prob. min.* Si effectus absolutè futurus esset consequens decretum non esset liber: falsum consequens; ergo &c. *Prob. maj.* Ille effectus non est liber, qui est à decreto absoluto, antecedente causalitate; tale enim dicitur Thomisticum: atqui esset à decreto absoluto, antecedente causalitate; ergo non est liber.

Resp.

Q. II. DE EFFICACIA GRATIÆ. A. II. 241

Resp. dist. maj. Ille effectus non est liber, qui est à decreto absoluto, antecedente causalitate prædeterminante, & independente à libera voluntatis determinatione, *con. maj.* qui est ab aliquo decreto absoluto antecedente non physicè prædeterminante, sed dependente à libera voluntatis determinatione, *neg. maj. applicatâ eâdem distinctione minori, neg. conf.* Decretum autem absolutum in nostra sententia non est prædeterminans, independens à prævisione liberæ nostræ cooperationis, uti est in sensu Thomistico, & quamvis in aliquo sensu sit antecedens causalitate, quatenus decernit media voluntari, quibus illam vidit liberè cooperaturam, & ut causa prima voluntatem adjuvat, non tamen prædeterminat.

Inst. 5. Ex his sequeretur, gratiam dici efficacem simul à scientia media, & decreto subsequente; quia sine scientia media, & decreto non esset efficax: falsum consequens; ergo &c. *Prob. min.* Quod est intrinsecum, non potest specificari ab extrinseco: atqui efficacia causæ, ac gratiæ est quid intrinsecum; est enim ipsa vis supernaturalis agendi, & scientia media, ac decretum sunt quid extrinsecum; ergo gratia non potest dici efficax à scientia media, & decreto subsequente.

Resp. dist. maj. Quod est merè intrinsecum, & absolutum, non potest specificari ab extrinseco, *con. maj.* quod non est merè intrinsecum, sed relativum ad extrinsecum, non potest specificari ab extrinseco, *neg. maj. dist. min.* atqui efficacia gratiæ latè sumpta, quoad entitatem & virtutem agendi, est aliquid intrinsecum, *con. min.* strictè ac theologicè sumpta, quoad infallibilitatem, ac singulare donum, *neg. min. & conf.* Gratia enim efficax, theologicè sumpta, dicit virtutem operandi ac ipsam entitatem in recto, quæ sunt aliquid intrinsecum, ac simul infallibilitatem, singulare Dei donum, ac libertatem in obliquo, quæ sunt proprietates gratiæ efficacis, quæ desumuntur ab extrinseco, nempe infallibilitas à scientia media, singulare Dei donum à decreto, scientiam mediam subsequente, & libertas à voluntate liberè consentiente.



ARTICULUS III.

An quinque propositiones Jansenii, ac centum & una Quesnelli legitimè ac canonicè damnatæ sint judicio Ecclesiæ irreformabili, cui fideles corde, ac animo adherere tenentur.

Prænot. I. SUPPOSITIS iis, quæ de gratia sufficiente, & efficaci diximus, de Jansenii, ac Quesnelli doctrina, & damnatione ulterius notandum est, quod, emanatâ ab URBANO VIII. solemnî Constitutione: *In eminenti*, Librum Jansenii, *Augustinus* dictum, proscribente, & ab INNOCENTIO X. quinque ex dicto Jansenii Libro excerptis propositionibus, in præcedenti articulo relatis, ut hæreticis damnatis; Constitutione pariter solemnî: *Cum occasione*, ad omnes Christiani orbis Ecclesias transmissâ, præsertim regni Galliæ, & ob ipsis receptâ, Janseniani variis artibus vaticani fulmen eludere conati sint, asserendo 1.º quinque propositiones damnatas non esse Jansenii. 2.º Non in sensu ipsius fuisse damnatas. 3.º Circâ Bullam ALEXANDRI VII. *Regiminis Apostolici*, declarantis, dictas quinque propositiones ex Libro Cornelii Jansenii excerptas, ac in sensu ab eo intento damnatas fuisse, sufficere, quinque propositiones simpliciter damniare quoad jus, seu doctrinam in iis expressam, & formulæ fidei ALEXANDRI VII. eo sensu subscribere; quoad quæstionem facti autem, seu illarum attributionem Libro Jansenii, religiosum sufficere silentium.

2. Ad eludenda omnino hæc frivola eorum effugia, emanata est solemnî Constitutio CLEMENTIS XI. *Vincam Domini Sabaoth*, 16. Julii 1705. quæ Constitutiones INNOCENTII X. & ALEXANDRI VII. confirmans, & à pravis Jansenianorum interpretationibus vindicans decreta CLEMENTIS IX. quatuor Episcopos Galliæ ad pacem recipientis, & INNOCENTII XII. reprobantis additionem formulæ ALEXANDRI VII. à quibusdam Episcopis in Belgio ad præcludendas Jansenianorum fraudes factam, declaravit, obedientiæ, quæ Constitutionibus, videlicet INNOCENTII X. & ALEXANDRI VII. deberur, obsequioso illo silentio minimè satis-

fieri. Cui Constitutioni CLEMENTIS unanimis accessit Ecclesiæ universæ consensus, & imprimis Cleri galli- cani in Comitibus generalibus an. 1705.

3. Quesnellus anno 1634. 14. Julii Parisiis natus, anno 1657. Congregationi Oratorii adscriptus, Baji, ac Jansenii doctrinæ addictus, Librum Reflexionum Moralium in novum Testamentum edidit, ac plures ei errores in Bajo, & Jansenio damnatos inseruit, ex quo centum & una propositiones excerptæ à CLE- MENTE XI. Constitutione solènni, quæ incipit: *Uni- genitus*, anno 1713. canonicè damnatæ sunt, quæ repe- riuntur in fine Tomi II. Polemicæ. Hæ ambæ Bullæ CLEMENTIS XI. contra Jansenium & Quesnellum ab universa Ecclesia acceptatæ sunt; ac proinde à neutra legitima est appellatio, sed omnes fideles iis corde, & animo adherere tenentur, prout mox probabimus.

CONCLUSIO I.

Quinque Jansenii propositiones canonicè, ac judicio irre- formabili in sensu Libri Jansenii damnatæ sunt, quibus fideles omnes sincerè corde, ac animo adherere tenentur, nec religiosum sufficit silentium circa factum dogmaticum, & attributionem Libri Jansenii.

Prob. 1. pars, quòd quinque Jansenii propositiones ca- nonicè, ac judicio irreformabili damnatæ sùnt. Canonicum sanè, ac irreformabile est judicium, quòd à supremo Ecclesiæ Capite ac controversiarum giudice secundum juris regulas, præhabito maturo ac diligenti examine, latum est: atqui judicium damnans quinque proposi- tiones tale est; quia 1.º latum est à supremo Ecclesiæ Capite, & controversiarum giudice, nempe INNOCEN- TIO X. Summo Pontifice, & ab universali Ecclesia est acceptatum, ut dicimus infra. 2.º Observatæ sunt con- suetæ juris regulæ: neque enim aliter Romæ solent excitatæ de Religione quæstiones discuti, quàm per Cardinales & Consultores, quorum auditis, & pon- deratis suffragiis, Pontifex, ex alto petitâ assistentiâ, pronuntiat, prout INNOCENTIUS X. se gessit delegendo Cardinales, quorum eximia merita omnium ore Romæ prædicabantur: & Consultores, quorum spectata fides, probitas, eruditio singulis probata esse debuit, nullis suspecta, ut ipsemet fateatur Ludovicus de S. Amour

Diarii part. 4. c. 4. & 6. 3.^o Maturum fuit, ac diligens præhabitu examen, ut constat ex teste oculato omni exceptione majore, ALEXANDRO VII. in Constit. a. 1656. qui fuit præfens omnibus, quæ sub INNOCENTIO X. gesta sunt & solemnibus ejusdem ALEXANDRI VII. & ut CLEMENTIS XI. Constitutionibus, pari diligentia factis, confirmatum fuit. 4.^o Eidem judicio accessit consensus universalis Ecclesiæ dispersæ moraliter unanimis; quia Constitutiones INNOCENTII X, ALEXANDRI VII. & CLEMENTIS XI. per omnes Christiani orbis Ecclesias acceptatæ fuere, maximè per Præsules Ecclesiæ gallicanæ, in qua orta fuit controversia, ut constat ex gratulatoria eorundem Præsulum ad INNOCENTIUM Epistola die 15. Julii an. 1653. Ergo quinque Jansenii propositiones canonicè, ac judicio irreformabili damnatæ sunt, ita ut, sicut S. Augustinus de hæresi Pelagiana dixit, de ista dici possit: *Causa finita est: utinam aliquando finiatur error.*

Prob. 2. pars, quòd quinque propositiones Jansenii damnatæ sint in sensu Libri Jansenii. Eo in sensu damnatæ sunt quinque propositiones, in quo ad judicem controversiarum delatæ, utrinque impugnatæ, & propugnatae, atque à Romanis Censoribus discussæ fuerunt, & in quo damnatas declararunt SS. Pontifices: atqui quinque propositiones 1.^o delatæ fuerunt ad judicem controversiarum in sensu Jansenii; quia in eo sensu à sacra facultate discussæ, Romano Pontifici INNOCENTIO X. ab Episcopis Galliæ denuntiatae fuerunt, ad sedandos, inquit in sua ad INNOCENTIUM X. Epistola, motus in Galliis excitatos occasione Libri Jansenii, quos compescere debuerat Bulla URBANI VIII. contra eundem Librum data. 2.^o In eodem sensu fuerunt propugnatae, ac impugnatæ Romæ, quia Hallerius, quinque Jansenii propositionum impuglator, notat Librum, Caput, paginam, ex quibus excerptæ sunt, ut constat ex D. de S. Amour, & defensores Romæ dicuntur Sarbonici, qui partes Jansenii tuebantur. 3.^o In eodem sensu sunt discussæ à Romanis Censoribus, quia coram Summo Pontifice die 3. Feb. 1653. vota tulere circa quinque propositiones in ordine ad Jansenium, ut patet ex Vading in sua relatione, & ex Jansenismi historia scriptore, utroque Jansenianis minimè suspecto, & colli-

gitur ex ipsa Constitutione INNOCENTII X. ubi declarat controversiam, ortam occasione Libri, cui titulus: *Augustinus Cornelii Jansenii*, & ejus opiniones; & ex illius brevi an. 1654. Episcopis gallicanis gratulatorio, ubi inquit: *Damnavimus in quinque propositionibus Cornelii Jansenii doctrinam ejus Libro contentam, cui titulus: Augustinus.* Et ex Constitutione ALEXANDRI VII. 16. Octob. 1656. editâ, in qua ut testis oculus ait: *Quinque illas propositiones ex Libro Jansenii. . . excerptas, ac in sensu ab eodem Cornelio intento damnatas, fuisse, declaramus, & definimus.* Hoc idem testantur subsequentes SS. Pontifices CLEMENS IX, INNOCENTIUS XII, CLEMENS XI. Ergo quinque propositiones Jansenii damnatæ sunt in Libri Jansenii.

Prob. 3. pars, quòd fideles sincerè, corde & animo, judicio INNOCENTII X. adhærere teneantur, nec sufficiat religiosum silentium circà factum dogmaticum, & attributionem Libro Jansenii. Omnes fideles tenentur obedire legitimis Superioribus, ac supremo Ecclesiæ Capiti, ut Christus jubet Matth. 23. 3. dicens: *Omnia ergo, quæcunque dixerint, servate & facite.* Et Apostolus Paulus Rom. 13. 1. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas, nisi à Deo.* Et Hebr. 13. *Obedite præpositis vestris, & subjacete eis.* Atqui SS. Pontifices, qui legitimi sunt, ac supremi Ecclesiæ Superiores, ac controversiarum fidei judices, exigunt ab omnibus fidelibus adhætionem suis Constitutionibus, quibus damnant quinque Jansenii propositiones, non solum circà jus, sed etiam circà factum, & attributionem libro Jansenii, in quo sensu examinatæ, & damnatæ sunt ab INNOCENTIO X. & ita damnatas declarant SS. Pontifices, videlicet ALEXANDER VII. in sua Constitutione suprâ citatâ dicens: *Quinque illas propositiones ex Libro Jansenii excerptas, ac in sensu ab eodem Cornelio intento, damnatas fuisse.* Et CLEMENS XI. in sua Constitutione: *Vineam Domini Sabaoth*, dicens: *Obedientiæ, quæ pro insertis Apostolicis Constitutionibus debetur, obsequioso illo silentio minimè satisfieri; sed damnatum in præfatis propositionibus Jansenii Libri sensum, quem illarum verba præ se ferunt, ab omnibus Christi fidelibus, ut hæreticum, non ore solum, sed & corde rejici, ac damnari debere. . . declaramus, decernimus, & ordinamus.*

Ergo fideles sincerè, corde & animo iudicio INNOCENTII X. adhærere tenentur, damnando quinque propositiones Jansenii, in sensu ipsius Libri, ut hæreticas, nec sufficit religiosum silentium circa factum, & attributionem Libro Jansenii. Quod silentium Janseniani, & 40. Doctores Parisienses sufficere dicebant occasione celebris conscientiae casus, an cuidam Clerico neganda fuerit absolutio, profitenti, se quinque propositiones simpliciter damnare quoad jus, seu doctrinam, quoad quæstionem autem facti, & attributionem Libro Jansenii, se existimare, religiosum silentium sufficere, ad quem respondentes, dixerunt, absolutionem non fuisse negandam; quam responsionem damnavit CLEMENS XI. & S. Facultas Parisiensis perstrinxit temerariam, scandalosam, injuriosam SS. Pontificibus, & Episcopis Calliæ; &, resipiscentibus 39. ex prædictis Doctoribus, reliquum unum contumacem ex albo Doctorum expunxit.

Solvuntur objectiones.

Obj. contra primam partem. Illud iudicium non est canonicum, & irrefragabile, quod non secundum juris regulas latum est: atqui iudicium circa quinque propositiones Jansenii non est latum secundum regulas juris; ergo non est canonicum & irrefragabile. *Prob. min.* Juxta regulas juris nemo damnatur, priusquam audiatur: atqui Janseniani non fuerunt coram adversariis auditi antequam iudicium ferreretur, quamvis id enixè postularent; ergo iudicium circa quinque propositiones Jansenii non est latum secundum regulas juris.

Resp. dist. maj. Juxta regulas juris nemo damnatur, priusquam audiatur, in lite personali, *con. maj.* in lite circa sensum obvium alicujus Libri, & propositionum Jansenii, *neg. maj. dist. min.* atqui Janseniani non fuerunt auditi, quia se congregationi præsentés sistere recusarunt, *con. min.* quia audiri recusati sunt, *neg. min. & conf.* Quamvis enim Pontifices, & Cardinales pro Jansenio deputatis significarint, non necessarium fore, partes adversas audire, cum non agatur de lite personali dirimenda, an reverà persona Jansenii labe hæreseos fuerit infecta, sed tantum de sensu obvio in quinque propositionibus relativè ad ipsius librum expresso; eorum scripta tamen Consultoribus commu-

Q. II. DE EFFICACIA GRATIÆ. A. III. 247

nicata sunt, & se præsentés sistere recusarunt, prout non dissimulat ipsemet D. de S. Amour Diarii part. 6. cap. 2.

Nota. Hic inservire possunt objectiones de auctoritate SS. Pontificis extrâ Concilia, & de damnatione pravarum propositionum part. 2. Polemicæ Tract. de Eccles.

Obj. contra secundam partem. Eo sensu damnatæ sunt propositiones Jansenii, quo delatæ sunt ad Romanum Pontificem, & ab ipso discussæ sunt: atqui non in sensu Jansenii delatæ sunt ad SS. Pontificem, nec eo sensu discussæ sunt; ergo nec in sensu Jansenii damnatæ sunt. *Prob. min.* Episcopi Galliæ, deferentes quinque propositiones ad SS. Pontificem, in sua Epistola ad Innocentium declarant: *Motus* (circa quinque propositiones) *sedari potuisse Concilii Tridentini auctoritate* & INNOCENTIUS X. de prima propositione asserit, quod fuerat jam anathemate damnata: atqui fuerant damnatæ à Concilio Tridentino in sensu Calvini, quæ non est Jansenii; ergo in illo, non verò Jansenii, damnatæ sunt.

Resp. dist. min. Atqui quinque propositiones damnatæ sunt a Concilio Tridentino in sensu Calvini tantum, *neg. min.* simul & in sensu Michaëlis Baji, qui est sensus Jansenii, *con. min. neg. conf.* Prima quidem propositio, ex qua cæteræ necessariò fluunt, anathemate jam fuerat damnata in Bajo, & Calvino, in Bajo quidem eo ipso sensu, quem Jansenius renovavit, nempe aliqua Dei præcepta quibusdam justis quandoque esse impossibilia defectu gratiæ hic & nunc verè sufficientis; & in Calvino, omnia Dei mandata omnibus, etiam justis, etiam sub gratiæ constitutis, esse impossibilia, utrumque sensum damnavit Concilium Trid. Sess. 6. Can. 18. dicens: *Si quis dixerit, Dei præcepta homini etiam justificato, & sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia, anathema sit.* Eò ipso enim, quod damnatum est, præcepta Dei homini etiam justo, sub gratia constituto, esse ad observandum impossibilia, etiam alter sensus primæ propositionis Jansenii damnatus est, aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus secundum præsentés,

quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque illis gratia, quâ possibile fiant; per Canonem 4. verò, quo astruitur libertas aliæ damnatæ sunt propositiones.

Inst. Atqui propositiones Jansenii in sensu Jansenii nullibi damnatæ sunt; ergo &c. *Prob. subs.* Sensus Jansenii est sensus S. Augustini: atqui sensus S. Augustini nullibi fuit damnatus; ergo nec Jansenii.

Resp. neg. maj. Cum sensu enim S. Augustini subsistit libertas à necessitate; ille autem Jansenii includit necessitatem, & resistendi potentiam verè, ac relativè sufficientem ad præsentis concupiscentiæ circumstantias, excludit. Deinde, si SS. Pontifex non assecutus fuisset sensum Jansenii, Ecclesia erraret assentiendo ipsius definitioni, ac in nullis Ecclesiæ decisionibus reperiretur certitudo, ac securitas; quia semper posset replicari, Ecclesiam in Conciliis non attigisse verum sensum propositionum, quas damnat, vel scripturæ, quâ articulos fidei declarat. Si enim circâ sensum libri errare posset, etiam posset circâ sensum propositionum ac textuum Scripturæ errare, quod absurdum est & quod nec Janseniani dicere audent.

CONCLUSIO II.

Legitima, ac canonica est Constitutio CLEMENTIS XI. Unigenitus, centum & unam propositiones Quesnelli damnans, & non est mera disciplinæ, ac politiæ lex, sed iudicium Ecclesiæ universalis dogmaticum, ac certissimum; cui singuli fideles corde, & animo quoque adhærere tenentur.

Prob. 1. pars, quòd legitima, ac canonica sit Constitutio CLEMENTIS XI. Unigenitus. Centum propositiones & unam damnans. Illa Constitutio est legitima, & canonica, quæ emanata est à supremo Ecclesiæ Capite, è Cathedra loquente debitâ cum solemnitate: atqui Constitutio CLEMENTIS XI. Unigenitus damnans centum & unam propositiones Quesnelli talis est; quia data est 1.º à Summo Pontifice, qui est supremum universalis Ecclesiæ Caput, S. Perri Successor, & Christi Vicarius; 2.º ad instantiam Episcoporum, ac Regis Galliæ, ubi controversia orta est. 3.º Post maturum examen, ut disertè testatur SS. Pontifex in eadem Constitutione, & assistendo summa attentione Congregationibus, ex-

Q. II. DE EFFICACIA GRATIÆ. A. III. 249

pendendo rationes, & suffragia Consultorum, quoad singulas propositiones enuntiando sententiam, durante examine plus quàm per annum integrum. 4.º Directa est ad omnes Ecclesias & ritè promulgata, primùm Romæ, deinde in Galliis, ac aliis Ecclesiis particularibus. 5.º In materia fidei, nempe de Mediatore Christo, de ipsius morte, & voluntate pro salute omnium, de Gratia, & Sacramentis, ut testatur Cardinalis Noallius in sua ad BENED. XIII. Epistola, & ut patet ex ipsis propositionibus damnatis; ergo Constitutio CLEMENSIS XI. *Unigenitus*, est legitima ac canonica.

Prob. 2. pars, quòd Constitutio : Unigenitus, non sit mera disciplinæ, ac politiæ lex. Illa Constitutio non est mera disciplinæ, ac politiæ lex, quæ aliquid proponit ad credendum, & assensum requirit internum ob Ecclesiæ auctoritatem : atqui Constitutio : Unigenitus, proponit aliquid ad credendum, nempe singulas propositiones aliquam mereri ex assignatis notam, & internum requirit assensum, ut patet ex his verbis Constitutionis : Mandantes omnibus utriusque sexûs Christi fidelibus, ne de dictis propositionibus sentire, docere, ac prædicare aliter præsumant, quàm in hac eadem nostra constitutione continetur. Non aliter autem sentire, est internè sentire ut ipsa constitutio, eique consentire; ergo non est mera disciplinæ, ac politiæ lex.

Prob. 3. pars, quòd Constitutio : Unigenitus, sit iudicium universalis Ecclesiæ dogmaticum, ac certissimum. Illa Constitutio est reipsa universalis Ecclesiæ iudicium dogmaticum certissimum, quod legitimè ac canonicè à supremo Ecclesiæ Capite è Cathedra loquente, nempe in materia fidei ad universam Ecclesiam, est prolata, & quæ ab Ecclesia dispersa consensu tacito, vel expresso, moraliter unanimi, est acceptata: prout in nostra Polemica Tract. de Eccles. art. 2. de auctoritate infalibili Ecclesiæ probavimus : atqui Constitutio : Unigenitus, est legitimè ac canonicè lata à supremo Ecclesiæ Capite è Cathedra loquente, nempe in materia fidei ad universam Ecclesiam, ut supra probavimus, & ab Ecclesia dispersa, consensu moraliter unanimi, est acceptata, nempe 1.º expressè ab Ecclesia Romana per ipsius solemnem promulgationem, nemine contradicente, ut

patet ex multiplici, ac publico sacri Collegii Cardinalium obedientiæ, dictæ Constitutioni sacratæ testimonio, præsertim in celebri ad Cardinalem Noallium Epistola die 16. Nov. 1716.

2.^o Per SS. Pontificum Successorum confirmationem, præcipuè BENEDICTI XIII. in celebri Concilio Romano anni 1725. ipso præsidente, & assistentibus triginta Cardinalibus, octo Archiepiscopis, quadraginta Episcopis, compluribus Abbatibus, triginta tribus Procuratoribus Cardinalium Episcoporum &c. quanta sit Ecclesiæ Romanæ auctoritas, quam plurimi prædicant infallibilem, nemo ignorat.

3.^o A gallicana Ecclesia, cujus post Romanam in præsentî negotio in ipsius sinu orto potissimum spectanda est acceptatio, quæ suam præfatæ Constitutioni adhæSIONem pluribus invictis monumentis solemniter testata est, videlicet 1.^o statim ab anno 1714. in frequenti antistitum Conventu cum omni reverentia & obsequio mentis acceptata fuit. 2.^o Anno 1715. plus quàm centum gravissimis pastoralibus documentis promulgatis. 3.^o Decem celebratis generalibus Cleri gallicani Comitibus, præsertim in illis anni 1723, 1726, & 1730, in quibus specialiter renovata, & firmata fuit Bullæ *Unigenitus*, acceptatio. 4.^o Tandem in Ebredunensi Synodo quindecim Galliæ Præsules unanimi consensu Constitutionem *Unigenitus*, dogmaticum esse & irrefragabile universalis Ecclesiæ iudicium, declarârunt, quæ Synodus pontificia BENEDICTI XIII. auctoritate confirmata, ac regio fuit munita diplomate. 5.^o Theologica Facultas Parisiensis celeberrimo decreto agnovit Constitutionem *Unigenitus*, tanquam iudicium universalis Ecclesiæ dogmaticum, & aliæ tam externæ, quàm domesticæ Universitates acta, ad ipsas à Facultate Parisiensi transmissa, summis plausibus excepere, ac, idem sentire se testatæ sunt, & nulla est in universo orbe catholico, quæ Constitutionem suo obsequio non suscipiat.

4.^o Ab omnibus aliarum Ecclesiarum Episcopis Constitutio consensu tacito fuit acceptata, quia nullus contra illam reclamavit, ac omnes orbis catholici Metropolitanî expressis testimoniis declarârunt, se suosque

suffraganeos dictæ Constitutioni constanter adhærere, cui omnes fideles integrum mentis obsequium exhibere tenentur; quæ monumenta jussu LUDOVICI XV. in regia Bibliotheca asservantur, quæ hic recensere nimis longum esset. Ergo Constitutio *Unigenitus*, est judicium universalis Ecclesiæ dogmaticum, ac certissimum.

Prob. 4. pars, quòd singuli fideles Constitutioni Unigenitus, corde & animo adhærere teneantur. Constitutioni legitimè, ac canonicè emanatæ, ac receptæ à quinque Summis Pontificibus, à sacro Collegio Cardinalium, à tribus Conciliis, à Romanis Pontificibus approbatis, ab Ecclesia gallicana, in qua natus erat error, ac ab omnibus orbis catholici Metropolitanis, reperitis testimoniis suorum suffraganeorum nomine, ab applaudentibus omnibus tum domesticis tum extraneis Academiis, ac sacris Facultatibus, fideles singuli corde ac animo adhærere tenentur: hæc enim est summa Ecclesiæ auctoritas, ac universalis Ecclesiæ judicium, cui omnes fideles obedire tenentur: atqui Constitutio *Unigenitus*, talis est, ut patet ex præcedenti probatione; ergo Constitutioni *Unigenitus*, singuli fideles corde & animo adhærere tenentur.

Solvuntur objectiones contra primam partem.

Obj. 1. Constitutio *Unigenitus*, non est canonica, 1.º quia est contra jus gentium, cum Quesnellus non fuerit auditus. 2.º Liber Quesnelli diutissimè, innoxie & cum profectu spiritali legebatur. 3.º Repugnat libertati Ecclesiæ gallicanæ; debuisset enim prius judicari ab Ecclesia gallicana, ubi controversiæ ortæ sunt. 4.º Repugnat auctoritati regiæ ratione propositionis damnatæ de excommunicatione injusta, & ideo suprema Curia Parisiensis exceptionem fecit. 5.º Curia Romana explicationem circa prædictam Bullam iteratò petitam constanter recusavit, & famosos 12. articulos, capita 12. christianæ Religionis complectentes, quæ Bullam *Unigenitus*, violare videbantur, nusquam approbare voluit. 6.º Quia nihil fixum, ac determinarum definiit, nullique propositioni qualificationem attribuit, sed in globo tantum eas condemnavit, nec controversiis finiendis

idonea est. 7.^o Quia 101. propositiones ex Scriptura, SS. Patribus, Augustino, præsertim Leone, Prospero, Gregorio &c. de verbo ad verbum excerptæ sunt. Ergo Constitutio *Unigenitus*, non est legitima, ac canonica.

Resp. ad primum. Jam suprâ diximus, quando de libro, vel textu damnando agitur, non requiri, ut auctor audiatur: *Non enim præsentia ejus necessaria est*, ait Theodorus Papa de damnatione Pyrrhi, *ubi excessus ejus, & scripta veritati repugnantia, præsto sunt.*

Resp. ad secundum. Librum Quesnelli à pluribus Doctoribus & Episcopis statim fuisse impugnatum, multosque libros non nisi longè post ipsorum editionem proscriptos fuisse. Opus enim famosum Origenis de principiis in initio tertii sæculi an. 217. scriptum, in quarto sæculo fuit damnatum an. 400. & in Concilio 5. œcumenico anno 553. ipsius damnatio confirmata fuit.

Resp. ad tertium. Sæpè causæ fidei immediatè ad S. Sedem relatæ sunt, teste Em. Noallio in actis Comit. gen. an. 1700. nec Rex, nec supremus Magistratus, nec Episcopi Galliæ Constitutione *Unigenitus*, libertates gallicanas labefactari existimârunt, sed executioni mandarunt.

Resp. ad quartum. Distortè omnino, & nequiter consecutiones juribus Galliæ adversæ ex Constitutione Clementina *Unigenitus*, erui possunt, ut apertissimè demonstrant Præfules nostri in eximio suo an. 1714. documento, nec clausula Senatûs Parisiensis id insinuat, cum non sit propriè restrictiva, sed merè explicativa & provida cautio, ad removendas pravas contra genuinum sensum Constitutionis conclusiones, à malignis hominibus deducendas.

Resp. ad quintum. Explicationes non sine doli suspicionem petitæ meritò à S. Sede fuere recusatæ, ne novis cavillationibus præberetur occasio, & ut pura, ac simplex fieret Bullæ acceptatio; eâdem ratione S. Sedes recusavit 12. articulorum approbationem.

Resp. ad sextum dist. Bulla *Unigenitus*, nihil fixum, & determinatum definiit, quantum ad peculiarem notarum attributionem, quæ singulis propositionibus non

applicantur, *con. ant.* quantum ad perversitatem propositionum, quas Ecclesia proscripsit, *neg. ant.* in hujusmodi censuris in globo fixum est, propositiones esse perniciosas, & unam, aut alteram mereri censuram, quod fidelibus sufficit ad illas detestandas; nec modus damnandi pravas propositiones in globo novus est, fed illum adhibuit Concilium Constantiense contra Joannem Hus, LEO X. adversus Lutheri articulos, ac plurimi alii SS. Pontifices, damnando alias propositiones in globo.

Resp. ad septimum. Familiare est hæreticis suos errores verbis S. Scripturæ, ac SS. Patrum vestire, sic Arius utebatur verbis Christi: *Pater major me est.* Sic Euty-chiani dicebant, se non posse damnari, quin S. Cyrillus, cujus verba continuo laudabant, damnaretur. Et notum est famosum illud Calvini dictum: *Totus meus est Augustinus.* Eundem Bajus & Jansenius laudant. Ecclesia autem non damnat verba Scripturæ, vel SS. Patrum, sed perversum & alienum sensum, quem hæretici iisdem attribuunt.

Solvuntur objectiones contra secundam & tertiam partem.

Obj. Constitutio non est judicium irreformabile, & infallibile Ecclesiæ universalis, sed mera lex disciplinæ, si non sit ab universali Ecclesia legitime acceptata: atqui non est ab universali Ecclesia legitime acceptata; ergo non est judicium irreformabile, & infallibile Ecclesiæ universalis, sed mera lex disciplinæ. *Prob. min.* Ad legitimam Constitutionis acceptionem requiritur prævium ex parte Episcoporum examen, pro rei gravitate diligens, ac maturum: atqui tale in hoc maximi momenti negotio non occurrit; Episcopi enim extra Galliam absque examine ex cæca ergà Pontificum infallibilitatem observantia Bullam *Unigenitus*, receperunt: gallicani verò Præfules leviter duntaxat, non autem ut gravitas rei postulabat, Constitutionem perpendunt: nec cum Scripruris, & Traditione contulerunt; ergo non fuit adhibitum prævium Episcoporum examen sufficiens, ac requisitum.

Resp. dist. min. Atqui tale ex parte Episcoporum prævium non fuit adhibitum examen maturum, proce-

dens ex dubio effectivo versante circa infallibilitatem SS. Pontificis, *con. min.* non fuit adhibitum prævium examen ex dubio methodico versante circa modum, quo lata fuit Constitutio, *neg. min. & conf.* Quamvis enim Episcopi plurimi extra Galliam opinione infallibilitatis SS. Pontificis è Cathedra loquentis sint imbuti, ipsi tamen de modo, quo lata fuit Constitutio *Unigenitus*, examen instituerunt, perpendendo Scripturæ, Conciliorum, Doctorum fundamenta, variasque definitionum rationes, prout se gesserunt Episcopi in Concilio Trid. ac in aliis Conciliis œcumenicis, quamvis plerique de Summi Pontificis infallibilitate persuasi erant, & si defectum reperiissent, ad dubium effectivum processissent, vel opinionem de Pontificis infallibilitate mutassent. Quod autem Constitutio extra Galliam, prævio examine, ab Episcopis fuerit recepta, constat ex apertis exterorum Præsulorum, ac Universitatum testificationibus, in nostris probationibus allegatis, sicut & de maturo Episcoporum Galliæ, prævio examine, in Comitibus generalibus, præsertim an. 1713. & 1714. adhibito, disertissimè testantur acta verbalia. Prætereà, cum infallibilitas Ecclesiæ promissa, sit perpetua, & absoluta, juxta Christi verba: *Vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*, Matth. 28. & c. 16. v. 18. *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Omnia ab Episcopis, Constitutionem recipientibus, requisita fuisse adhibita, vel à Christo suppleta, supponendum est; aliàs Christus non fuisset cum illis, & portæ inferi prævaluissent contra eam, nec Spiritus Sanctus eos docuisset omnem veritatem, quæ promissioni Christi repugnant.

Inst. 1. Atqui etiam si debitum examen ab Episcopis, Constitutionem *Unigenitus*, acceptantibus, fuisset adhibitum, proptereà non est iudicium dogmaticum Ecclesiæ universalis, ac infallibile; ergo &c. *Prob. subs.* Ad iudicium dogmaticum universalis Ecclesiæ requiritur consensus Episcoporum unanimis: atqui consensus Episcoporum non fuit unanimitas; plures enim Episcopi huic Constitutioni obstiterunt; ergo non est iudicium dogmaticum Ecclesiæ universalis infallibile.

Resp. dist. maj. Ad iudicium dogmaticum Ecclesiæ universalis requiritur consensus Episcoporum, unanimitas

Q. II. DE EFFICACIA GRATIÆ. A. III. 255

moraliter SS. Pontifici adhærentium, *con. maj.* consensus unanimes physicè, & absolutè omnium omnino Episcoporum, *neg. maj. dist. min.* atqui consensus Episcoporum non fuit unanimes physicè, *con. min.* moraliter, *neg. min. & conf.* Cunctis fatentibus orthodoxis, necessaria non est unanimitas physica, & absoluta, sed sufficit moralis partis majoris, vel sanioris SS. Pontifici adhærentis: atqui Clementinæ Constitutioni adhæsit maxima pars, ne uno quidem reclamante in exteris regionibus, & in una Gallia reluctati sunt numero pauci. Deinde pauca admodum reperiuntur Ecclesiæ judicia, quibus non contradixerunt quidam Episcopi, contra quos judicium latum est, qui non pars, & iudex simul esse possunt, nec in ullo iudicio rebellantium suffragium requiritur, nec admittitur.

Inst. 2. Atqui consensus Episcoporum non fuit unanimes moraliter; ergo &c. *Prob. subs.* Ut consensus sit unanimes moraliter, debent convenire de sensu, quo acceptatur Bulla: atqui Episcopi extranei, & gallicani non eodem modo, & sensu Bullam *Unigenitus*, acceptârunt; extranei enim eam acceptârunt purè, ac simpliciter, gallicani verò relativè ad explicationes in pastoralis instructione anni 1714. contentas; ergo consensus nec moraliter fuit unanimes.

Resp. dist. min. Atqui Episcopi extranei, & gallicani Constitutioni non eodem modo, ac sensu acceptârunt quoad substantiam, *neg. min.* quoad formalitatem, quæ in variis locis diversa esse potest, *con. min. & neg. conf.* Episcopi enim, quotquot Bullam acceptârunt, inter se ubique consentiunt, ac profitentur: 1.º eam esse doctrinam Ecclesiæ. 2.º Se illam cum reverentia, & mentis obsequio acceptare. 3.º Se 101. propositiones, ex libro Quæsnelli extractas, eo modo proscribere, & cum iisdem qualificationibus, quibus à SS. Pontifice damnatæ sunt, & Constitutio à Gallis sicut ab extraneis purè, & simpliciter acceptata est; & quamvis Præsules Galliæ statuerint, pastoralis instructionis exemplum conficiendum, cum qua Bulla gallicè promulgaretur, dictæ Constitutioni nullam restrictionem facere, sed adversus malevolorum interpretationes suos subditos munire voluerunt, quod acceptationi puræ,

ac simplici minimè adversatur ; nec aliter se gesserunt ; quàm antea in acceptandis Constitutionibus contra Molinos ; & librum , cui titulus : *Les maximes des Saints* , editis , quas Constitutiones ipsi adversarii iudicium totius Ecclesiæ agnoscunt.

Inst. 3. Atqui acceptatio Bullæ *Unigenitus* , non fuit unanimis moraliter in eodem sensu quoad substantiam ; ergo &c. *Prob. subs.* Ut acceptatio sit moraliter unanimis quoad substantiam , debet fieri in Conciliis , maximè in rebus valdè intricatis , & in globo damnatis ; in Conciliis enim res meliùs possunt discuti , & meliùs de sensu conveniri : atqui acceptatio Bullæ *Unigenitus* , quæ in globo damnat propositiones de rebus valdè intricatis , non facta fuit in Conciliis ; ergo nec est unanimis moraliter quoad substantiam.

Resp. neg. maj. Quia Concilia , etsi , ut anno 1663. aiebat S. Facultas Parisiensis , in aliquibus casibus necessaria , nusquam necessaria sunt , ubi multitudo Episcoporum Summo Pontifici desinienti adhæret , paucis admodum ex adverso reclamantibus . Ita tradunt orthodoxi omnes.

Inst. 4. Atqui etiamsi acceptatio Bullæ *Unigenitus* , fuisset moraliter unanimis , non tamen est canonica ; ergo &c. *Prob. subs.* Ut Bullæ acceptatio sit canonica , debet esse libera : atqui non fuit libera ; quia in Gallia regiâ potestate , ac terroribus acceptata fuit : & non acceptantes litteris regiis ad suas diœceses missi sunt ; in exteris verò regionibus inquisitio Episcopis examinandi jus non reliquit ; ergo illius acceptatio non est canonica.

Resp. neg. min. Illustrissimus enim Galliarum Cancellarius per Epistolam nomine Regis ad Cardinalem Noallium scriptam declarat , Regem velle , ut Episcopi conventui intersint , cum plena & integra libertate , sensus suos exponendi . Nec Episcopi , Constitutionem non acceptantes , ad proprias suas diœceses redire compulsi sunt , nisi post acceptam synodicè à 30. Episcopis Constitutionem , & quis hanc iussionem redeundi ad propriam diœcesim pro violentia habere potest ? Præterea acceptationem ratam habuerunt 1.º singuli in suis diœcesibus Constitutionem promulgando . 2.º In Comitibus generalibus post mortem LUDOVICI XIV. an. 1715.

3.º In Memorialibus an. 1717. Aurelianensium Duci supremo tunc regni Moderatori oblatis adversus obfistentes dictæ Constitutioni. 4.º In Mandato uniformi, quo. 50. circiter Episcopi declarârunt an. 1718. Constitutionem: *Unigenitus*, dogmaticum Ecclesiæ universalis iudicium. 5.º In subsequentiis Comitibus. Quoad exteros, pluribus in locis non viget inquisitio, & ubi viget, jure suo non frustrantur Episcopi; quia Sedem habent in inquisitionis tribunali. Deinde si hæc ratio esset alicujus momenti, nec valerent aliæ Constitutiones emanatæ contra varias pravas propositiones, quas tamen adversarii rejicere non audent.

Inst. 5. Si acceptatio Bullæ: *Unigenitus*, esset canonica, & iudicium Ecclesiæ universalis irrefragabile, appellatio à dicta Bulla ad futurum Concilium non potuisset esse Deo grata: atqui tamen innumera propè recensentur miracula, ac operationes sanitarum, quæ Deus edidit ad invocationem eorum, à quibus interposita fuit appellatio, videlicet ad tumulos D. Rouffe, ac præsertim D. Paris Diaconi Parisini, quibus Deus appellationem, eorumque doctrinam approbare, & gratiam habere ostendit; ergo appellatio Bullæ: *Unigenitus*, non est canonica.

Resp. dist. min. Atqui innumera recensentur miracula falsa, *con. min.* vera, *neg. min. & conf.* Neminem laeret, omnium sæculorum hæreticos ementita miracula in erroris sui, fictæque sanctitatis patrocinium jugiter jactitasse, ut ipsis exprobrant S. Irenæus Lib. 2. de hæres. Tertullianus Lib. de præscript. c. 44. & S. Augustinus Tract. 13. in Joan. n. 17. & Lib. de unit. Eccl. n. 28. & 29. Mirum igitur non est, hæreticos nostri temporis eorum vestigia secutos esse, allegando miracula, quæ dum solemniter, ut evidenter probata, à pluribus Parochis Archiepiscopo Parisiensi delata fuissent, ab ipso perpensa ad accuratiorem juris normam, falsa deprehensa, ac juridicè declarata fuere ut temerè assera, ac vulgata, caracteribus ad vera miracula requisitis, ac idoneis testimoniis, & probationibus planè destituta. Quid de aliis levioribus innixis testimoniis pronuntiandum? Nimis longum esset prætensorum miraculorum insaniam hinc demonstrare, quæ ad vera miracula requiruntur, alibi in nostra Polemica demonstrabimus.

QUÆSTIO III.

DE GRATIA HABITUALI.

ARTICULUS I.

In quo consistat Gratia habitualis ?

Prænot. 1. GRATIA habitualis definitur : qualitas spiritalis, supernaturalis, & physica homini justo verè intrinseca, ejusque animæ inhærens, quæ hominem reddit Deo formaliter gratum, sanctum, Dei amicum, consortem divinæ naturæ, filium Dei adoptivum, & hæredem vitæ æternæ, atque participationem omnium bonorum spiritualium, & virtutum supernaturalium. Ex qua definitione colliguntur præcipui effectus gratiæ habitualis, de quibus fusiùs infra.

2. Errores circa gratiæ habitualis naturam sunt præcipuè Calvinii, Lutheri, aliorumque hujus temporis hæreticorum asserentium, gratiam habitualement nihil esse homini justo intrinsecum; vel si aliquid intrinsecum admittant, solum intelligunt fidem, quâ peccata sibi ex meritis Christi condonata credunt; & hominem esse justum, vel per non imputationem peccati, ut docet Calvinus, vel per imputationem justitiæ Christi, ut volunt Lutherani.

3. Gratiam habitualement esse qualitatem animæ intrinsecam, de Fide est, sed opiniones Scholæ sunt, prima Thomistarum, asserentium, gratiam habitualement, & habitum charitatis realiter distingui, quamvis nunquam separentur. Secunda Scotistarum, dicentium, non distingui, nisi ratione & virtualiter propter diversa munera.

CONCLUSIO.

Gratia habitualis, quâ justus sumus, non est homini justo quid merè extrinsecum, sed donum Dei supernaturale permanens, & homini justo intrinsecum illius animæ inhærens, & non distinguitur realiter ab habitu charitatis, sed tantum virtualiter, seu ratione ratiocinatâ.

Prob. 1. pars, quod gratia habitualis non sit quid merè extrinsecum, sed homini justo intrinseca, 1.º ex S. Scriptura.

Q. III. DE GRATIA HABITUALI. A. I. 259

Daniel. 6. 22. dicitur : *Conclusit ora leonum , & non nocuerunt mihi : quia coram eo iustitia inventa est in me.* 2. Tim. 4. *Noli negligere gratiam , quæ est in te.* Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum , qui datus est nobis.* 1. Joan. 3. *Omnis , qui natus est ex Deo , peccatum non facit ; quoniam semen ipsius in eo manet.*

Ex quibus sic argumentor : Gratia , & iustitia , quæ in nobis reperitur , in nobis est , & diffusa est in cordibus nostris , & tanquam semen in nobis manet , non est quid merè extrinsecum , sed homini iusto intrinseca , inhærens , & permanens : atqui ex textibus citatis iustitia inventa est in Daniele , fuit in Timotheo , & in cordibus nostris diffusa est cum charitate per Spiritum Sanctum , & ex S. Joanne tanquam semen in nobis manet ; ergo gratia & iustitia non est quid merè extrinsecum , sed homini iusto intrinseca.

Prob. 2.º ex Concilio Tridentino Sess. 6. Can. 11. quod dicit : Si quis dixerit , homines justificari , vel solâ imputatione iustitiæ Christi , vel solâ remissione peccatorum exclusâ gratiâ , & charitate , quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur , atque illis inhæreat ; aut etiam gratiam , quâ justificamur , esse tantum favorem Dei , anathema sit. Unde sic instituo argumentum : Si homines non justificantur per solam imputationem iustitiæ Christi , nec per solam remissionem peccatorum exclusâ gratiâ , & charitate , & gratia , quâ justificamur , non sit tantum favor Dei , gratia habitualis , quâ homo justificatur , non est merè extrinsecum , sed homini iustificato intrinseca : atqui ex Concilio Trid. homo non iustificatur per solam remissionem peccatorum exclusâ gratiâ , & charitate , quæ diffusa est in cordibus eorum , illisque inhærens , & gratia , quâ justificamur , non est tantum favor Dei ; quia hæc asserentes damnat ; ergo gratia habitualis non est quid merè extrinsecum , sed homini iustificato intrinseca , ipsique inhærens.

Confirmatur ex eodem Concilio Trid. Sess. 6. cap. 7. ubi dicit : Verè iusti nominamur , & sumus , iustitiam in nobis recipientes , unusquisque suam : atqui gratia , seu iustitia , quam unusquisque in se recipit , est intrinseca ; ergo gratia habitualis , ac iustitia est homini iusto intrinseca.

Prob. 3.º ex SS. Patribus. S. Cyrillus Lib. 4. in Isai. dicit: Formatur in nobis Christus, Sancto in nobis Spiritu divinam quandam formam per justificationem & justitiam inducente. Et S. Augustinus Lib. 1. de pecc. merit. c. 9. ait: Deus dat sui Spiritus occultissimam gratiam, quam latenter infundit & parvulis.

Ex quibus sic argumentor: Si Christus formetur in nobis per formam divinam, & justitiam, quæ inducitur, & per gratiam, quæ infunditur, gratia habitualis, quæ Christus in nobis formatur, non est quid merè extrinsecum, sed homini justificato intrinseca: atqui ex S. Cyrillo citato Christus in nobis formatur per formam divinam, & justitiam, quæ à Spiritu S. inducitur, & ex S. Augustino per gratiam, quæ etiam parvulis infunditur; ergo gratia habitualis non est quid merè extrinsecum, sed homini justo intrinseca; quod enim homini justo inducitur, ac infunditur, est quid intrinsecum.

Prob. 2. pars, quòd gratia habitualis non sit distincta ab habitu charitatis, seu charitate habituali. Gratia habitualis, & charitas habitualis non distinguuntur realiter, sed idem sunt realiter habitus, si eosdem habeant effectus, actus, & proprietates, & nunquam separentur, nec separari possunt, nec per absolutam Dei potentiam; quia si realiter distinguerentur, non implicaret eorum separatio: atqui gratia habitualis, & charitas habitualis eosdem habent effectus, & proprietates; quia omnes effectus, & proprietates, quæ attribuuntur gratiæ, etiam attribuuntur à S. Scriptura charitati habituali, & nec per absolutam Dei potentiam possunt separari propter multa absurda, quæ ex illorum separatione sequerentur; ergo non distinguuntur realiter.

Prob. 1.º primum membrum. Effectus, & proprietates gratiæ habitualis sunt præcipuè quinque, ut patet ex illius definitione, videlicet primus reddere hominem Deo gratum sanctum. Secundus Dei amicum. Tertius consortem naturæ divinæ, filium Dei adoptivum. Quartus hæredem vitæ æternæ. Quintus participem omnium honorum spiritualium, & virtutum: atqui charitas habitualis 1.º facit nos Deo gratos, & Sanctos nos uniendo cum Deo 1. Joan. 4. Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo; & auferendo peccatum,

Q. III. DE GRATIA HABITUALI. A. I. 261

ut patet 1. Joan. 3. *Scimus, quia translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Et Luc. 7. *Dimituntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* 2.^o Dei amicos, Joan. 15. *Qui diligit me, diligitur à Patre meo.* 3.^o Consortes naturæ divinæ, & filios Dei adoptivos. 1. Joan. 3. *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, & simus.* Et cap. 4. *Omnis, qui diligit, ex Deo natus est.* 4.^o Hæredes vitæ æternæ, Jacobi 1. *Coronam vitæ reponisit Deus diligentibus se.* 5.^o Participes omnium bonorum spiritualium, & virtutum, 1. Cor. c. 13. *Charitas patiens est, benigna est &c.* Et Rom. 13. *Plenitudo legis est dilectio; ergo gratia habitualis, & charitas eisdem habent effectus, & proprietates.*

Prob. 2.^o secundum membrum min. Quòd gratia, & charitas habitualis nec per absolutam Dei potentiam separari possint propter multa absurda; quòd enim actu nunquam separentur farentur omnes etiam adversarii. Si gratia habitualis, & habitus charitatis possent per absolutam Dei potentiam separari, homo per gratiam fieret Deo gratus, sanctus, amicus Dei, & ex defectu charitatis non esset Deo gratus, justus, & amicus, filius Dei, & hæres vitæ æternæ; quia maneret in morte peccati, 1. Joan. 3. 14. *Qui non diligit, manet in morte; cum quo peccato nec Deo gratus, nec sanctus, nec amicus, nec filius Dei, & hæres vitæ æternæ esse potest; atqui hoc est absurdum, manifestaque contradictio, quæ absolutâ Dei potentiâ repugnat; ergo gratia habitualis, & habitus charitatis nec per absolutam Dei potentiam possunt separari.*

Prob. 2. eadem pars ex S. Augustino, qui Lib. de nat. & grat. c. 24. de charitate dicit: *Ipsa est verissima, plenissima, perfectissimaque justitia.* Ex quo textu sic argumentor: Si charitas habitualis est ipsa verissima, plenissima, perfectissimaque justitia, non distinguitur realiter à justitia, quæ est ipsa gratia habitualis: atqui ex S. Augustino charitas est ipsa verissima, plenissima, perfectissimaque justitia; ergo non distinguitur à justitia, quæ est gratia habitualis.

Prob. 3. pars, quòd gratia habitualis, & charitas habitualis distinguantur virtualiter, & ratione ratioci-

natâ. Ea distinguuntur virtualiter, & ratione ratiocinata, quæ possunt cum fundamento in re sub diverso respectu, & ratione considerari, & concipi: atqui gratia habitualis, & charitas habitualis possunt sub diverso respectu considerari, nempe gratia habitualis radicaliter per modum naturæ, seu formæ, quatenus nos Deo gratos, & justos reddit, Dei amicos, & filios facit; & charitas habitualis per modum principii productivi actûs charitatis; & cum fundamento in re; quia in re idem habitus utrumque præstat, & duobus æquivalet, nempe formæ nos sanctificanti, & principio nobiscum operanti; ergo gratia habitualis & charitas habitualis distinguuntur virtualiter, seu ratione ratiocinata.

Solvuntur objectiones contra primam partem, de gratia habituali intrinseca.

Obj. Si Christus est justitia nostra, gratia habitualis, quâ justus sumus, non est quid intrinsecum: atqui Christus est justitia nostra, prout indicat Apostolus 1. Cor. 1. de Christo dicens: *Factus est nobis sapientia à Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemptio*; ergo gratia, quâ justus sumus, non est quid intrinsecum justo.

Resp. dist. maj. Si Christus est justitia nostra formaliter, gratia habitualis, quâ justus sumus, non est quid intrinsecum, *con. maj.* Si Christus est justitia nostra efficienter, & meritorie, gratia habitualis non est quid intrinsecum, *neg. maj. dist. min.* atqui ex Apostolo Christus est justitia nostra meritorie, & efficienter, *con. min. formaliter, neg. min. & conf.* Hic enim sumitur effectus pro causa, & sensus textûs Apostoli est: Christus factus est causa efficiens, & meritoria nostræ justitiæ formalis, sicut Apostolus Phil. 4. fideles appellat gaudium suum, id est, causa ipsius gaudii, & sicut Deus dicitur fortitudo, ac salus nostra.

Inst. 1. Atqui Christus factus est justitia nostra formaliter; ergo &c. *Prob. subs.* Christus factus est justitia nostra formaliter, si efficiamur justitia Dei: atqui efficiamur justitia Dei in ipso, prout indicat idem Apostolus 2. Cor. 5. dicens: *Qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso*; ergo Christus factus est justitia nostra formaliter.

Resp. dist. maj. Christus factus est iustitia nostra formaliter, si efficiamur iustitia Dei, quâ Deus formaliter iustus est, *con. maj.* si efficiamur iustitia Dei per iustitiam à Deo nobis datam, nobisque infusam, *neg. maj. dist. min.* atqui efficiamur iustitia Dei per iustitiam à Deo nobis datam, & infusam intrinsecè, *con. min.* per iustitiam Dei, quâ ipse iustus est formaliter, *neg. min. & cons.* Unde dicit S. Augustinus Tract. 26. in Joan. *Iustitia Dei hîc dicitur, non quâ iustus est Deus, sed quam dat homini Deus, ut iustus sit homo per Deum, & non ex sua virtute.*

Inst. 2. Atqui efficiamur iustitia Dei, quâ Christus formaliter iustus est; ergo &c. *Prob. subs.* Efficiamur iustitia Dei, & iusti per iustitiam Christi, sicut efficiamur iniusti, & peccatores per peccatum Adæ, prout indicat Apostolus Rom. 5. 19. dicens: *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per unius obedientiam iusti constituuntur multi:* atqui efficiamur iniusti, & peccatores per iniustitiam, & peccatum Adæ, quò ipse formaliter iniustus, & peccator fuit; quia peccatum originale est ipsum peccatum Adæ, quò ipse formaliter fuit peccator factum nostrum in nobis moraliter perseverans; ergo efficiamur iustitia Dei, quâ Christus iustus est.

Resp. dist. maj. Efficiamur iustitia Dei sicut efficiamur iniusti meritoriè, & per iustitiam nobis intrinsecam, & propriam, sicut efficiamur iniusti, & peccatores per peccatum Adæ meritoriè, & per maculam, & peccatum nobis intrinsecum, & proprium, *con. maj.* efficiamur iustitia Dei sicut iniusti per peccatum, & maculam nobis extrinsecam, & soli Adamo propriam, *neg. maj. dist. min.* atqui efficiamur, & constituimur iniusti, & peccatores per iniustitiam, & peccatum, quò ipse Adamus formaliter iniustus, & peccator fuit meritoriè, & per maculam, & peccatum intrinsecè contractum, & maculam intrinsecam, nobisque propriam, *con. min.* efficiamur, & constituimur iniusti, & peccatores per peccatum Adæ formaliter, & per extrinsecam imputationem sine macula, & peccato internè contracto, nobisque proprio, *neg. min. & cons.* Unde peccatum, quò Adam formaliter fuit peccator, & iniustus, non nobis tantum extrinsecè imputatur, sed

intrinsecè per pactum cum Deo à quolibet homine ex femine Adæ genito contrahitur per maculam verè intrinsecam, ut indicat Psalmista, dicens Psal. 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum; & prout alibi probabitur. Eodem quoque modo justitia Christi, quâ ipse formaliter justus est, causa est meritoria nostræ justitiæ, quæ ex illius meritis nobis intrinsecè infunditur, & in nobis permanet, & non solum extrinsecè imputatur sine ulla intrinseca nostri mutatione.*

Inst. 3. Atqui efficimur justii sine interna justitia nobis propria, & internè producta; ergo &c. *Prob. subs.* Idem Apostolus Eph. 4. 23. dicit: *Renovamini autem spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, & sanctitate veritatis.* Ex quo textu sic argumentor: Justitia nostra se habet ex Apostolo per modum indumenti; dicit enim: *Induite novum hominem:* atqui indumentum est extrinsecum; & decorem aliquem extrinsecum affert; ergo efficimur justii tantum extrinsecè sine interna justitia nobis propria, & internè producta.

Resp. dist. maj. Justitia nostra ex Apostolo se habet per modum indumenti spiritualis, *con. maj.* materialis, *neg. maj. dist. min.* atqui indumentum materiale est extrinsecum, & decorem tantum extrinsecum affert, *con. min.* indumentum spirituale, *neg. min. & conf.* Dicit enim Concilium Trid. *Justificatio non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum.* Et Apostolus dicit: *Renovamini autem spiritu mentis vestræ,* quæ renovatio mentis est interna, nempe per justitiã nobis infusam à Deo, & nobis inhaerentem.

Inst. 4. Atqui indumentum spirituale gratiæ habitualis est aliquid extrinsecum, & constituimur justii per actus salutares, gratiã actuali elicitos, juxta verba Joan. 3. *Qui facit justitiã, justus est:* atqui actus salutares sunt aliquid extrinsecum; ergo constituimur justii justitiã externã.

Resp. dist. maj. Constituimur justii per actus salutares, gratiã actuali elicitos, dispositivè, *con. maj.* formaliter, *neg. maj. concessã min. dist. conf.* ergo constituimur justii justitiã externã, dispositivè, id est, bonis operibus ad

Q. III. DE GRATIA HABITUALI. A. I. 265

justitiam internam præparantibus, & perducentibus, *con. conf.* constituimur justî formaliter justitiâ externâ, *neg. conf.* Unde juxta Concilium Trid. Sess. 6. Can. 3. præveniente Spiritûs Sancti inspiratione, & adjutorio credimus, speramus, & diligimus, & pœnitemus, ita ut nobis justificationis gratia conferatur; contrarium enim ibidem damnat, ac proinde actus salutares, ut fidei, spei, & charitatis, ac contritionis, quibus justificamur, non sunt ipsa justitia, sed justitia formaliter est aliquid consequens ad hos actus salutares.

Inst. 5. Atqui constituimur justî per actus salutares formaliter; ergo &c. *Prob. subs.* Constituimur formaliter justî per charitatem: atqui charitas est actus salutaris; ergo &c. *Prob. maj.* Constituimur justî formaliter per gratiam habitualem: atqui gratia habitualis est ipsa charitas, quia non distinguitur à charitate; ergo constituimur formaliter justî per charitatem.

Resp. dist. min. Gratia habitualis est ipsa charitas, habitualis, *con. min.* actualis, prout est opus salutare, *neg. min. & conf.*

Inst. 6. Atqui constituimur justî per charitatem actualem, prout est opus salutare; ergo &c. *Prob. subs.* Constituimur justî eodem modo, quo injusti; contrariorum enim eadem est ratio: atqui constituimur injusti, & peccatores formaliter per peccatum actuale moraliter perseverans; ergo constituimur etiam justî per actum salutarem moraliter perseverantem.

Resp. dist. min. atqui constituimur injusti, & peccatores formaliter per peccatum actuale moraliter perseverans, per veram maculam internè in peccatore ortam, *con. min.* per solam imputationem extrinsecam, *neg. min. & conf.* Peccatum enim actuale producit in anima maculam internam, quæ est privatio rectitudinis ad rectam rationem, & legem æternam, ac exinde non potest inferri, justitiam nihil aliud esse, quàm actus salutaris moraliter perseverans, sed insuper requiritur justitia interna à Deo in anima producta.

Inst. 7. Atqui non constituimur injusti per veram maculam internè in anima ex peccato actuali exortam: ergo &c. *Prob. subs.* Si constitueremur injusti per

veram maculam internam, esset aliquid reale, quia non esset merè nihilum; ac proinde esset à Deo, quia nullum ens intrinsecum reale potest esse à seipso: atqui talis macula, quæ est formale peccati, non potest esse à Deo; ergo non constituimur injusti per veram maculam intrinsecam.

Resp. dist. maj. Si constitueremur injusti per veram maculam internam esset aliquid reale privativum, *con. maj.* reale positivum, *neg. maj. dist. pariter rationem maj.* nullum ens intrinsecum reale privativum potest esse à se, hoc est, non potest esse sine vera productione & resultare ex positione alterius, *neg. rationem maj.* nullum ens intrinsecum positivum potest esse à se, hoc est, non potest esse sine reali productione, & resultare ex destructione alicujus entis positivi, *subd.* si sit physicum, *con. rationem maj.* si sit metaphysicum, *neg. rationem maj. concessã min. neg. conf.* Talia entia privativa, ac positiva metaphysica non producuntur per veram rationem physicam, sed resultant ex positione alicujus entitatis realis, vel per privationem, & destructionem illius: unde illa macula non producitur à Deo, sed ex transgressione legis, & deperditione gratiæ resultat interne in anima. Justitia verò est quid positivum, & à Deo in anima productum physicè ex potentia animæ tanquam subjecto eductivo.

Inst. 8. Atqui justitia, seu gratia habitualis non est ens positivum intrinsecum homini justo, distinctum ab actibus salutaribus; ergo &c. *Prob. subs. Isai. 64. 6.* dicitur: *Quasi pannus menstruata universæ justitiæ nostræ:* atqui hoc non potest intelligi, nisi de operibus nostris salutaribus, quæ multis imperfectionibus ordinariè maculata sunt; ergo justitia nostra, seu gratia habitualis non est ens positivum distinctum ab actibus salutaribus.

Resp. dist. maj. Quasi pannus menstruata universæ justitiæ nostræ, quibus justii efficimur dispositivè, *con. maj.* quibus justii sumus formaliter, *neg. maj. concessã min. neg. conf.* Propheta loquitur de justitia, quæ consistit in bonis operibus, non verò, quæ formaliter sanctii sumus, & justii.

Inst. 9. Atqui justitia, quæ formaliter justii sumus,

non est ens positivum intrinsecum; ergo &c. *Prob. subs.* Si effectus gratiæ possunt haberi absque entitate intrinseca animæ, justitia, quâ formaliter justî sumus, non est ens positivum intrinsecum: atqui effectus gratiæ possunt esse sine entitate intrinseca; ergo justitia non est ens positivum intrinsecum. *Prob. min.* Effectus gratiæ habituales sunt reconciliatio, & adoptio: atqui reconciliatio est ante gratiam per contritionem, quæ præcedit gratiam, & adoptio; quia homo alium adoptat ad hæreditatem per merum favorem extrinsecum, & benevolentiam nihil in eo producendo; ergo effectus gratiæ possunt haberi sine entitate intrinseca.

Resp. dist. min. Atqui reconciliatio inchoativè, ac dispositivè præcedit gratiam, & adoptio imperfecta fit per merum favorem extrinsecum, *con. min.* reconciliatio perfecta, & integra, sumpta pro vera amicitia præcedit gratiam, & adoptio perfecta fit per merum favorem extrinsecum, *neg. min. & conf.* Vera enim, & perfecta reconciliatio, & amicitia, atque perfecta adoptio formaliter fit per gratiæ habituales infusionem per Spiritum Sanctum, nec est mera benevolentia extrinseca; quia Deus amat justos amore amicitiae, qui requirit aliquam condignitatem, & bonitatem internam. Nemo enim amabilis est bonitate, vel pulchritudine alterius, vel alienâ, sed propriâ.

Solvuntur objectiones contra secundam partem, de distinctione gratiæ habitualis à charitate habituali.

Obj. Gratia habitualis, & charitas habitualis distinguuntur realiter, si S. Scriptura, Concilia, & SS. Patres de illis loquantur tanquam de rebus realiter distinctis: atqui S. Scriptura, Concilia, & SS. Patres loquuntur de gratia habituali, & charitate habituali tanquam de rebus realiter distinctis; ergo gratia habitualis, & charitas habitualis realiter distinguuntur. *Prob. min.* Apostolus 2. Cor. 13. ait: *Gratia Domini nostri JESU CHRISTI, & charitas Dei.* Concilium Trid. Sess. 6. Can. 1. dicit: *Si quis dixerit, homines justificari . . . solâ remissione peccatorum exclusâ gratiâ, & charitate . . . anathema sit.* Et Concilium Viennensè Clem. unica de Trin. docet in Baptismo, *infundi gratiam, &*

virtutes : atqui particula, &, est distinctorum conjunctiva; aliàs inutilis esset repetitio ejusdem rei diversis nominibus, sic v. g. si idem vocetur Joannes Petrus, non solet dici Joannes, & Petrus, sed particula, &, duos, & non eundem hominem indicat; ergo Scriptura, Concilia, & SS. Patres loquuntur de gratia habituali, & charitate habituali, tanquam de rebus realiter distinctis.

Resp. dist. min. Atqui particula, &, est distinctorum virtualiter conjunctiva, *con. min.* semper distinctorum realiter conjunctiva, *neg. min. & conf.* Innumera sunt exempla in Scriptura, in Conciliis, ac SS. Patribus, in quibus particula, &, tantum indicat distinctionem virtuales, dum loquuntur de attributis divinis, ut de Deo, & illius Misericordia, de Scientia, & Omnipotentia, & Sapientia, quæ tamen ob particulam, &, non distinguuntur realiter. Nec frustra additur particula, &; quia gratia, & charitas virtualiter distinguuntur, & diversas habent functiones. Quoad hominem habentem plura nomina non adhibetur particula, &; quia nulla intercedit distinctio virtualis, & si adderetur, duo intelligerentur homines.

Inst. 1. Atqui particula, &, est realiter distinctorum conjunctio, nempe gratiæ, & charitatis; ergo &c. *Prob. subs.* Illa distinguuntur, quorum unum est ante aliud: atqui gratia est ante charitatem habituales; ergo particula, &, est realiter distinctorum conjunctio. *Prob. min.* Natura est ante virtutem; virtus enim est dispositio perfecti ad optimum juxta Philosophum, id est, naturæ ad operandum, sicut prius est esse supernaturale, quam operari supernaturale, & inclinatio sequitur ad formam: atqui gratia habitualis se tenet ex parte naturæ, & est forma, quæ illam elevat ad finem supernaturalem, & charitas est virtus, quæ supponit naturam jam elevatam; ergo est ante charitatem.

Resp. dist. maj. Natura est ante virtutem ratione, & cognitione, *con. maj.* realiter, & tempore, *neg. maj. dist. min.* atqui gratia se tenet ex parte naturæ, quam elevat, & charitas est virtus realiter distincta à natura elevante, *neg. min.* indistincta, *con. min. & neg. conf.*

Q. III. DE GRATIA HABITUALI. A. I. 269

Idem enim habitus gratiæ, & charitatis sub diverso respectu, & ratione humanam naturam elevat ad finem supernaturalem, nempe quatenus hominem facit filium adoptivum, & divinæ naturæ consortem, & sub alia ratione, nempe ut virtus disponit illam ad actus supernaturales charitatis, & sic sub diverso respectu, & secundum nostrum concipiendi modum radicaliter sub ratione gratiæ, ut elevans naturam, est prior, & ut eam disponens ad operandum supernaturaliter sub ratione virtualiter sub ratione virtutis est posterior. Propterea nulla infertur distinctio realis, sed eadem entitas virtualiter multiplex utrumque præstat.

Inst. 2. Atqui gratia est prior realiter, & tempore charitate; ergo &c. *Prob. subs.* Gratia est effectus, & terminus divinæ dilectionis, quæ diligit nos, & charitas non est terminus divinæ dilectionis, quæ nos diligit, sed quæ nos facit dilectores suos, ut ait S. Augustinus Lib. de spir. & litt. c. 32. atqui prior dilexit nos, 1. Joan. 4. nempe ab æterno, & nos facit dilectores in tempore; ergo gratia est prior tempore charitate.

Resp. dist. maj. Gratia est effectus, & terminus divinæ dilectionis ad extra in tempore simul cum charitate habituali tanquam unicus realiter habitus productus, *con. maj.* est effectus, & terminus divinæ dilectionis ad intra, & ab æterno productus, *neg. maj. dist. min.* atqui prior dilexit nos, id est, antequam ipsum dileximus, *con. min.* prior dilexit nos, nobis infundendo gratiam ante charitatem habitualem, *neg. min. & conf.* Deus enim simul nos sanctificat, & consortes reddit naturæ divinæ, & simul habiles reddit ad dilectionem in tempore, quamvis naturâ, & radicaliter prius sit sanctificare naturam, & dare ei esse aliquod divinum, & supernaturale, quàm operari per charitatem.

Inst. 3. Atqui gratia est effectus, & terminus divinæ dilectionis ad intra, & ab æterno productus; ergo &c. *Prob. subs.* Gratia est ipsa communicatio personæ Spiritus Sancti: atqui persona Spiritus Sancti est terminus divinæ dilectionis ab æterno productus; ergo gratia est terminus divinæ dilectionis ad intra ab æterno productus. *Prob. maj.* Apostolus 1. Cor. 3. ait de

justificatis : *Nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus Sanctus habitat in vobis; & Rom. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Et S. Augustinus Lib. 1. de pecc. merit. c. 9. Deus dat sui Spiritus occultissimam fidelibus gratiam.* Ex quibus sic arguo : Id quod homo per justificationem recipit, & per peccatum amittit, est gratia habitualis : atqui per justificationem recipit Spiritum Sanctum, & illum per peccatum amittit ; ergo gratia est ipsa persona Spiritus Sancti.

Resp. dist. maj. Id quod homo per justificationem accipit, & per peccatum amittit tanquam formam justificantem formaliter, est gratia, *con. maj.* quod recipit tanquam singularem divinæ naturæ participationem, est gratia, *neg. maj. dist. min.* atqui homo per justificationem recipit Spiritum Sanctum, & per peccatum eum amittit tanquam formam hominem formaliter justificantem, *neg. min.* tanquam singularem naturæ divinæ participationem, *con. min. & neg. conf.* Persona quidem Spiritus Sancti cum infusione gratiæ speciali modo cum natura divina homini justificato communicatur juxta verba Christi Joan. 14. 23. *Ad eum veniamus, & mansionem apud eum faciemus; & 1. Cor. 3. Spiritus Sanctus habitat in vobis,* non tamen formaliter, sed effectivè cum aliis divinis personis hominem justificans, & sanctificans.

Inst. 4. Atqui id, quod justificat hominem formaliter, distinguitur realiter à charitate; ergo &c. *Prob. subsf.* Gratia est participatio naturæ divinæ, quia se habet per modum naturæ, & charitas est participatio voluntatis divinæ; quia se habet per modum potentiae : atqui istæ duæ participationes realiter distinguuntur, ergo gratia, & charitas realiter distinguuntur. *Prob. min.* Quæ ex parte Dei distinguuntur virtualiter, in creaturis distinguuntur realiter : atqui naturæ participatio, & voluntatis participatio ex parte Dei distinguuntur virtualiter ; ergo in creaturis realiter.

Resp. dist. maj. Quæ distinguuntur ex parte Dei virtualiter distinguuntur ex parte creaturæ realiter, aliquando, *con. maj.* semper, & in omnibus, *neg. maj. concessâ min. neg. conf.* In Deo namque natura, intel-

Q. III. DE GRATIA HABITUALI. A. I. 271

lectus, & voluntas distinguuntur virtualiter, in creaturis tamen natura non distinguitur realiter à potentia illius, ut multi docent.

Inst. 5. Gratia distinguitur realiter à fide, & spe habituali; ergo etiam à charitate.

Resp. neg. conf. & paritatem. Quia gratia separari potest à fide, & spe, non verò à charitate.

Quæres : An gratia subiectetur in ipsa anima, vel in illius potentia?

Resp. Gratia habitualis est in ipsa anima tanquam subiecto educationis, & inhæſionis; quia ex illius potentia obedientiali educitur, illique inhæret.

Quæres 2. An fides, spes, charitas physicè, vel moraliter fluant à gratia?

Resp. Charitas emanat metaphysicè à gratia tanquam proprietas à radice realiter indistincta, ita ferè sicut rationalitas ab anima. Aliæ autem Virtutes theologicæ moraliter; quia simul infunduntur cum gratia, & ipsi sunt quasi debitæ propter connexionem, quam cum illa habent in ordine ad actus supernaturales.

ARTICULUS II.

An Gratia creetur, & quænam sint causæ gratiæ habitualis?

Prænot. 1. **C**REATIO est productio entis ex nihilo sui, & ex nihilo subiecti, id est, nullo præsupposito subiecto. Eductio verò est productio formæ ex nihilo sui, sed dependenter à subiecto. Potentia est duplex, nempe naturalis, quæ dicit ordinem ad agens naturale, & obedientialis, quæ dicit ordinem ad agens supernaturale.

2. Quatuor sunt genera causarum, materialis, formalis, efficiens, & finalis, hæc moralis est, aliæ physicæ.

CONCLUSIO I.

Gratia habitualis non creatur, sed educitur è potentia obedientiali anima.

Prob. 1. pars, quòd gratia non creatur. S. Thomas infrà q. 113. a. 9. dicit : creationem ex parte modi operandi esse majus opus justificatione; quia creatio fit ex nihilo, non justificatio, quæ quoad se sumpta est opus majus creatione cœli, & terræ. Unde sic argumentor : Si gratia crearetur, justificatio fieret ex nihilo : atqui ex S. Thoma justificatio non fit ex nihilo; ergo gratia non creatur.

Prob. 2. pars, quòd gratia habitualis educatur. Educi est fieri dependenter à subjecto, cui inhæret : atqui gratia fit dependenter à subjecto, nempe anima, cui inhæret; quia est accidens, quod dependet in esse, & fieri à subjecto; ergo educitur è potentia obedientiali quia non habet proportionem naturalem ad gratiam, quæ est supernaturalem.

Solvuntur objectiones.

Obj. Pfal. 50. dicitur : Cor mundum crea in me Deus. Et Eph. dicimur : *Creati in Christo nova creatura* : atqui cor mundum fit per gratiam; ergo gratia creatur.

Resp. dist. maj. Dicimur in Scriptura per gratiam creari improprie, & moraliter sine præcedentibus nostris meritis, *con. maj.* proprie, physicè, *neg. maj. concessâ min. neg. conf.* Sæpè etiam dicimur in Scriptura, & à SS. Patribus generari per gratiam, vivificari, resuscitari.

Inst. 1. Atqui gratia proprie creatur; ergo &c. *Prob. subs.* Gratia non continetur in potentia animæ; ergo proprie creatur.

Resp. dist. ant. Gratia non continetur in potentia animæ naturali, *con. ant.* non continetur in potentia obedientiali, *neg. ant. & conf.*

Inst. 2. Atqui gratia non continetur in potentia animæ obedientiali; ergo &c. *Prob. subs.* Gratia non potest produci, nisi per creationem; ergo non continetur in potentia animæ obedientiali. *Prob. ant.* Donum Dei præstantissimum, & nobilius omni creaturâ, debet produci per actionem perfectissimam : atqui gratia est donum Dei præstantissimum, & nobilius omni creaturâ juxta S. Thomam, & creatio est perfectior educatione; ergo non nisi per creationem potest produci.

Resp.

Q. III. DE GRATIA HABITUALI. A. II. 273

Resp. dist. maj. Donum Dei præstantissimum debet produci actione perfectissima ipsius naturæ, & conditioni proportionata, *con. maj.* non proportionata, *neg. maj. concessâ min. neg. conf.* Cum enim gratia sit accidens, non exigit produci per creationem, sed dependenter à subjecto eductivo.

Inst. 3. Quod desinit per annihilationem, incipit per creationem : atqui gratia desinit per annihilationem juxta S. Thomam in 2. d. 26. q. unica a. 2. ad 5. ubi ait : *Quod cum gratia corrumpitur, simul etiam in nihilum redit* ; ergo incipit per creationem.

Resp. dist. maj. Quod desinit per annihilationem, incipit per creationem aliquando, *con. maj.* semper, *neg. maj. dist. min.* atqui gratia desinit per annihilationem improprie, *cor. min.* proprie, *neg. min. & conf.* Gratia enim cum destruitur, redit in potentiam subjecti obedientialem, ex qua fuit educta. Unde proprie non redit ad nihilum, quamvis nihil illius formæ remaneat.

Inst. 4. Eo modo in nobis gratia producitur, uti in Angelis, & Adamo : atqui in illis fuit creata ; ergo etiam in nobis. *Prob. min.* Si in Angelis, & Adamo gratia fuisset educta ex potentia subjecti, debuisset subjectum prius existere, & esse sine gratia : atqui Angeli, & Adamus non prius fuerunt sine gratia ; quia nunquam fuerunt in statu naturali ; ergo gratia in Angelis, & Adamo fuit creata.

Resp. dist. maj. Si in Angelis, & Adamo gratia fuisset educta ex potentia subjecti, debuisset subjectum prius existere naturâ, *con. maj.* tempore, *neg. maj. dist. min.* atqui Angeli, & Adamus non prius fuerunt tempore gratiâ, *con. min.* non fuerunt prius naturâ, *neg. min. & conf.* Unde licet Angeli, & Adamus simul tempore fuerint producti cum gratia, attamen non eadem actione, sed Angeli, & Adamus actione creativâ, & gratia eductivâ.

CONCLUSIO II.

Solus Deus est causa principalis, & physica efficiens gratiam habitualem. Est de Fide.

Prob. 1. ex S. Scriptura Psal. 83. 25. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.* Et Job. 14. *Quis potest facere*
T. IV. S

mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu, qui solus es. Rom. 8. 33. Deus est, qui justificat; ergo Deus est causa principalis efficiens gratiæ habitualis.

Prob. 2. ratione. Illius solus est, ut causa principalis, gratiam habitualemente producere, qui solus potest deificare, remittere peccata, dare jus ad vitam æternam: atqui hæc potest solus Deus tanquam causa principalis; ergo solus Deus est causa principalis efficiens gratiæ habitualis.

Solvuntur objectiones.

Obj. Joan. 1. 17. Gratia & veritas per JESUM CHRISTUM; ergo solus Deus non est causa efficiens & principalis gratiæ habitualis.

Resp. dist. ant. Gratia per Jesum Christum ratione divinitatis, *con. ant.* Ratione humanitatis ut causam meritoriam, *con. ant.* principalem efficientem, *neg. ant. & conf.*

Inst. 1. Christus ut homo est caput hominum, & Angelorum: atqui caput est causa principalis, & influit in membra; ergo Christus ut homo est causa principalis gratiæ.

Resp. dist. min. Atqui caput est causa principalis instrumentalis, *con. min.* principalis efficiens, & simpliciter, *neg. min. & conf.* Christus est quidem caput generis humani, & causa meritoria gratiæ principalis ut instrumentum conjunctum cum divinitate, & principium influens comparative ad hominem, sed ut Deus est causa principalis simpliciter, & efficiens.

Inst. 2. Ille est causa principalis alicujus formæ, qui est causa principalis ultimæ dispositionis ad illam formam: atqui homo est causa principalis contritionis ultimæ dispositionis ad gratiam; quia est causa vitalis, & efficiens actum contritionis, sicut alios suos actus; ergo homo est causa principalis gratiæ.

Resp. dist. maj. Ille est causa principalis alicujus formæ, qui est causa principalis dispositionis proximæ, si illa forma ex dispositione resultet naturaliter, *con. maj.* si supernaturaliter, *neg. maj. dist. min.* atqui homo est causa principalis contritionis, prout naturalis est,

Q. III. DE GRATIA HABITUALI. A. II. 275

con. min. prout supernaturalis est, neg. min. & conf. Deus enim causa est principalis actus supernaturalis, & gratia non resultat naturaliter à contritione. Unde ait S. Thomas hic art. 3. *Actus liber præparans ad gratiam dupliciter potest considerari: primò secundum quod est à libero arbitrio, & sic nullam habet necessitatem ad gratiæ consecutionem, quoniam donum gratiæ excedit omnem præparationem virtutis humanæ. Alio modo potest considerari, ut est à Deo movente, & tunc habet necessitatem ad id, ad quod à Deo ordinatur, scilicet gratiam.*

CONCLUSIO III.

Causa principalis moralis efficiens, & meritoria gratiæ habitualis est Christus Dominus. Est de Fide. Causa quasi materialis ex qua, & subjectiva est anima, ex cujus potentia obedientiali educitur, & cui inhaeret. Causa finalis est gloria Dei, ac Christi Mediatoris; vita æterna, & glorificatio justorum. Causam formalem non habet, sed ipsa est forma, & causa formalis justificationis nostræ.

Prob. ex Concilio Tridentino, quod Sess. 6. cap. 7. ait: Hujus justificationis causæ sunt, finalis quidem gloria Dei, & Christi, ac vita æterna, efficiens verò misericors Deus . . . meritoria autem dilectissimus Unigenitus suus . . . instrumentalis Sacramentum Baptismi . . . demum unica formalis causa est justitia Dei, non quâ ipse justus est, sed quâ nos justos facit. Unde sic argumentor: Eædem sunt causæ gratiæ, ac justificationis: atqui quatuor causæ sunt justificationis, nempe allegatæ à Concilio Tridentino; ergo illæ quatuor causæ justificationis etiam sunt causæ gratiæ habitualis.

ARTICULUS III.

In quo consistat justificatio impii, & quinam alii sint gratiæ habitualis effectus.

Prænot. I. JUSTIFICATIO desumitur à justitia, ac idem sonat, ac facere justum, sicut calefactio est facere calidum; quid est enim aliud justificari, quàm justificari ab illo scilicet, qui justificat impium, ut ex injusto fiat justus, ait S. Augustinus Lib. de spir. & litt.

c. 26. *Justitia autem potest duplici modo considerari, videlicet 1.º prout dicit aliquam rectitudinem in actu considerato in ordine ad alium reddens cuique suum, & in hoc sensu est virtus; & 2.º prout dicit rectitudinem in ipsa interiore hominis dispositione ad Deum, ut supremam rerum omnium rationem, & normam, & hæc potest duplici modo sumi, videlicet ut motus simplex à privatione ad formam justitiæ, seu gratiæ habitualis, & in hoc sensu justificatio potest competere ei, qui non est in peccato, ut Angeli, & Adamus ante lapsum; vel ut motus à contrario ad contrarium, ut de statu injustitiæ ad statum justitiæ, & hæc supponit peccatum, ut justificatio impii, de qua hic agitur.*

2. *Justificatio duplici modo sumitur, nempe 1.º improprie pro lege, quæ justitiam docet, de qua Psalmista ait Psal. 118. Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas, id est, legem tuam; vel pro declaratione justitiæ, quâ judex, vel alius innocentiam suam, vel alterius, verè, vel falsò declarat. Sic Luc. 16. Pharisei justificabant seipsos. Et Isai. 5. dicitur: Væ illis, qui justificant impium pro muneribus. 2.º Proprie pro acquisitione justitiæ, & sanctitatis, vel illius augmenti, quâ homo verè efficitur justus, sanctus, ac rectus; & definitur: Translatio totius hominis à statu peccatoris, in quo est inimicus Dei, & dignus pœnâ æternâ, ad statum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei. De hac dicit Apostolus Rom. 3. Justificati gratis per gratiam ipsius; & Apoc. 22. Qui justus est, justificetur adhuc.*

3. *Justificatio licet sit supernaturalis, non tamen ordinariè est miraculosa; quia miraculosum non solum superat naturam, sed etiam modum includit insolitum, ut justificatio B. V. MARIÆ, & S. JOANNIS Baptistæ in utero matris.*

4. *Error circa justificationis naturam est hæreticorum nostri temporis Lutheri & Calvini, justificationem sumentium in sensu improprio, & dicentium, peccata per justificationem impii non verè deleri, & auferri, sed ajunt, justificatio in eo consistit ex parte Dei, quòd peccata ob merita Christi non imputer & ea tegat justitiâ Christi, & pro justitiâ ex parte hominis requirunt, ut firmissimè credat, peccata sibi propter Christi merita condonata, vel non imputata esse.*

CONCLUSIO I.

In justificatione impij peccata non solum teguntur, seu non imputantur, sed verè, ac propriè remittuntur, & auferuntur per veram intrinsecam justitiam, & gratiam habitualement illi inhærentem, ac per internam hominis renovationem. Nec potest fieri absolutâ Dei potentiâ per solum favorem extrinsecum sine interna per infusionem gratiæ mutatione.

Prob. 1. pars, quòd in justificatione impij peccata non solum tegantur, seu non imputentur; sed verè ac propriè remittantur, ex S. Scriptura. Isai. 43. Ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me. Mich. 7. Quis Deus similis tui, qui auferens iniquitatem. Joan. 11. Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Act. 10. dicit divus Petrus: Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum. 1. Cor. Apostolus Paulus loquens de fornicariis, adulteris &c. dicit c. 6. 11: Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis.

Ex quibus sic argumentor: In justificatione impij peccata non solum teguntur, vel non imputantur, sed verè, & propriè remittuntur per veram intrinsecam justitiam, & gratiam inhærentem, ac hominis interioris renovationem, si Deus peccata illius deleat, iniquitatem auferat, peccata tollat, & impij remissionem obtineant, abluti, sanctificati, & justificati sint: atqui ita est, ut patet ex textibus citatis; ergo in justificatione impij peccata non solum teguntur, seu non imputantur, sed verè, & propriè remittuntur per veram justitiam, & gratiam habitualement inhærentem, & internam hominis renovationem.

Confirmatur ex Apostolo Eph. 1. 4. Elegit nos in ipso, ut essemus sancti, & immaculati in conspectu ejus: atqui si peccata remanerent, & essent tantum tecta, vel non imputata, non essemus sancti, & immaculati in conspectu illius; quia Deus videt res, ut sunt, & ipsius conspectui nihil potest tegi; ergo peccata non tantum teguntur, sed verè auferuntur, ne amplius in ipsius conspectu sint.

Prob. 2. ex Concilio Tridentino, quod Sess. 6. Can. 11. ait: Si quis dixerit, homines justificari, vel solâ im-

putatione justitiæ Christi, vel solâ peccatorum remissione, exclusâ gratiâ, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffunditur, atque illis inhæreat: aut etiam gratiam, quâ justificamur, esse tantum favorem Dei, anathema sit. Et Sess. 5. Can. 5. Si quis per JESU CHRISTI Domini nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram, & propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi, aut non imputari, anathema sit.

Unde sic argumentor: Per justificationem impiï peccata non solum teguntur, vel non imputantur, sed verè remittuntur per justitiam internam inhærentem, si contrarium asserentes Concilium Trid. damnaverit: atqui Concilium Trid. Sess. 5. Can. 5. damnat, & anathematizat asserentes, veram, & propriam rationem peccati non tolli, sed tantum radi, aut non imputari, & Sess. 6. Can. 11. justificari solâ imputatione justitiæ Christi, vel exclusâ gratiâ, & charitate illis inhærente, aut per solum favorem Dei; ergo in justificatione impiï peccata non solum teguntur, seu non imputantur, sed propriè remittuntur per justitiam internam ipsis inhærentem.

Prob. 3. ex SS. Patribus. S. Cyprianus Epist. 2. Baptismum appellat: *Mortem criminum*. S. Chrysostomus in Psal. 50. *Sola gratia sordes meas perfectè abstergere, ac nivis candorem mihi conciliare potest*. S. Augustinus Lib. 1. contra duas Epist. Pelag. c. 13. ait: *Discimus enim, Baptisma dare omnem indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere, nec ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur quasi rasorum in capite capillorum, unde crescunt iterum secunda peccata*.

Ex quibus sic arguo: Si Baptismus est mors criminum, & omnia peccata auferat, & non tantum radat, sed gratia peccata perfectè abstergat, in justificatione hominis peccata non solum teguntur, vel non imputantur, sed verè remittuntur per gratiam inhærentem: atqui ex S. Cypriano Baptismus est mors criminum, ex S. Augustino omnia peccata aufert, & non tantum radit, & ex S. Chrysostomo sola gratia perfectè pec-

cata abstergit; ergo peccata in justificatione non solum teguntur, vel raduntur, seu non imputantur, sed verè remittuntur per gratiam inhærentem.

Prob. 4. ratione. Si in justificatione impii peccata remanerent, & solum tegerentur, vel non imputarentur, homo simul effet justus, ut supponitur; quia justificaretur; & non effet, quia maneret in peccato, & injustitia; Deus enim eum diligeret, quia esset per justificationem amicus, & eum odio haberet; quia Sap. 14. *odio sunt Deo impius, & impietas ejus*, quæ in ipso maneret; justii essent mundi juxta verba Christi Joan. 3. *jam vos mundi estis; & non essent, quia fordibus peccatorum, quæ in ipsis manent, essent inquinari; Deus æstimaret, & reputaret justum eum, qui peccato in ipso manente injustus est: atqui hæc omnia absurda sunt; ergo peccata in justificatione impii non remanent.*

Prob. 5. Specialiter, quòd justificatio fiat per internam hominis renovationem per gratiam. Ezech. 36. dicit Deus: *Mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris . . . & dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri.* Et Eph. 4. ait Apostolus: *Renovamini in spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, & sanctitate veritatis.* Et Concilium Trid. Sess. 6. cap. 7. dicit: *Hanc dispositionem, seu præparationem justificatio ipsa sequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum; ergo justificatio impii fit ex Scriptura, & Concilio Tridentino per internam hominis renovationem, & gratiam.*

Prob. 2. pars, quòd justificatio impii nec per absolutam Dei potentiam fieri possit per solum favorem Dei extrinsecum. Deus non potest fieri ex odiente amans, ut fit in justificatione impii, sine aliqua mutatione: atqui ex parte Dei nulla potest fieri mutatio; ergo in ipso peccatore necessariò debet fieri aliqua mutatio interna, quæ ex injusto fiat justus, quod non potest fieri per solum favorem Dei extrinsecum.

Prob. 2. eadem pars. Peccatum consistit essentialiter in privatione justitiæ & rectitudinis, in aversione à Deo,

& conversione ad creaturas : atqui impossibile est, tollere privationem justitiæ, & rectitudinis sine justitia, & rectitudine, tollere aversionem à Deo, & conversionem ad creaturas per solum favorem extrinsecum sine interna peccatoris mutatione, & conversione ad Deum, & sine infusione formæ oppositæ, nempe justitiæ, & rectitudinis, sicut cæcitas non potest tolli, nisi per visionem, nec tenebræ, nisi per lumen; sunt enim privativè opposita; ergo nec homo potest absolutâ Dei potentiâ justificari per solum favorem extrinsecum absque interna peccatoris mutatione per infusionem formæ oppositæ, nempe gratiæ, hominem bonè, ac rectè ad Deum ordinantis.

Solvuntur objectiones contra primam partem, de remissione peccati per gratiam internam.

Obj. In justificatione impii peccata non verè remittuntur, sed tantùm teguntur, & non imputantur, si Scriptura hoc expressè dicat : atqui Scriptura Psal. 31. expressè dicit : *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, qui non imputavit Dominus peccatum. Ezech. 33. Omnia peccata ejus, quæ peccavit, non imputabuntur ei*; ergo in justificatione impii peccata tantùm teguntur, vel non imputantur.

Resp. dist. min. Arqui S. Scriptura expressè dicit tecta sunt peccata extrinsecè, & non imputantur in nobis remanendo, *neg. min.* tecta sunt oculis Dei illa sanando, ut docet S. Augustinus, ea auferendo, tollendo, ita, ut non amplius sint, nec à Deo videantur in nobis, *con. min. & neg. conf.* Cum enim omnia oculis Dei aperta sint, peccata non possunt ipsi tegi, ut illa non videat, nisi omnino tollantur. Unde Psalmista non intelligit peccata ita tantùm esse tecta, & ita nobis non imputari, ut tamen remaneant, cum in eodem versu dicat : *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, nec est in spiritu ejus dolus, si remissæ, & non sit in spiritu ejus dolus*; ergo non amplius manent.

Infl. 1. Arqui peccata tecta sunt tantùm extrinsecè, ita, ut in justificato remaneant; ergo &c. *Prob. subs.* Si peccata non essent tantùm tecta extrinsecè, ita, ut remanerent in justificato, non possent cooperiri;

Q. II. DE GRATIA HABITUALI. A. II. 281

quod enim non ampliùs est, non potest cooperiri : atqui Psal. 84. dicitur : *Operuisti omnia peccata eorum ;* ergo tantùm extrinsecè tecta sunt, ita, ut remaneant in justificato.

Resp. dist. min. Atqui Deus operuit omnia peccata eorum per gratiam internam auferentem ; & delentem omnia peccata, *con. min.* cooperuit omnia peccata eorum illa conservando, *neg. min. & conf.* S. Augustinus enim enarr. 2. in Psal. 31. in illa verba : *quorum tecta sunt peccata, dicit : Cooperta sunt peccata, tecta sunt . . non sic intelligatis, quod dixit, tecta sunt peccata, quasi ibi sint, & vivant, tecta ergo peccata quare dixit ? ut non viderentur.* Ad quid enim interviret illa cooperire ; si enim in homine remaneant, odium Dei in illum excitant, eaque summè displicent, nec ipsi cooperiri possunt, & aliis jam absque justificatione cooperta sunt, cùm sæpe occultissima sint.

Inst. 2. Atqui Deus per justificationem cooperuit peccata illa conservando, ita ut remaneant ; ergo &c. *Prob. subsf.* Si Deus tantùm dissimulet peccata hominum, illa per justificationem ita cooperit, ut conserventur, & remaneant : atqui Deus dissimulat peccata hominum, prout indicatur Sap. 11. ubi legitur : *Misereris omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam ;* ergo Deus per justificationem cooperit peccata hominum illa conservando, ita, ut remaneant.

Resp. dist. min. Atqui Deus dissimulat peccata non remissa propter pœnitentiam, ut habetur in eodem textu, ut convertantur, *con. min.* dissimulat peccata hominem justificando, ita, ut remaneant, *neg. min. & conf.* Siquidem ut dicit Apostolus Petrus Epist. 2. c. 3. *Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.*

Inst. 3. Atqui Deus hominem justificando dissimulat peccata, ita, ut remaneant ; ergo &c. *Prob. subsf.* Si Deus justificando hominem tolleret peccata, præcipuè per gratiam, & charitatem : atqui charitas non tollit peccatum ; ergo Deus hominem justificando dissimulat peccata, ita, ut remaneant. *Prob. min. 2.* Pet. 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum ;* ergo illa non tollit.

Resp. dist. ant. Charitas operit multitudinem peccatorum illa verè remittendo, delendo, ac destruendo, *con. ant.* charitas operit multitudinem peccatorum, ita, ut remaneant, *neg. ant. & conf.* Unde charitas dicitur cooperire multitudinem peccatorum; quia illa revera remittit, & destruit. Christus enim dixit de Magdalena: *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* Luc. 7.

Inst. 4. Atqui charitas operit multitudinem peccatorum, ita, ut simul remaneant; ergo &c. *Prob. subf.* Si charitas operiret multitudinem peccatorum, ita, ut non simul remaneant, justificati essent sine peccato: atqui justificati non sunt sine peccato; nam S. Joannes Ep. 1. v. 8. dicit de se, & aliis justificatis: *Si dixerimus; quia peccatum non habemus: ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est;* ergo charitas operit multitudinem peccatorum, ita, ut simul in nobis remaneant.

Resp. dist. maj. Si charitas operiret multitudinem peccatorum, ita, ut non simul remaneant, justificati essent sine peccato mortali, *con. maj.* sine veniali semper, *neg. maj dist. min.* atqui ex Apostolo justificati non sunt sine omni peccato etiam veniali, *con. min.* sine mortali, *neg. min. & conf.* Sine speciali enim privilegio, quale sola B. Virgo MARIA habuit, nemo ita sanctè vivit, ut non quandoque venialiter peccet; peccatum autem veniale non solvit Dei amicitiam, nec impedit justificationis gratiam.

Inst. 5. Atqui nullus est sine mortali; ergo &c. *Prob. subf.* Nullus coram Deo est verè justificatus; ergo nullus est sine peccato mortali. *Prob. ant.* Psal. 142. dicitur: *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens;* ergo nullus est verè justificatus coram Deo.

Resp. dist. ant. Nullus justificabitur in conspectu Dei propriis meritis, *con. ant.* per gratiam ex meritis Christi, *subd.* ita perfectè, ut sit sine ullo defectu; & comparete ad Dei justitiam, *con. ant.* nullus justificabitur modo statui viæ proportionato, & absolutè, *neg. ant. & conf.* Unde Psalmista vult tantum dicere, justitiam nostram sumptam pro operibus justitiæ coram oculis Dei defectibus quotidianis esse obumbratam, ita, ut nullus sine omni omnino culpa voluntaria, vel invo-

luntaria reperiatur, sed universæ justitiæ nostræ comparantur panno menstruata, & comparatè ad Dei justitiã, quasi nihil, & non sint, prout etiam Job c. 9. dicit: *Scio, quia non justificabitur homo compositus Deo, sicut etiam dicit 25. Ecce luna etiam splendet, & stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus: quãtò magis homo putredo, & filius hominĩs vermis?*

Inst. 6. Atqui nullus justificatur coram Deo, ira, ut fit sine peccato mortali; ergo &c. *Prob. subs. 1.* Joan. c. 3. *Qui non diligit, manet in morte, ac proinde in peccato mortali:* atqui ex S. Augustino Lib. de perfect. justitiæ c. 8. præceptum charitatis non impletur, nisi in futura gloria; ergo nullus justificatur coram Deo, ira, ut fit sine peccato mortali.

Resp. dist. min. Atqui præceptum charitatis non impletur, nisi in gloria quoad omnem perfectionem, & intensiõem Deum ita perfectè amando, prout deberemus, *con. min.* non impletur appetitiivè, & quantum sufficit ad justificationem, & remissionem peccatorum in - vel extra Sacramentum, *neg. ant. & cons.*

Inst. 7. Atqui præceptum charitatis non impletur in hac vita, quantum sufficit ad tollendum peccatum; ergo &c. *Prob. subs.* Si præceptum charitatis impleri posset in hac vita, quantum sufficit ad tollendum peccatum mortale, illud præcipuè Apostolus adimplèssèt: atqui ipse non ita implevit, & Deum ita dilexit, ut fuerit sine peccato mortali; ergo præceptum charitatis non impletur in hac vita &c. *Prob. min.* Rom. 7. v. 17. ait: *Jam non operor illud, sed quod habitat in me peccatum:* atqui Apostolus non loquitur de peccato veniali, loquitur enim ibi de peccato, quod operatum est ipsi mortem; ergo non fuit sine peccato mortali.

Resp. dist. maj. Ipsemet Apostolus dicit, habitat in me peccatum sumptum pro concupiscentia, quæ est effectus peccati, & naturæ corruptæ, *con. maj.* sumptum pro peccato vero, & mortali ab ipso commisso, & non deleto, *neg. maj. concessa min. neg. cons.* Quòd autem Apostolus in capite citato loquatur de concupiscentia, patet ex toto capite. Concupiscentia autem dicitur peccatum, ait Concilium Trid. Sess. 5. Can. 5. *non quòd verè, & propriè in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat.*

Inst. 8. Atqui Apostolus loquitur in loco citato de peccato vero, & mortali; ergo &c. *Prob. subs.* Apostolus loquitur de peccato, quod nullum in ipso relinquit bonum, prout ipsemet indicat in versu sequenti 17. dicens: *Scio enim, quia non habitat in me, hoc est in carne mea bonum*: atqui peccatum, quod nullum in homine relinquit bonum, est mortale, & propriè dictum; ergo Apostolus loquitur de peccato vero, & mortali.

Resp. dist. maj. Apostolus loquitur de peccato, quod nullum in ipso relinquit bonum quoad motus concupiscentiæ carnis, *con. maj.* quod nullum in eo relinquit bonum habituale, & quoad gratiam habitantem in anima, *neg. maj. dist. min.* atqui peccatum, quod nullum in homine relinquit bonum habituale gratiæ, est mortale, *con. min.* quod nullum relinquit in homine bonum quoad motus concupiscentiæ carnis, est mortale, *subd.* est mortale ab Adamo commissum nobis communicatum, sed Baptismo quoad culpam remissum, *con. min.* non remissum quoad culpam, *neg. min. & conf.* Unde Apostolus vult tantum dicere, quod ipsius caro ob peccatum Adami, & naturæ corruptionem ad malum prona fit, & ad bonum supernaturale nulla in ipsius carne bona fit inclinatio, nec ex se illud operari possit bonum, quod desiderat, prout se ibidem explicat, dicens in eodem versu: *nam velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio.*

Inst. 9. Atqui peccatum per justificationem non omnino tollitur; ergo &c. *Prob. subs.* Si peccatum per justificationem omnino tolleretur, nunquam rediret: atqui peccata redeunt, ut patet Matth. 18. 32. ubi Dominus à servo de novo peccante exegit omne debitum, quod antea dimiserat; ergo peccatum per justificationem non omnino tollitur.

Resp. dist. min. Atqui peccata redeunt formaliter secundum suas maculas, *neg. min.* virtualiter, & æquivalenter ob ingratitudinem, *con. min. & neg. conf.* Unde Christus illa parabolâ voluit tantum indicare, quod unusquisque fratri suo ex toto corde dimittere debeat, secus propter ingratitudinem erga Deum omni rigore punietur.

Q. II. DE GRATIA HABITUALI. A. II. 285

Inst. 10. Saltem peccata dimisit, & simpliciter condonavit sine infusione gratiæ; ergo &c. *Prob. subst.* Christus id fecit, ad quod faciendum in mundum venit: atqui 1. Joan. 5. *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolveret opera diaboli;* & Coll. 2. *Donam vobis omnia delicta, id est, peccata;* ergo illa simpliciter condonavit.

Resp. dist. min. Atqui apparuit, ut dissolveret opera diaboli donans omnia delicta per delectationem peccati, & vitæ novæ supernaturalis largitionem, *con. min.* per solam condonationem peccati, *neg. min. & conf.* Dicit enim Christus Joan. 10. *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant.*

Solvuntur objectiones contra secundam partem, de impossibilitate remissionis peccati per solum favorem externum.

Obj. Si homo absolutâ Dei potentia non possit justificari per solum favorem Dei extrinsecum, ideo esset; quia peccatum consistit in voluntaria privatione gratiæ, in averfione à fine ultimo, & privatione rectitudinis ad Deum: atqui hæc omnia possunt reparari sine infusione gratiæ, vel alicujus formæ internæ; ergo saltem possibile est hominem justificari per solum Dei favorem sine infusione gratiæ. *Prob. min.* Per solum actum charitatis, ac contritionis privatio gratiæ cessat esse voluntaria, restituitur ratio finis ultimi, & consequenter rectitudo hominis ad Deum restituitur; ergo absque infusione gratiæ hæc omnia reparantur.

Resp. dist. ant. Per solum actum charitatis, & contritionis privatio gratiæ cessat esse voluntaria pro præfenti, & restituitur finis ultimus, & rectitudo ad Deum inchoativè, & imperfectè, *con. ant.* cessat privatio gratiæ esse voluntaria pro præterito, quoad præcedentem dispositionem, & restituitur ratio finis ultimi ac rectitudo ad Deum perfectè; *neg. ant. & conf.* Ut autem peccatum remaneat sufficit, quod privatio gratiæ fuerit voluntaria per dispositionem præcedentem, & ut remittatur, ac restituatur ratio finis ultimi, & rectitudo ad Deum, requiritur, ut Deus etiam se convertat ad hominem per principalem effectum suæ dilectionis, ac justificationis, quæ est gratia sanctificans.

Inst. 1. Atqui per solum actum charitatis restituitur ratio finis ultimi, perfectè sine gratiæ infusione; ergo. *Prob. subs.* Actus charitatis non est minoris efficaciam, quàm actus peccati; est enim longè perfectior: atqui actus peccati tollit rationem finis ultimi perfectè; ergo & actus charitatis restituit perfectè rationem finis ultimi.

Resp. dist. maj. Actus charitatis non est minoris efficaciam, quàm actus peccati in ordine naturali, *con. maj.* in ordine supernaturali, *neg. maj. concessã min. neg. conf.* Disparitas est; quia plus requiritur ad productionem finis supernaturalis; quia est ordinis supernaturalis, & à Deo adjuvante producitur effectivè, quàm ad illius destructionem, quæ fit efficienter per solum peccatum.

Inst. 2. Atqui actus charitatis non est minoris efficaciam in ordine supernaturali, & quoad reparationem finis ultimi; ergo &c. *Prob. subs.* Actus est perfectior habitu charitatis; quia habitus non activè se habet: atqui habitus restituit rationem finis ultimi perfectè; ergo à priori actus charitatis.

Resp. dist. maj. Actus est perfectior habitu gratiæ, *neg. maj.* quoad alios habitus, *esto, concessã min. neg. conf.* Gratia enim nobilior est quocunque actu supernaturali; dixi: *esto*, vel transeat; quia an hoc de aliis habitibus verum sit, non adeo constat.

CONCLUSIO II.

Præter justificationem impii, & expulsionem peccati alii gratiæ habitualis effectus sunt 1.º reddere hominem Deo gratum, & amicum. 2.º Filium Dei adoptivum, & hæredem vitæ æternæ. 3.º Naturæ divinæ, omniumque virtutum theologiarum, & moralium supernaturalium, ac donorum Spiritus Sancti participem. 4.º Communicatio ipsius personæ Spiritus Sancti. 5.º Dignitas, & valor bonorum operum in ordine ad vitam æternam.

Prob. 1. pars, quod gratia habitualis reddat hominem Deo gratum, & amicum. Psal. 145. 8. dicitur: Dominus diligit justos. Sap. 4. 10. Placens factus est Deo dilectus: atqui quem Deus diligit, ipsique placet, est illi gratus, & amicus; ergo gratia habitualis reddit hominem Deo gratum, & amicum.

Q. III. DE GRATIA HABITUALI. A. III. 287

Confirmatur ex Concilio Trid. Sess. 6. cap. 7. quod dicit : Per susceptionem gratiæ , & donorum homo ex injusto fit justus , ex inimico amicus ; ergo gratia reddit hominem Deo amicum.


Prob. 2. pars , quod gratia habitualis efficiat hominem filium Dei adoptivum , & hæredem vitæ æternæ. Rom. 8. ubi Apostolus de gratia Christi dicit : Accepistis spiritum adoptionis , in quo clamamus : Abba Pater ; ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro , quod simus filii Dei , si autem filii , & hæredes , hæredes quidem Dei , cohæredes autem Christi ; ergo efficit hominem filium Dei , & hæredem vitæ æternæ.

Prob. 3. pars , quod gratia habitualis hominem reddat naturæ divinæ , omniumque virtutum supernaturalium participem. 2. Petri 1. 4. dicitur : Per quem maxima , & pretiosissima nobis donavit , ut per hæc divinæ efficiamur consortes naturæ. Et Concilium Trid. Sess. 6. cap. 7. ait : Unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per JESUM CHRISTUM , cui inseritur , fidem , spem , & charitatem. Catech. Concilii Trid. p. 2. de Bapt. c. 38. de gratia ait : Huic additur nobilissimus omnium virtutum comitatus , quæ in animabus cum gratia infunduntur ; ergo gratia habitualis reddit hominem participem naturæ divinæ , & quidem non solum moraliter per aliquam rectitudinem , & conformitatem voluntatis divinæ , & imitationem sanctitatis , bonitatis , & justitiæ Dei in suis operibus , nempe intellectiōnis , & amoris , sed etiam physicè , non quidem essentialiter , sicut filius Dei naturalis , sed accidentaliter per aliquod donum supernaturale , & physicum analogicè , ipsius Dei naturam imitans , & exprimens ; quia sicut natura divina est radix divinarum perfectionum , & principium radicale , ac substantiale divinarum operationum , scilicet intuitivæ suæ visionis , & amoris , sic gratia habitualis est radix perfectionum supernaturalium , & principium radicale accidentale operationum supernaturalium , nempe visionis Dei intuitivæ , ac illius amoris.

Prob. 4. pars , quod gratia habitualis sit participatio ipsius personæ Spiritus Sancti. 1. Cor. 6. 19. Nescitis , quia membra vestra templum sunt Spiritus Sancti , qui in vobis

est, nempe per gratiam, loquitur enim de justis & Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis; ergo gratia etiam est communicatio Spiritus Sancti.*

Prob. 5. pars, quod gratia habitualis etiam tribuat valorem bonis operibus. Valor bonorum operum desumitur à dignitate personæ: atqui gratia habitualis dignificat personam, cui inhæret, quia ex S. Thoma hic q. 113. a. 9. ad 2. *Bonum gratiæ unius majus est, quam bonum naturæ totius universi; quia perfectius participat bonum, ac esse ipsius Dei, quam cæteræ creaturæ; ergo gratia etiam tribuit operibus dignitatem, & valorem.*



A R T I C U L U S I V.

An gratia ex natura sua formaliter, & physicè expellat peccatum, secluso Dei favore, & an absolutâ Dei potentiâ simul cum peccato stare possit?

Prænot. CERTUM est 1.º gratiam peccatum non expellere absque Dei voluntate, sine qua nihil fit, & absque ullo Dei favore, & condonatione; quia eo ipso, quod conferat gratiam, & peccatum dimittit, favorem homini exhibet in actu exercito peccati remissivum; quia licet Christus ex toto rigore justitiæ satisfecerit pro peccatis nostris, nobis tamen ex gratia applicatur Christi satisfactio. Certum est 2.º peccatum veniale simul cum gratia stare; quia veniale Dei amicitiam non tollit. 3.º Certum est, peccatum mortale actuale, & habituale potentiâ ordinariâ non posse stare cum gratia; quia viâ ordinariâ gratia peccatum expellit, sed quæstio tantum est, an præter favorem, quo confert gratiam, specialis adhuc requiratur peccati condonatio, & saltem potentiâ absolutâ possit velle dare gratiam, & non velle peccati remissionem.

C O N C L U S I O.

Gratia habitualis ex natura sua formaliter, & physicè expellit peccatum, hominemque justificat; nec absolutâ Dei potentiâ gratia adæquatè sumpta, & peccatum simul stare possunt.

Q. III. DE GRATIA HABITUALI. A. IV. 289

Prob. 1. pars, quòd gratia habitualis ex natura sua formaliter, ac physicè expellat peccatum. Gratia habitualis ex Scriptura, & SS. Patribus comparatur luci, vitæ, fanitati: atqui lux formaliter physicè, & ex natura sua expellit tenebras, & illuminat, vita repellit mortem, & vivificat, fanitas morbum, & sanat: ergo gratia ex natura sua formaliter, & physicè expellit peccatum, & hominem justificat.

Confirmatur ex Concilio Trid. Sess. 6. c. 7. ubi dicit, gratiam esse unicam causam formalem justificationis nostræ; Can. 4. negat, hominem justificari per favorem extrinsecum: atqui si gratia non expelleret ex natura sua formaliter, & physicè peccatum, sed requireretur favor Dei extrinsecus præter infusionem gratiæ, gratia non esset sola causa formalis justificationis nostræ; quia adhuc requireretur favor Dei extrinsecus & justificaremur per favorem extrinsecum; ergo gratia ex natura sua formaliter, physicè expellit peccatum. Non tamen excluditur favor Dei extrinsecus, quo confert gratiam; quia eo ipso, quòd infundat gratiam, & peccatum dimittat, favorem exhibet, sed tantum dicimus, non requiri specialem, & explicitam condonationem, & favorem præter infusionem, & favorem illius implicitum, & condonationem in collatione gratiæ contentam.

Prob. 2. pars, quòd gratia habitualis adæquatè sumpta absolutâ Dei potentiâ non possit simul stare cum peccato, 1.º ex S. Scriptura. 1. Joan. 3. Qui natus est ex Deo, peccatum non facit; quia semen ipsius in eo manet, & non potest facere peccatum, quoniam ex Deo natus est.

Ex quibus sic argumentor: Si gratia habitualis & peccatum possent absolutâ Dei potentiâ simul stare, qui natus est ex Deo posset peccare, manens ex Deo narum, esse filium Dei, & non esse ex Deo narum, & filium Dei relinquendo, ipsum filium diaboli per peccatum: atqui hoc repugnat textui citato, & illius expositioni SS. Patrum; ergo gratia habitualis & peccatum non possunt simul stare absolutâ Dei potentiâ.

Prob. 2. Gratia habitualis secundum suam essentiam adæquatè sumpta est formaliter justitia hominis, sanctificatio, munditia, & rectitudo, & Deus eam conferendo

vult hominem facere justum, sanctum, rectum; vult enim id quod gratia est formaliter, & peccatum est injustitia, iniquitas, immunditia, & recessum à rectitudine: atqui justitia, & injustitia, sanctitas, & iniquitas, munditia, & immunditia, rectitudo, & difformitas non possunt absolutâ Dei potentiâ esse simul in eodem subjecto, aliâs idem homo simul esset justus, & injustus, sanctus; & iniquus, mundus, & immundus, rectus, & difformis, quod implicat; quia privativa se excludunt; ergo gratia habitualis, & peccatum non possunt simul itare absolutâ Dei potentiâ.

Prob. 3. Ea, quorum effectus formales primarii sunt incompatibiles, non possunt absolutè esse simul: atqui effectus formales gratiæ habitualis, & peccati sunt incompatibiles; ergo nec gratia & peccatum absolutè possunt simul stare. *Prob. min.* Effectus primarii gratiæ habitualis sunt facere hominem consortem naturæ divinæ, filium Dei adoptivum, hæredem vitæ æternæ, Deo gratum, & amicum, e contra effectus formales peccati sunt destruere participationem naturæ divinæ, privare filiatione divinâ, jure hæreditatis vitæ æternæ, Deo reddere exosum, & inimicum, constituere filium diaboli, & dignum æternæ damnationis: atqui hi effectus sunt absolutè incompatibiles; ergo effectus formales gratiæ habitualis, & peccati non possunt simul stare.

Solvuntur objectiones contra primam partem, de expulsionione peccati per gratiam habitualem.

Obj. Gratia est aliquid physicum, & peccatum aliquid morale: atqui quod est physicum non expellit ex natura sua morale; quia ea, quæ opponuntur contrariè, ut se expellant, debent esse sub eodem genere; ergo gratia non expellit ex natura sua, & physicè peccatum.

Resp. dist. maj. Gratia est aliquid physicum, & simul morale, seu spectans ad mores, & peccatum aliquid morale, *con. maj.* Gratia est aliquid physicum non spectans ad mores, *neg. maj. dist. min.* atqui quod est physicum non spectans ad mores non expellit ex natura sua morale, *con. min.* si sit physico morale, *neg. min. & consf.* Unde cum gratia sit aliquod physico-mo-

Q. III. DE GRATIA HABITUALI. A. IV. 291

rale, exigit ex natura sua, ut excludatur injustitia, & peccatum.

Inst. 1. Atqui aliquid physicum etiam spectans ad mores, non expellit aliquid morale, nempe peccatum; ergo &c. *Prob. subs.* Peccatum est aliquid physicum simul, & morale, videlicet physicum quoad actum, & morale quoad malitiam: atqui non physicè expellit gratiam; quia solus Deus est causa illius physica producens, & destruens; ergo nec gratia physicè expellit peccatum.

Resp. dist. min. Atqui peccatum non physicè expellit gratiam, id est, per formam positivam physicè agentem in gratiam, *con. min.* non physicè expellit, id est, ex natura sua, ita ut non amplius physicè remaneat, sed tantum per modum demeriti, *neg. min. & conf.* Iniquitas enim, injustitia, abjectio amicitiae Dei, recessus à Deo, mors animae sunt ex natura sua, & à parte rei destruunt, & expellunt justitiam, sanctitatem, amicitiam Dei, accessum ad Deum, & vitam animae; hæ enim simul repugnant à parte rei, ac physicè in eodem subjecto.

Inst. 2. Saltem pro expulsionem peccati adhuc requiritur Dei favor, ac condonatio; ergo &c. *Prob. subs.* Peccatum debet remitti ab eo, qui offensus est, qui Deus est; ergo præter gratiam requiritur favor Dei, & condonatio.

Resp. dist. ant. Peccatum debet remitti ab eo, qui offensus est explicitè, vel implicitè, *con. ant.* semper explicitè, *neg. ant. & conf.* Deus autem peccatum dimittit, & condonat offensam concedendo gratiam, quâ hominem efficit suum amicum, filium, & naturæ suæ participem.

Inst. 3. Atqui ad remissionem peccati non sufficit favor, & condonatio implicita in infusione gratiæ supposita; ergo &c. *Prob. subs.* Pro justificatione impii, ac remissione peccati plus requiritur, quam pro justificatione non præexistente peccato, ut pro justificatione Adami, & Angelorum in eorum creatione: atqui pro hac requirebatur infusio gratiæ; ergo pro justificatione impii saltem specialis favor, vel condonatio requiritur.

Resp. dist. maj. Pro justificatione impii, ac remissione peccati plus requiritur ex parte effectus; quia gratia simul expellit peccatum, *con. maj.* ex parte ipsius gratiæ, *neg. maj. concessã min. neg. conf.* Etiam si enim gratia non expellat peccatum in justificatione non supposito peccato, vim tamen habet ex natura sua illud expellendi, si in subjecto reperiat peccatum; eo ipso enim, quod Deus infundat gratiam cum voluntate hominem sanctificandi, & in amicum, & filium adoptandi, etiam peccata vult dimittere, & condonare, sine qua condonatione, nec sanctus, nec amicus Dei esset.

Solvuntur objectiones contra secundam partem, de coexistentia gratiæ habitualis & peccati.

Obj. Quæ non pugnant privativè, ut lux & tenebræ, vel contradictoriè, ut ascensus & descensus, sed tantum contrariè, ut calor & frigus, saltem divinitus possunt simul stare, ut in fornace Babylonica: atqui gratia & peccatum non repugnant privativè, nec contradictoriè, sed tantum contrariè; quia peccatum non consistit in privatione gratiæ; in puris enim naturalibus constitutus habuisset privationem gratiæ sine peccato; ergo gratia & peccatum possunt saltem divinitus esse simul in eodem subjecto.

Resp. dist. min. atqui gratia & peccatum non repugnant privativè, nec contradictoriè, sed tantum contrariè præcisè, prout peccatum est privatio gratiæ nudè sumpta, *con. min.* prout peccatum est privatio gratiæ culpabilis simul, & rectitudinis ad Deum, *neg. min. & conf.* Unde peccatum non est quidem formaliter privatio gratiæ quæcunque, sed culpabilis includens deformitatem, & discessum à rectitudine legis æternæ, & rectæ rationis; implicat autem quod simul sit recessus à rectitudine, & sanctitate per peccatum, & accessus ad rectitudinem, & sanctitatem per gratiam, & sicut ascensus & descensus contradictoriè pugnant.

Inst. 1. Atqui gratia & peccatum prout est privatio gratiæ culpabilis, non pugnant privativè, nec contradictoriè; ergo &c. *Prob. subs.* Peccatum saltem actuale est actus, & gratia est habitus: atqui actus, & habitus non privativè, nec contradictoriè pugnant; quia

Q. III. DE GRATIA HABITUALI. A. IV. 293

possunt esse simul in eodem subiecto; ergo nec peccatum saltem actuale, & habitus gratiæ.

Resp. dist. min. Atqui actus, & habitus non privativè, nec contradictoriè pugnant in ratione actus, & habitus, & in eodem genere, *con. min.* non pugnant ex diversis aliis rationibus saltem quoad gratiam, & peccatum actuale, *neg. min. & conf.* Unde quamvis habitus, & actus charitatis non pugnent contradictoriè, nec privativè, sed naturaliter possint esse simul; peccatum verò actuale, & gratia habitualis non sunt in eodem genere, & diversas rationes essentialiter, ac privativè repugnantes involvunt, videlicet sanctitatem & iniquitatem, vitam & mortem, justitiam & injustitiam, rectitudinem & recessum à rectitudine, participationem, & privationem naturæ divinæ, esse amicum & inimicum Dèi, quæ omnia in eodem subiecto secundum idem privativè, & contradictoriè pugnant, & istæ rationes non sequuntur peccatum, prout actus est, sed quia est recessus à Deo, & rectitudine essentiali.

Inst. 2. Atqui gratia, & peccatum non repugnant privativè, vel contradictoriè sub aliis rationibus allegatis; ergo &c. *Prob. subsf.* Ut sit vera oppositio, debet esse in eodem, secundum idem, & non repugnat, quòd aliquis sub uno respectu sit justus, & sub alio injustus, sic potest aliquis esse justus erga proximum nullam ipsi inferendo injuriam, & injustus erga Deum: atqui gratia, ut communiter docetur est in anima; dat enim esse supernaturale, non verò operari, & peccatum in voluntate; quia per illam committitur; ergo peccatum & gratia non verè pugnant.

Resp. 1.º In multorum sententia anima, & illius potentia, uti est voluntas, non distinguuntur realiter. *2.º* In aliorum sententia, *dist. min.* atqui gratia est in anima, & peccatum in voluntate, ita, ut totum hominem afficiunt, & totum justum, vel iniquum efficiant, *con. min.* ita, ut gratia solam animam, & peccatum solam voluntatem afficiat, *neg. min. & conf.* Unde quamvis gratia primariò sanctificet animam, simul tamen etiam sanctificat voluntatem, & eam ad actus supernaturales præparat, sic etiam peccatum, quamvis pri-

mariò voluntatem pervertat, totum tamen hominem injustum, & inimicum facit; quia personale est, & totum hominem maculat. Unde omnino contradic-toriè repugnat totum hominem esse justum, & totum esse injustum, totum sanctum, & totum iniquum, rectum, & non rectum.

Inst. 3. Atqui peccatum non necessario totum hominem afficit, ita, ut Deus absolutà suâ potentiâ non possit conservare in eodem homine gratiam, & peccatum; ergo &c. *Prob. subs.* Gratia, sicut à Deo est producta, non potest desinere, nisi Deus subtrahat suum concursum conservativum: atqui etiamsi homo peccet, Deus posset conservare absolutè suum concursum conservativum, & potest illum non subtrahere; à nemine enim potest necessitari ad auferendam gratiam; ergo potest absolutà suâ potentiâ simul in eodem homine conservare gratiam, & peccatum.

Resp. dist. rationem min. Deus à nemine potest necessitari ad auferendum concursum absolutè non suppositâ permissione peccati, *con. rationem min.* ex suppositione, quòd Deus peccatum permittat, *neg. rat. min. & conf.* Non potest quidem Deus absolutè necessitari ad auferendam gratiam; quia potest impedire, ne peccatum committatur: ex suppositione tamen, quòd velit permittere peccatum, & hominem fieri injustum & à rectitudine, & à se aversum, non potest simul velle, quòd maneat simul justus, rectus, & ad se conversus; quia non potest idem velle, & non velle.

Inst. 4. Atqui etiam supposito peccato potest velle, & conservare absolutè gratiam, & nolle esse justum, sanctum &c.; ergo &c. *Prob. subs.* Quando forma habet plures effectus formales, Deus potest communicato effectu primario impedire alios secundarios, ut communiter docetur, & patet in Eucharistia, ubi in corpore Christi conservat formam quantitatis sine aliis effectibus extensionis, divisibilitatis, impenetrabilitatis, sic in igne fornacis Babylonicæ conservavit formam ignis sine calore: atqui effectus primarius est communicatio formæ gratiæ, & facere hominem justum, sanctum &c. sunt effectus secundarii; ergo potest communicare gratiam.

Resp. dist. maj. Quando aliqua forma habet plures effectus formales, Deus potest communicato primario, impedire alios secundarios, si sint realiter distincti à primario, *con. maj.* si non sint realiter distincti, *neg. maj. dist. min.* atqui communicatio formæ gratiæ est effectus primarius, & facere hominem justum, sanctum sunt secundarii indistincti ab ipsa forma, *con. min. distincti, neg. min. & conf.* Forma gratiæ autem non distinguitur realiter à justitia, sanctitate, rectitudine, sed est realiter ipsa justitia, sanctitas, rectitudo ad Deum, ac proinde Deus non potest velle communicare formam gratiæ, quin simul velit communicare sanctitatem, justitiam, rectitudinem, aliosque effectus, qui sunt ipsa communicatio ejusdem formæ.



ARTICULUS V.

An & qualis pro justificatione requiratur præparatio?

Pranot. 1. **D**ISPOSITIO in adulto ad justificationem duplex est; in parvulis enim nulla requiritur, videlicet intellectûs, & voluntatis. Dispositio intellectûs fit per fidem juxta Concilium Trid. Sess. 6. cap. 6. Dispositio verò voluntatis fit juxta idem Concilium Sess. 6. cap. 6. divinæ justitiæ timore, spe veniæ, dilectione, pœnitentiâ, & proposito novæ vitæ inchoandæ, & mandata Dei observandi, quæ apud omnes orthodoxos de Fide certa sunt.

2. Distinguunt nostri temporis hæretici Lutherani, & Calvinistæ fidem, nempe *primam* vocant historicam, seu melius dogmaticam, quâ omnia credimus, quæ in sacris paginis continentur. *Secundam* miraculorum, quâ fiunt miracula, & quâ credimus nihil esse, quod à Deo fieri non possit. *Tertiam* promissionum, quâ credimus, veras esse Dei promissiones, & hanc esse duplicem, generalem, quâ in commune credimus, Deum omnibus credentibus promississe remissionem peccatorum, & salutem, & particularem, quâ unusquisque credit, & certò confidit, peccata sibi esse remissa propter merita Christi. Hanc cum fiducia, & spe, quæ ad volunta-

tem spectant, confundunt, & triplicem hanc fidem in triplicem virtutem distinguunt.

3. Error est *primus* Manichæorum, negantium, omnem fidei supernaturalis necessitatem. *Secundus* est à Simone Mago, teste S. Augustino Lib. de fide & operibus c. 14. exortus, & à Luthero & Calvino resuscitatus, qui dicunt 1.º fidem ad justificationem requisitam esse fidem promissionum specialem, quâ unusquisque credit, peccata sibi per merita Christi esse remissa, quàm Lutherus, ut firmam fiduciam in voluntate reponit, & Calvinus in intellectu collocat. 2.º Solam fidem promissionum ad justificationem disponere, & solam sufficere, quamvis aliqui bona opera requirant, ut signa veræ fidei.

CONCLUSIO.

In homine adulto, qui sui est compos, requiritur ad justificationem per gratiam habitualement aliquam dispositio, quæ ex parte intellectus est fides dogmatica, quâ non solum promissa, sed omnia alia à Deo revelata propter illius auctoritatem, ac veracitatem credimus; quæ tamen non sola sufficit, sed etiam ordinariè concurrunt ex parte voluntatis timor Domini, & requiritur spes veniæ, dilectio Dei, pœnitentia, propositum novæ vitæ, & observandi omnia Dei mandata.

Prob. 1. pars, quòd in homine adulto requiratur ad justificationem aliqua præparatio, ex S. Scriptura. 1. Reg. cap. 7. 3. Præparate corda vestra Domino. Zach. 1. Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, & convertar ad vos; ergo requiritur aliqua præparatio.

Prob. 2. ex Concilio Trid. dicente Can. 9. Si quis dixerit, solâ fide impium justificari, ita, ut intelligat, nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, & nulla ex parte necesse esse, eum suæ voluntatis motu præparari, atque disponi, anathema sit; ergo etiam ex Concilio Trid. requiritur aliqua præparatio, quæ est motus liberi arbitrii in Deum.

Prob. 3. ex SS. Patribus. S. Augustinus serm. 15. de verbis Apostoli dicit: Qui fecit te sine te, non te justificat sine te; fecit nescientem, justificat volentem. S. Bernardus Lib. de grat. & lib. arb. cap. 1. Tolle liberum

arbitrium, non erit, quod salvetur : tolle gratiam, non erit, unde salvetur ; ergo requiritur aliqua præparatio per motum liberi arbitrii.

Prob. 4. ratione juxta S. Thomam. Forma completa, & perfecta non introducitur sine dispositione : atqui gratia habitualis est forma perfectissima & nobilissima ; ergo non introducitur in animam hominis, nisi per præviã dispositionem. Ad gratiam autem actualem prævenientem nullam prærequiri dispositionem dictum est alibi.

Prob. 2. pars, quòd requiratur ex parte intellectus fides dogmatica. Apostolus ad Heb. 11. Sine fide impossibile est placere Deo ; credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit. Rom. 10. Hoc est verbum fidei, quod prædicamus ; quia si confitearis in ore tuo Dominum JESUM, & in corde credideris, quòd Deus illum resuscitavit à mortuis, salvus eris.

Ex quibus sic argumentor : Illa dispositio requiritur ad justificationem, sine qua impossibile est placere Deo, & quã oportet ad Deum accedere, ut salvi esse possimus : atqui sine fide impossibile est placere Deo, & accedentem ad Deum credere oportet non solum promissa, sed quia est, & in Jesum Christum, & illius mortem, & resurrectionem, ut salvi esse possimus, ut patet ex verbis Apostoli ad Heb. & Rom. 10 ; ergo ex parte intellectus requiritur fides, quã non solum promissa, sed alia à Deo revelata credimus.

Prob. 2. eadem 2. pars ex Concilio Trid. quod Sess. 6. cap. 6. dicit : Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divinã gratiã, & adjuti fidem ex auditu concipientes liberè moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata, & promissa sunt : atqui non sola promissa, sed etiam alia mysteria, & in Scriptura contenta revelata sunt ; ergo disponuntur non per solam fidem promissionum, sed etiam per fidem aliorum, quæ à Deo revelata sunt.

Confirmatur ex eodem Concilio Trid. quod dicit Sess. 6. Can. 12. Si quis dixerit, fidem justificantem nihil esse, quàm fiduciam divinæ misericordiæ peccata remittentes propter Christum . . . anathema sit. Unde sic argumentor : Si fiducia divinæ misericordiæ non sit fides justifi-

ficans, non disponit ad justificationem, sed requiritur fides etiam aliorum revelatorum: atqui ex Concilio Trid. fiducia divinæ misericordiæ non est fides justificans; ergo nec disponit ad justitiam, sed requiritur fides etiam aliorum revelatorum.

Prob. 3. ex SS. Patribus. S. Augustinus Lib. de pecc. orig. c. 24. Sine fide Incarnationis, & Mortis, & Resurrectionis Christi nec antiquos justos, ut justii essent, à peccatis potuisse mundari, & Dei gratia justificari, veritas christiana non dubitat. Et S. Leo ferm. 4. de Epiph. ait: Hoc est, quod justificat impios . . . si in uno, eodemque Domino nostro Jesu Christo, & vera Deitas, & vera credatur Humanitas: atqui fides, quâ creditur Incarnatio, Mors, & Resurrectio Christi, Deitas, & Humanitas, non est tantum fides promissionum, sed etiam aliorum revelatorum; ergo non sola fides promissionum, sed etiam aliorum revelatorum disponit ad justificationem.

Prob. 4. ratione. Dispositio ad justificationem debet antecedere, & non sequi ad justificationem: atqui fides, quâ credimus peccata nobis ex meritis Christi esse remissa, non antecedit justificationem, aliàs esset falsa, sed illam sequitur, & supponit peccata esse remissa credere; ergo fides promissionum particularis, qua credimus, peccata nobis esse remissa, non est dispositio ad justificationem.

Prob. 3. pars, quòd sola fides non sufficiat, 1.º ex S. Scriptura. Jacob. 2. 24. ait: Ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantum. Et v. 26. Fides sine operibus mortua est. S. Paulus 1. Cor. 3. dicit: Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et Rom. 2. Non auditores legis justificati sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur. Et Gal. 5. requirit fidem, quæ per charitatem operatur.

Ex quibus sic argumentor: Sola fides ad justificationem non sufficit, si operibus justificatur homo, & non ex fide tantum, & fides sine operibus mortua, & nihil sit, & opera ad salutem requirantur, ut observatio legis, dilectio: atqui ex Apostolo Jacobo ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantum, & fides sine operibus mortua est, & juxta divum Paulum nihil est, & legis observatio, & fides, quæ per chari-

tatem operatur, requiritur ad salutem; ergo sola fides non sufficit ad justificationem.

Prob. 2. ex Concilio Trid. Sess. 6. Can. 9. suprâ citato: Si quis dixerit, solâ fide impium justificari, ita, ut intelligat, nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam operetur, & nulla ex parte necesse esse eum suâ voluntatis motu præparari, atque disponi, anathema sit; ergo ex Concilio Trid. sola fides non sufficit ad justificationem.

Prob. 3. ex SS. Patribus. S. Chrysostomus hom. 7. in Matth. dicit: Ne fideles solâ fide se salvari posse, confidant. S. Ambrosius in cap. 4. ad Hebr. Sola fides non sufficit, operari fidem per dilectionem necessarium est, & conversari dignè Deo. Et S. Augustinus serm. 6. cap. 6. de verbis Apost. à fide incipit homo, sed quia dæmones credunt, & contremiscunt, necesse est addere spem, & charitatem.

Ex quibus sic argumentor: Sola fides non sufficit ad justificationem, si homo solâ fide non possit salvari, sed requiratur ut per dilectionem operetur, & dignè Deo conversetur, & addere debeat spem, & charitatem: atqui ex S. Chrysostomo homo solâ fide non potest salvari, sed juxta S. Ambrosium debet per dilectionem operari, & dignè Deo conversari, & juxta S. Augustinum addere spem, & charitatem; ergo sola fides non sufficit ad justificationem.

Prob. 4. ratione theologicâ. Si sola fides sufficeret ad justificationem, & salutem, fures, avari, ebriosi, & alii mandata Dei transgredientes, imò dæmones possent salvari, quia credunt & contremiscunt, teste Apostolo: atqui idem Apostolus 1. ad Cor. 6. dicit: Neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt; ergo sola fides non sufficit ad justificationem & salutem.

Prob. 4. pars, quòd præter dispositionem intellectûs per fidem requiratur etiam dispositio ex parte voluntatis per voluntatis actus. Illa requiritur ad justificationem dispositio, quam S. Scriptura, Concilia, & SS. Patres exigunt: atqui præter dispositionem intellectûs per fidem S. Scriptura exigit pium voluntatis motum, nempe S. timorem Domini Eccles. 1.º Timor Domini expellit pec-

catum, nam qui sine timore est, non poterit justificari. 2.^o Spem, Prov. 28. Qui sperat in Domino sanabitur. Rom. 8. Spe salvi facti sumus. 3.^o Actus dilectionis, 1. Joan. 3. Qui non diligit, manet in morte. 4.^o Pœnitentiam, seu actus contritionis, Luc. 15. Si pœnitentiam non habueritis, omnes similiter peribitis. 5.^o Propositum novæ vitæ. Eph. 4. Deponite veterem hominem, renovamini autem spiritu mentis vestræ, & induite novum, qui secundum Deum creatus est in justitia, & sanctificatione, & servanda omnia mandata Dei, Matth. c. 19. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Et eisdem actus requirit Concilium Trid. Sess. 6. cap. 6. & SS. Patres; ergo præter fidem alia requiritur dispositio voluntatis per actus illius.

Nota. Quamvis omnes prædicti actus voluntatis ad justificationem adulti ordinariè concurrant, non tamen eadem necessitate, & modo requiruntur ad justificationem. Nam 1.^o timor Domini utilis, non verò necessarius à Concilio Trid. dicitur; quia peccator subito per charitatem, vel contritionem perfectam motus justificari potest sine reflexione ad damnum, & pœnam. Alii verò quatuor actus sunt explicitè, vel implicitè necessarij, nempe actus fidei, & spei formalis, & explicitus in eo, qui in peccatum infidelitatis, vel desperationis prolapsus est; quia cum talis habitum fidei, vel spei amiserit, necesse est, ut eundem credendo, vel sperando recuperet, idque probat usus Ecclesiæ. In aliis autem virtualis sufficit in actu charitatis, vel contritionis inclusus, qui sine fide in Deum & spe saltem in actu exercito debitè fieri nequeunt. 2.^o Actus perfectus dilectionis extra Sacramentum requiritur in actu formali, & explicito cum voto Sacramenti; quia cum sit perfectissimus, in nullo alio includi potest, & in Sacramento saltem initialis. 3.^o Contritio & propositum in Sacramento requiruntur in actu explicito, & formali, quia partes sunt Sacramenti, & extra Sacramentum sufficit contritio virtualis, & propositum implicitum in dilectionis actu perfecto inclusum, si nimirum nullius peccati mortalis recorderetur, si autem se moraliter peccasse recorderetur, formalis, & explicita requireretur contritio, & propositum; quia sine illis non esset perfecta dilectio.

Q. III. DE GRATIA HABITUALI. A. V. 301

Solvuntur objectiones contra primam partem, de præparatione in communi ad gratiam habitualem.

Obj. Agens infinitæ perfectionis, & virtutis nullam ad agendum requirit dispositionem : atqui Deus, qui est causa gratiæ, est infinitæ virtutis; ergo non requirit in nobis dispositionem.

Resp. dist. maj. Agens infinitæ virtutis non requirit ad agendum dispositionem ex aliqua indigentia, *con. maj.* non requirit aliquam dispositionem secundum communem providentiæ cursum ab ipso ita institutum, *neg. maj. concessã min. neg. conf.* Unde Deus non requirit dispositionem in nobis ad gratiam; quia posset absolurã suã potentiã conferre gratiam sine dispositione v. g. dormienti, sed quia ita ordinavit pro ipsius gloria, & nostra utilitate.

Inst. 1. Atqui causa infinitæ virtutis non requirit dispositionem ad infusionem gratiæ secundum communem providentiæ cursum; ergo &c. *Prob. subs.* Si requireretur aliqua dispositio, ideo esset, quia ad omnem formam perfectam introducendam requiritur aliqua dispositio: atqui non ad omnem formam perfectam, etiam ad gratiam introducendam, requiritur aliqua dispositio, aliàs etiam requireretur in parvulis, & ratione carentibus: atqui in his nulla requiritur dispositio; quia gratia illis in Baptismo confertur sine dispositione; ergo non ad omnem formam, & singulariter ad gratiam introducendam aliqua requiritur dispositio.

Resp. dist. min. Atqui in parvulis nulla requiritur dispositio liberi arbitrii, *con. min.* nulla requiritur dispositio per Sacramentum, *neg. min. & conf.* Unde quamvis parvuli, & ratione carentes per Baptismum gratiam recipiant sine motu liberi arbitrii eos præparante; disponuntur tamen ad gratiam per applicationem ipsius Sacramenti; & per cæremonias, & preces Ecclesiæ.

Inst. 2. Atqui neque in adultis requiritur aliqua præparatio per motum quemdam liberi arbitrii; ergo &c. *Prob. subs.* Si requireretur aliqua præparatio per motum liberi arbitrii, Deus expectaret nostram voluntatem ad conferendam justificationis gratiam: atqui Deus non expectat nostram voluntatem, ut indicat Conci-

lium Arausicanum II. dicens : *Ut à peccato purgemur, Deus voluntatem nostram non expectat*; ergo in adultis nulla requiritur præparatio ad justificationis gratiam.

Resp. dist. min. Atqui Deus non expectat nostram voluntatem se viribus naturæ præparantem ad gratiam prævenientem, *conc. minor.* non expectat nostram voluntatem cum gratia præveniente, & excitante se præparantem, *neg. min. & conf.* Unde Concilium Arausicanum tantum vult dicere, Deum non expectare nostram voluntatem per aliquem boni conatum ad conferendam gratiam prævenientem in sensu Semipelagianorum, ut à peccato purgemur; bene autem cum gratia actuali cooperantem, exhortamur enim à S. Scriptura ad talem cum gratia præveniente præparationem, ut patet in nostris probationibus.

Solvuntur objectiones contra secundam partem, de fide dogmatica requisita ad gratiam habitualem.

Obj. Saltem non requiritur fides dogmatica pro dispositione ad gratiam; ergo &c. *Prob. ant.* Ea fides requiritur ad remissionem peccatorum, & justificationem quam Christus requirit: atqui Christus non requirit fidem dogmaticam, sed tantum promissionum, & fiduciam, quâ credimus, peccata nobis esse remissa Matth. 19. dicens paralitico: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*, & mulieri sanguinis fluxum patienti: *Confide filia, fides tua te salvam fecit*; illa fides autem mulieris erat fides specialis, & fiduciæ: dicebat enim intra se: si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero; ergo non requiritur fides dogmatica.

Resp. dist. min. Atqui Christus non requirit fidem dogmaticam à paralitico, & muliere, sed fiduciam tanquam conditionem, & præparationem unicam, & necessariam pro remissione peccatorum, *neg. min.* requirit fiduciam tanquam effectum remissionis jam concessæ, *con. min. & neg. conf.* Christus à paralitico, & muliere non requirebat fiduciam pro remissione peccatorum, sed ipsis remissionem peccatorum declarat, ut fiduciam conciperent.

Inst. 1. Atqui fides promissionum sufficit ad justificationem; ergo &c. *Prob. subs.* Apostolus Paulus Act. 13.

Q. III. DE GRATIA HABITUALI. A. V. 303

ait : *In hoc omnis, qui credit, justificatur* : atqui fides promissionum est fides vera; ergo sufficit ad justificationem.

Resp. dist. maj. In hoc omnis, qui credit, prout oportet, justificatur, *con. maj.* omnis, qui credit, peccata sibi esse remissa, justificatur, *neg. maj.* atqui fides promissionum generalis, quâ omnia simul revelata creduntur, est vera, *con. min.* fides promissionum specialis est vera, *neg. min. & conf.* Fides verò debet esse generalis, & se saltem implicite extendere ad omnia à Deo revelata; particularis verò, quâ aliquis credit, peccata sibi esse remissa, sæpe falsa est ex defectu debitæ dispositionis.

Inst. 2. Atqui fides requisita ad justificationem est fiducia, & pertinens ad voluntatem; ergo &c. *Prob. subs.* Juxta Apostolum ad Hebr. II. fides est sperandarum substantia rerum : atqui res sperandæ pertinent ad voluntatem; ergo & fides circa illas, specificatur enim ab objecto.

Resp. dist. min. Res sperandæ pertinent ad voluntatem, prout appetuntur, *con. min.* prout promissa creduntur, *neg. min. & conf.* Apostolus in loco citato loquitur de fide, quæ pertinet ad intellectum, & prout est argumentum rerum non apparentium. Deinde fiduciam sumptam pro spe requiri ad justificationem non negamus, sed asserimus simul requiri fidem, quâ credimus omnia à Deo revelata.

Solvuntur objectiones contra tertiam & quartam partem, de sola fide & exclusionem bonorum operum.

Obj. Sacra Scriptura in plurimis locis adscribit justificationem soli fidei, sic dicitur Rom. 4. *Ei verò, qui non operatur, credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam*; ergo sola fides sufficit ad salutem.

Resp. dist. ant. S. Scriptura in plurimis locis adscribit justificationem soli fidei cum exclusionem aliorum bonorum operum, *neg. ant.* sine exclusionem aliorum bonorum operum, *con. ant. & neg. conf.* Quamvis enim in loco citato, ac aliis Scriptura de sola fide faciat mentionem, quia est humanæ salutis initium, & funda-

mentum, & radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, ut loquitur Concilium Trid. Sess. 6. cap. 8. non tamen excludit alia bona opera, sed illa expressè aliis in locis requirit. Sic dicitur Jac. 2. 14. *Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? nunquid poterit fides salvare eum?*

Inst. 1. Atqui Scriptura solam fidem requirit ad justificationem cum exclusione aliorum bonorum operum; ergo &c. *Prob. subs.* Apostolus Paulus Rom. 3. dicit: *Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus legis; ergo fides justificat sola cum exclusione aliorum bonorum operum.*

Resp. dist. min. Justificamus per fidem sine operibus Legis antiquæ, *con. ant.* sine operibus Legis evangelicæ, *neg. ant. dist. conf.* Ergo fides justificat sola cum exclusione aliorum operum sine fide, & gratia factorum, *con. conf.* cum exclusione operum ex fide, & gratia actuali, & præveniente factorum, *neg. conf.* Apostolus excludit in citato loco tantum opera sine gratia & dona fidei facta, quæ non sufficiunt ad justificationem; unde ait S. Augustinus Lib. de grat. & lib. arb. c. 7. *Homines non intelligentes, quod ait ipse Apostolus Paulus, arbitramur hominem justificari per fidem sine operibus legis, putaverunt eum dicere, sufficere homini fidem, etiamsi male vivat, & bona opera non habeat; quod absit, ut sentiret vas electionis.*

Inst. 2. Atqui ex Apostolo sola fides justificat cum exclusione bonorum operum ex fide, & gratia factorum; ergo &c. *Prob. sub.* Opera legis non fiunt sine gratia & fide; quia lex integra sine gratia non potest observari præcipuè supernaturalis, & charitatis: atqui Apostolus expressè in eodem textu Rom. 3. dicit, hominem justificari sine operibus legis, & Abraham Rom. 4. non fuit justificatus ex operibus, quæ tamen erant facta cum fide, & gratia; quia credidit Deo, & erat justus; ergo sola fides justificat cum exclusione bonorum operum ex fide, & gratia factorum.

Resp. dist. maj. Opera legis non possunt fieri meritorie sine gratia, *con. maj.* non meritorie saltem aliqua, *neg. maj. dist. min.* atqui Apostolus expressè dicit, hominem justificari sine operibus Legis antiquæ, *con. min.*

Q. III. DE GRATIA HABITUALI. A.V. 305

min. sine operibus novæ Legis tunc temporis obligantis, neg. min. & conf. Apostolus namque in loco citato loquitur de Lege Mosaica per fidem in Christum abrogata, & declarat justitiam nostram in Lege nova esse per fidem Jesu Christi in omnes, & super omnes, qui credunt in eum, perficiendo opera fidei ab ipso præscripta, uti est, nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.

Inst. 3. Atqui Apostolus in citato loco excludit bona opera fidei, & ex gratia facta; ergo &c. *Prob. subs.* In eodem cap. ait: *Justificati gratis per gratiam ipsius*: atqui si requirerentur bona opera, non essemus justificati gratis, sed ex operibus; ergo etiam Apostolus excludit opera gratiæ.

Resp. dist. maj. Idem Apostolus dicit, justificati gratis per gratiam ipsius, nempe redemptionis, quæ est in Christo Jesu, ut ibidem dicit, id est, redempti sumus gratis sine bonis operibus nostris, *con. maj.* justificati gratis transeundo de morte ad vitam sine operibus gratiæ, *neg. maj. dist. min.* atqui si requirerentur bona opera, non essemus justificati gratis, id est, redempti sine nostro merito, *neg. min.* non essemus justificati gratis, id est, in gratiam recepti sine nostra dispositione per bona opera, *con. min. & neg. conf.* S. Apostolus vult tantum dicere, quod Lex Mosaica non justificet; cum in illa Lege multi fuerint peccatores, nec per illius opera simus redempti, & ad gratiam vocati, sed gratis Judæus, & Græcus, ut patet ex toto illius capite.

Inst. 4. Atqui non solum redempti, sed etiam gratis salvati sumus per solam fidem sine operibus gratiæ; ergo &c. *Prob. subs.* Ad Ephes. cap. 2. expressè ait: *Gratiâ enim salvati estis per fidem, & hoc non ex vobis; Dei enim donum est, non ex operibus*: atqui in hoc textu supponit fidem, & gratiam, & illis solis adscribit salutem, & excludit opera; ergo per solam fidem, & gratiam justificati sumus sine operibus gratiæ.

Resp. dist. min. Atqui in textu citato supponit fidem, & gratiam, & illis solis adscribit salutem radicaliter, *con. min.* illis solis salutem adscribit completè, & adæquatè sine nostra cooperatione, *neg. min. & conf.* Apo-

stolus in hoc loco vult tantum indicare, salutem nostram non incipere, & fundari in Lege, sed in gratia & meritis Christi, & non ex operibus nostris merè naturalibus, vel Legis materialiter sumptis, *ut ne quis gloriatur, ipse enim sumus factura creati in Jesu Christo in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus*; ergo non excludit, sed requirit bona opera in Christo fundata, & ab ipso per gratiam præparata, in quibus debemus ambulare.

Inst. 5. Atqui salus completè, & adæquatè potest obtineri sine operibus nostris; ergo &c. *Prob. subf. SS. Patres solam fidem ad salutem requirunt, sic dicit expressè S. Hilarius in cap. 8. Matth. Fides enim sola justificat.* S. Chryostomus hom. de fide & leg. nat. ait: *Vivum esse fidelem sine operibus*; & de latrone ibidem dicit: *Latro autem credidit tantum, ac justificatus est.* Et S. Ambrosius in cap. 4. Rom. beatos dicit de quibus hoc sanxit Deus, ut sine labore, & aliqua observatione sola fide justificentur apud Deum; ergo salus completè, & adæquatè potest obtineri sine operibus.

Resp. dist. ant. SS. Patres solam fidem ad salutem requirunt vivam, quæ per charitatem operatur, ut ait Apostolus Gal. 5. *con. ant.* solam fidem sine ullis operibus in Scriptura requisitis, *neg. ant. & conf.* Unde SS. Patres aliquando soli fidei justificationem, ac salutem adscribunt tanquam radici, & initium nostræ salutis, vel loquuntur cum Apostolo de fide, quæ per charitatem operatur, & conjuncta est cum bonis operibus, vel sumunt fidem pro operibus factis ex fide, ut dicit S. Augustinus Lib. de fide, & operibus cap. 14: *Qui credit Deo, debet facere, quod præcepit, & qui propterea facit, quia præcipit Deus, necesse est, ut credat Deo*; & quando excludunt bona opera, intelligunt merè naturalia sine gratia, & non debito modo facta, vel merè externa, vel cæremonialia Legis Mosaicæ in nova abrogata; vel loquuntur de parvulis; quod autem latro in cruce bona opera habuerit, patet ex illis verbis, quibus se poenitentem, & reum profitetur, & Christum orat, ut cum ipso sit in paradiso. Et S. Hilarius solam fidem requirit cum exclusione cæremoniarum legalium.

ARTICULUS VI.

An se præparanti cum auxilio gratiæ actualis gratia habitualis infallibiliter infundatur; & an in omnibus sit æqualis, & amitti possit?

Prænot. **E**RRORES circa proprietates gratiæ sanctificantis sunt 1.º Joviniani, dicentis, gratiam habitualem æqualem esse in omnibus, quem secuti sunt Lutherus, & Calvinus. 2.º Calvini insuper asserentis, gratiam semel adeptam per nullum peccatum posse amitti.

CONCLUSIO.

Homini se debite præparanti cum auxilio gratiæ actualis infallibiliter gratia sanctificans à Deo infunditur: quæ tamen non est in omnibus æqualis: sed pro ratione dispositionis potest augeri, & amitti.

Prob. 1. pars, quòd homini se debite præparanti infallibiliter datur gratia justificans. Ezech. 18. 21. Si autem impius egerit pœnitentiam . . . vitâ vivet . . . omnium iniquitatum ejus . . . non recordabor. Ex quo sic argumentor: Quod Deus promittit, infallibiliter facit & dat: atqui Deus promittit pœnitenti, ut oportet, condonare peccatum, quod fit per infusionem gratiæ; ergo homini se debite præparanti infallibiliter Deus dat gratiam.

Prob. 2. pars, quòd non datur omnibus gratia habitualis æqualis, 1.º ex S. Scriptura. 2. Pet. 3. Crescite in justitia, & Apoc. ult. Qui justus est, justificetur adhuc. Ex quibus sic argumentor: Si justitia possit crescere, & augeri, non est in omnibus æqualis: atqui crescit & augetur juxta textus citatos; ergo non est æqualis in omnibus.

Prob. 2. ex Concilio Trid. Sess. 6. c. 7. quod dicit: Justitiam in nobis recipientes unusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis, prout vult, & secundum propriam cujusque dispositionem, & cooperationem. Et Apostolus ad Ephes. 4. 7. Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi; ergo gratia habitualis non datur omnibus æqualis.

Dices : Si gratia posset augeri, fieret ex meritis : atqui Apostolus dicit : *si ex meritis, jam non est gratia* ; ergo non potest augeri.

Resp. dist. min. Si ex meritis naturæ, jam non est gratia, *con. min.* si ex meritis gratiæ, jam non est gratia, *neg. min. & conf.* Augmentum gratiæ est vera gratia ; quia principium meriti est gratia actualis præveniens.

Prob. 3. pars, quòd gratia possit amitti. Ezech. 18. *Cùm enim averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem, morietur in eis. In injustitia, quam operatus est, morietur.* Ex quo sic argumentor : Si justus potest mori in injustitia, potest amittere justitiam, quia non potest simul esse justus, & injustus : atqui justus, qui fecerit iniquitatem, morietur in injustitia ; ergo potest amittere justitiam.

Prob. 2. ex Concilio Tridentino, quod Sess. 6. Can. 23. dicit : *Si quis hominem semel justificatum dixerit, amplius peccare non posse, neque gratiam amittere : atque adeo eum, qui labitur, & peccat, nunquam verè justificatum fuisse, anathema sit* ; ergo ex Concilio Tridentino gratia amitti potest.

Prob. 3. ratione. Si justificatus non posset amittere gratiam, posset sine metu, & tremore suam salutem operari, & liberè peccare sine periculo damnationis : atqui hoc repugnat rationi, ac verbis Apostoli ad Phil. 2. dicentis : *Cum metu & tremore salutem vestram operamini* ; ergo homo justificatus potest amittere gratiam.

Solvuntur objectiones contra tertiam partem, de amissione gratiæ.

Obj. Justitia, & gratia non amittitur, nisi per peccatum, & quidem mortale : atqui homo justificatus non potest peccare ; ergo nec amittere gratiam. *Prob. min. 1.* Joan. 3. *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, nec peccare potest ; quia ex Deo natus est* : atqui justus ex Deo natus est ; ergo peccare non potest.

Resp. dist. maj. Qui natus est ex Deo, peccatum non facit, nec peccare potest manens justus, & natus

Q. III. DE GRATIA HABITUALI. A. VI. 309

ex Deo, *con. maj.* non peccat, nec peccare potest derelinquendo justitiam, *neg. maj. concessã min. dist. conf.* ergo justus non peccat manens justus, *con. conf.* non peccat derelinquendo justitiam, *neg. conf.* Unde S. Apostolus vult tantum dicere, omnem, qui ex Deo natus est, quamdiu semen justitiæ in se retinet, manendo filius Dei adoptivus, non peccare, prout indicat S. Augustinus Lib. de grat. Christi cap. 21. dicens: *Charitas, secundum quam ex Deo natus est, non agit perperam, nec cogitat malum: cum ergo peccat homo, non secundum charitatem, sed secundum cupiditatem peccat secundum quam non est natus ex Deo.*

Inst. 1. Atqui justus non peccat derelinquendo justitiam; ergo &c. *Prob. subs.* Si homo justus peccaret derelinquendo justitiam, charitas aliquando excideret; sed Apostolus 1. Cor. 13. dicit: *Charitas nunquam excidit*; ergo justus non peccat derelinquendo justitiam.

Resp. dist. min. Charitas nunquam excidit in patria; sed ibidem manet, *con. min.* nunquam excidit hic in via, *neg. min. & conf.* Apostolus vult tantum dicere, habitus fidei, spei, prophetiæ, & donum linguarum cessare aliquando, nempe in patria, charitatem autem non cessare, sed permanere in patria. Quod autem derelinqui possit charitas in hac vita, clarè indicatur Apoc. 2. ubi S. Joannes Episcopo Ephesino exprobrat, dicens: *Habes adversum te, quod charitatem tuam primam reliquisti.*

Inst. 2. Atqui charitas nunquam excidit in hac vita; ergo &c. *Prob. subs.* Charitas nunquam excidit in hac vita, si non possit extingui in hac vita: atqui non potest extingui, prout indicatur Cant. 8. *Aque multe non potuerunt extinguiere charitatem*; & Apostolus Paulus dicit: *Quis nos separabit à charitate Dei*; ergo charitas in hac vita non potest extingui.


Resp. dist. min. Atqui charitas non potest extingui in hac vita nobis non consentientibus, *con. min.* non potest extingui absolute, *neg. min. & conf.* Unde in iis, qui fortes sunt in charitate, bene radicati, uti SS. Apostoli, & Martyres, charitas non potuit extingui aquis multis tribulationum; in iis verò, de quibus Christus loquitur Luc. 8. qui ad tempus credunt, & in

die tentationis recedunt, charitas ipsis consentientibus facile extinguitur.

Inst. 3. Atqui charitas non potest extinguere etiam nobis consentientibus; ergo &c. *Prob. subs.* S. Augustinus ad Julianum dicit: *Charitas, quæ deleri potest, nunquam vera fuit.* Et S. Hieronymus Ep. 41. ad Ruffinum dicit: *Amicitia, quæ desinere potest, vera nunquam fuit;* ergo charitas vera non potest extinguere etiam nobis consentientibus.

Resp. 1. Verba citata esse S. Augustini, multi negant; quia non in Libro ad Julianum, sed in Libro de salutaribus documentis reperiuntur, qui non est ipse, licet inter illius opera referatur.

Resp. dist. ant. Charitas, quæ deleri potest, & amicitia, quæ desinere potest per absentiam, levi ex causa, nunquam vera, id est, stabilis & firma fuit, *con. ant.* nunquam vera fuit omnino, *neg. ant. & conf. SS.* Patres citati volunt tantum dicere, charitatem veram debere esse firmam.



ARTICULUS VII.

An homo possit certò scire, se esse in gratia?

Prænot. 1. CERTITUDO in genere est cognitio excludens omnem formidinem oppositi, & triplex est, videlicet fidei, quæ provenit ex immediate revelatis. Theologica, quæ provenit saltem ex una revelata; & moralis conjecturalis, quæ provenit ex conjecturis ita probabilibus, ut vix aliqua relinquatur dubitatio, quamvis non omnem excludat formidinem. Alia moralis absoluta omnem excludens formidinem.

2. Errores sunt Lutheri & Calvinii, dicentium, 1.º hominem posse certà fide scire, se esse in gratia. 2.º Ita teneri quemlibet credere, se esse in gratia, secus nec justus, nec fidelis est. 3.º Hominem hac fide justificari.

3. Opinio Scholæ est 1.ª Catharini, asserentis, hominem certitudine absolutà non fidei, sed theologica posse scire, se esse in gratia mediante discursu theologico. 2.ª Vegæ, dicentis, hominem posse scire certitu-

Q. III. DE GRATIA HABITUALI. A. VII. 311
dine morali excludente omnem formidinem se esse in gratia.

CONCLUSIO.

Quamvis homo certitudine morali, ac conjecturali scire possit, se esse in gratia; non tamen certitudine fidei, vel theologicâ, seu morali absolutâ, infallibili, quæ omnem excludit formidinem, seclusâ Dei revelatione.

Prob. 1. pars, quòd homo certitudine morali, ac conjecturali scire possit, se esse in gratia. Homo potest certitudine morali scire, se esse in gratia, si dentur quædam signa, ex quibus potest probabiliter conijcere, se esse in gratia: atqui dantur quædam signa, ex quibus probabiliter conijcere potest, se esse in gratia, ut promissio Dei, nullius peccati gravis recordatio, delectatio in Domino, & in rebus divinis, peccati fuga, & rerum mundanarum contemptus, diminutio cupiditatis, prompta voluntatis Dei conformatio, humilitas; humilibus enim Deus dat gratiam, Jac. 4. Ergo potest aliquis scire, se esse in gratia certitudine morali conjecturali.

Prob. 2. pars, quòd homo non possit scire certitudine fidei & theologicâ, seu morali absolutâ sine ulla formidine, se esse in gratia. Eccles. 9. Sunt justi, atque sapientes, & opera eorum in manu Dei, & tamen nescit homo, utrum odio, vel amore sit dignus. Phil. 2. Cum metu & tremore vestram salutem operamini.

Ex quibus sic argumentor: Si homo absque revelatione posset scire certitudine fidei, theologicâ, vel absolutâ absque formidine, se esse in gratia, posset scire, se esse amore dignum, & operari salutem suam sine metu & tremore: atqui homo non scit, an amore dignus sit, & cum metu & tremore debet suam salutem operari, ut patet ex textibus citatis; ergo homo non potest scire certitudine fidei, theologicâ, & absolutâ absque formidine oppositi, se esse in gratia.

Prob. 2. eadem pars ex Concilio Trid. quod Sess. 6. cap. 9. dicit: Quilibet dum seipsum, suamque infirmitatem, & indispositionem inspicit, de sua gratia formidare, & timere potest; cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam esse consecutum.

Ex quibus verbis sic arg. Homo non potest scire certitudine fidei, & infallibili, se esse in gratia, si quilibet de sua gratia timere possit, & nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam esse consecutum: atqui ex Concilio Trid. quilibet de sua gratia timere potest, & nullus scire valet certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam esse consecutum; ergo homo non potest scire, certitudine fidei, & infallibili, se esse in gratia.

Prob. 3. ratione theologicâ. Si homo posset infallibiliter scire, se esse in gratia, id posset cognoscere ex Dei promissione, vel quia nihil sibi conscius est in conscientia: atqui homo non potest certò scire, an omnia impleverit modo debito, quæ Deus pro justificatione promissa requirit; quia S. Gregorius 1. p. sui pastoralis cap. 29. *Mens enim humana sibi sæpe mentitur, & fingit de bono amare, quod non amat;* nec in eo quod sibi nihil conscius sit, potest scire, se esse in gratia; quia 1. Cor. 4. dicit Apostolus: *Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* Et S. Augustinus serm. 23. de verbis Domini ait: *Fortè tu non invenis aliquid in conscientia tua: invenit ille, qui melius videt;* ergo homo non potest scire infallibiliter, se esse in gratia, vel justificatum.

Solvuntur objectiones contra secundam partem, de certitudine fidei statûs gratiæ.

Obj. Si possimus scire, nos esse translatos à morte ad vitam, & nos esse ex Deo, & filios Dei, etiam possumus scire, nos esse in gratia: atqui certitudine fidei, 1. Joan. 3. 14. *Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, & c. 5. 19. Scimus, quoniam ex Deo sumus.* Rom. 8. *Ipsè spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filii Dei;* ergo possumus scire, nos esse in gratia.

Resp. dist. min. Atqui certitudine fidei scimus, nos translatos esse de morte ad vitam, nos esse ex Deo, & filios Dei in communi per redemptionem Christi, si omnia à Christo pro justificatione & applicatione meritorum ipsius requisita observemus, *con. min.* scimus quilibet in particulari, se omnia observasse, & se

esse actu translatum à morte ad vitam, esse ex Deo, & filium Dei, *neg. min. & conf.* Apostoli enim citati tantum volunt indicare, quòd Deus nos per mortem & passionem liberaverit à morte æterna damnationis ad vitam, & potestatem dederit filios Dei fieri, si ipsius mandata, & media præscripta observaverimus. Unde certitudo se tenet ex parte Dei promittentis, non verò ex hominis accipientis à certis conditionibus.

Inst. 1. Atqui possumus scire in particulari, nos esse in gratia; ergo &c. *Prob. subs.* Si possumus scire ea, quæ nobis à Deo donata sunt, possumus etiam in particulari scire, nos esse actu in gratia: atqui possumus scire, quæ nobis à Deo donata sunt, prout indicat Apostolus Paulus 1. Cor. 2. dicens: *Nos non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quæ à Deo donata sunt;* ergo possumus scire in particulari, nos esse in gratia.

Resp. dist. min. Atqui possumus scire, quæ nobis donata sunt ex Dei revelatione, *con. min. sine revelatione, neg. min. & conf.* S. Apostolus loquitur de spiritu, quem Christus promisit, & ipsis dedit, qui eos omnia docuit Dei revelatione; non verò, quòd quilibet illum in eodem gradu participet, ut possit cognoscere, se esse in gratia. Ibidem enim dicit idem Apostolus v. 10. *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum Sanctum;* ergo ex revelatione sciebant.

Inst. 2. Atqui possumus scire, quæ nobis donata sunt specialiter quoad gratiam habitualem sine Dei revelatione; ergo &c. *Prob. subs.* 1. Joan. 4. dicitur: *In hoc cognovimus, quoniam in ipso manemus, & ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis.*

Ex quo textu sic arguo: Ideo S. Joannes cum aliis suis discipulis, quibus scribit, cognovit, se esse & manere in Deo, id est, in gratia, quoniam de spiritu suo ipsis dedit: atqui nobis etiam de spiritu suo dedit; *charitas enim Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis,* ut ait Apostolus Paulus Rom. 5. ergo etiam cognoscimus, nos esse in gratia.

Resp. dist. min. Atqui nobis etiam de spiritu suo dedit sicut Apostolis, *neg. min. alio modo imperfectiori illum nobis communicando, con. min. & neg. conf.* Unde

licet gratia, & charitas per Spiritum Sanctum diffusa sit in cordibus justorum, ipsis tamen non revelat, quod sint in gratia, nec infallibiliter id cognoscunt.

Inst. 3. Atqui nobis etiam dedit de Spiritu Sancto, ita, ut possimus cognoscere, nos esse in gratia; ergo. *Prob. subs.* Quod omnes cognoscunt, etiam nos possumus cognoscere: atqui Christus Joan. 13. dicit Apostolis: *In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem;* ergo & id de nobismetipsis possumus cognoscere, quod simus discipuli Christi, & in illius gratia.

Resp. dist. min. In hoc cognoscent omnes certitudine morali, quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem, *con. min.* certitudine fidei, & infallibili, *neg. min. & conf.* Ex dilectione proximi, & operibus charitatis possumus quidem conjicere, nos esse in gratia, sed cum non certo sciamus, opera charitatis proximi esse facta cum omni dispositione interna & an sint cum charitate Dei conjuncta, nec infallibiliter possumus scire, nos esse in gratia, nec id de aliis infallibiliter possumus judicare.

Inst. 4. Atqui possumus scire certitudine infallibili, nos esse in charitate Dei; ergo &c. *Prob. subs.* Si possumus certo scire, nos non esse separatos à charitate Dei, etiam possumus certo scire, nos esse in charitate Dei: atqui possumus certo scire, nos non esse separatos à charitate Dei, prout indicat Apostolus Rom. 8. dicens: *Certus sum; quia neque mors, neque vita &c. neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei;* ergo possumus scire certitudine infallibili, nos esse in charitate Dei.

Resp. dist. min. Atqui possumus certo scire, nos non esse separatos à charitate Dei invites, nisi sponte velimus, *con. min.* possumus certo scire, nos non esse separatos à charitate Dei nostrà culpà liberè commissà, & eam sponte amissam recuperàsse, *neg. min. & conf.* S. Apostolus vult tantum dicere, nullam creaturam nos posse separare à charitate Dei, si illam semel obtinuerimus, nisi sponte velimus; an autem illam de facto possideamus, non certo scimus absque revelatione.

Inst. 5. Atqui possumus certo scire, nos gratiam

Q. III. DE GRATIA HABITUALI. A. VII. 315

obtinuisse, & non amisisse; ergo &c. *Prob. subs.* Possumus certò scire, nos esse baptizatos, & recepto Baptismo non peccasse mortaliter; aliàs nullum possemus recipere Sacramentum: atqui certum est de Fide, baptizatos recepisse gratiam, & illam non amitti, nisi per peccatum mortale voluntarium, & præcognitum; ergo possumus certò scire, nos obtinuisse gratiam, & non amisisse.

Resp. dist. maj. Possumus certò scire, nos esse baptizatos certitudine morali, *con. maj.* certitudine physicâ, sub qua nullum potest subesse falsum, *neg. maj. dist. min.* atqui certum est certitudine fidei baptizatum recepisse gratiam, si legitime fuerit baptizatus, & illam non amitti per peccatum, *con. min.* si non sit legitime baptizatus, *neg. min. & conf.* Est quidem de Fide, Baptismum conferre gratiam, & eam non amitti, nisi per peccatum voluntarium, & cognitum, sed nobis non certò constat, an Baptismus fuerit legitime applicatus, & an non fortè ex ignorantia vincibili peccaverimus, ac proinde an de factò simus in gratia.

Inst. 6. Atqui possumus certò scire certitudine physicâ & infallibili, nos esse in gratia; ergo &c. *Prob. subs.* Possumus scire certitudine physicâ, & infallibili, si possumus scire, nos habere charitatem perfectam, vel contritionem perfectam: atqui possumus scire infallibiliter, nos habere charitatem perfectam, & contritionem perfectam; ergo possumus scire certitudine physicâ, & infallibili, nos esse in gratia. *Prob. min.* Homo potest infallibiliter scire, se scire perfectè, e. g. esse Deum; quia hoc non potest ignorare; ergo potest etiam scire, se perfectè Deum diligere, & perfectè conteri. *Prob. conf.* Actus voluntatis æquè perfectè possunt cognosci, quàm actus intellectus; ergo si possim infallibiliter scire, me scire perfectè, possum etiam scire, me perfectè Deum amare.

Resp. dist. ant. Actus voluntatis aliqui æquè perfectè possunt cognosci, quàm actus intellectus, *con. ant.* omnes, *neg. ant. & conf.* Unde possumus quidem cognoscere, nos scire e. g. Deum esse; quia lumen naturale hoc dictat. Non possumus autem cognoscere, nos Deum perfectè diligere, & perfectè conteri; quia sunt actus naturales, qui procedunt ex impulsu Spiritus Sancti,

gratiâ illius præveniente, quam non videmus, & non cognoscimus certitudine infallibili, an actum dilectionis comitetur, & revera supernaturalis, ac talis sit, ut ad gratiam habitualem disponere possit.

Inst. 7. Atqui possumus dilectionem Dei perfectam infallibiliter cognoscere; ergo &c. *Prob. subs.* Non difficilius est cognoscere veram ac perfectam fidem, quam charitatem veram & perfectam, qui uterque actus est supernaturalis, & dependens à gratia: atqui possumus certò, & infallibiliter scire, nos habere veram fidem, quia non licet de ea dubitare; ergo etiam possumus scire, nos habere veram & perfectam charitatem.

Resp. dist. min. Atqui possumus certò, & infallibiliter scire, nos habere veram fidem objectivè ex parte objecti crediti, *con. min.* subjectivè ex parte subjecti, & actus eliciti circa objectum, *neg. min. & conf. vel dist.* Ergo possumus certò, & infallibiliter cognoscere, nos habere veram & perfectam charitatem objectivè ratione objecti, nempe illam versari circa Deum, qui est objectum perfectæ charitatis, *con. conf.* subjectivè & ratione actus, nempe illam habere omnes alias condiciones requisitas, *neg. conf.* Unde possumus quidem certò, & infallibiliter scire objectum fidei veræ, nempe mysteria, circa quæ fides nostra vera versatur, an verò actus, qui circa illa versatur, sit supernaturalis, hoc nobis non magis constat, quam de charitate. Nam, cum non certum sit certitudine fidei, ac infallibili de validitate Baptismi, nec de gratiæ habitualis infusione, nec certi sumus de infusione habitus fidei, & spei, & charitatis, ac proinde nec de supernaturalitate actuum, qui sine illis fieri non possunt.

Inst. 8. Atqui certò, & infallibiliter scire possumus actus fidei, & dilectionis procedere ex gratia supernaturali; ergo &c. *Prob. subs.* Possumus scire infallibiliter certitudine fidei, actus fidei, & charitatis, quos certò & infallibiliter cognosco, me elicere, procedere etiam à gratia supernaturali; ergo etiam possum cognoscere esse supernaturales. *Prob. ant.* Scimus certitudine fidei, nobis non deesse gratiam sufficientem ad tales actus debitè, & supernaturaliter eliciendos tempore, quo obligat præceptum fidei, & charitatis; ergo possumus

Q. III. DE GRATIA HABITUALI. A. VII. 317

certò certitudine fidei cognoscere tales actus procedere à gratia supernaturali.

Resp. dist. ant. Scimus certitudine fidei nobis, si iusti sumus, non deesse gratiam sufficientem ad tales actus debite, & supernaturaliter eliciendos, & non scimus ea certitudine nos, quantum possumus, cooperari, & sine indebito moveri, *con. ant.* scimus certitudine fidei nobis, si non iusti sumus, non deesse gratiam sufficientem ad tales actus debite, & supernaturaliter eliciendos, & nos, quantum possumus, debite cooperari, nec alio occulto motivo moveri, *neg. ant. & conf.* Unde credimus quidem omnibus iustis gratiam dari sufficientem ad mandata Dei supernaturalia implenda, ut est elicere actus fidei, spei, & charitatis aliquando in vita; non verò est de Fide quoad alios, non tamen ita certum est certitudine fidei, nos semper debito modo cooperari, ita, ut per tales actus primam gratiam habitualem promereamur.

Inst. 9. Atqui sumus certi certitudine infallibili saltem theologicè gratiam sufficientem nobis non deesse, & nos debito modo illà uti; ergo &c. *Prob. subs. quoad 2. membrum.* Apost. 1. Cor. 2. ait: *Quis hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est.* Ex quo textu sic arguo: Spiritus hominis scit, quid in ipso est, & quod liberè fit, cum cognitione fit: atqui debita cooperatio est in homine, & liberè fit; ergo scimus certitudine infallibili non solum nos habere gratiam, sed etiam debite cooperari.

Resp. dist. maj. Spiritus hominis scit, quid in ipso est, & quod liberè fit cum cognitione fit moraliter certà, *con. maj.* cum cognitione physicè certa, & infallibili, *neg. maj. concessã min. neg. conf.* Homo quidem scit, quid & quomodo agat conjecturaliter, & certitudine morali, quæ sufficit ad moraliter, & liberè operandum. Modus autem, quo actiones nostræ internè fiunt, difficulter, & valdè incertè cognoscitur. Nam S. Gregorius Lib. 3. mor. c. 8. dicit: *Sape iustitia nostra ad examen divinæ iustitiæ deducta iniustitia est, & sordet in districtione iudicis, quod fulget in æstimatione operantis.*

Inst. 10. Atqui homo iustus scit certitudine infallibili, se esse in gratia; ergo &c. *Prob. subs.* Habitus cognosci-

tur infallibiliter ex facilitate operandi; habitus enim est facilitas operandi: atqui homo in se certò, & infallibiliter cognoscit in se facilitatem operandi, & eliciendi actus charitatis; ergo etiam potest certò, & infallibiliter cognoscere habitum charitatis, & gratiæ, quæ sunt idem habitus.

Resp. dist. maj. Habitus cognoscitur infallibiliter ex facilitate operandi, si sit naturalis, *con. maj.* si sit supernaturalis, *neg. maj. dist. min.* atqui homo in se certò, & infallibiliter cognoscit facilitatem operandi supernaturalem, *neg. min. naturalem, con. min. & neg. conf.* Cognoscit quidem in se homo facilitatem operandi, an verò sit naturalis, vel supernaturalis, hoc certò, & infallibiliter non potest distinguere. Nam actus virtutum gratuitarum, ut docet S. Thomas, maximam similitudinem habent cum actibus virtutum acquiratarum, ut non possit de facili per hujusmodi actus certitudo de gratia haberi, nisi fortè ex revelatione certificetur aliquis ex speciali privilegio.

Inst. II. Atqui etiam habitus supernaturalis certò cognoscitur; ergo &c. *Prob. subs.* Christus ait Joan. 14. *Pacem meam do vobis.* Et Apostolus Rom. 5. *Iustificati ergo ex fide pacem habemus ad Deum:* atqui si non cognoscimus infallibiliter habitum supernaturalem, an sumus in gratia, hac pace nunquam possemus frui, sed semper anxii essemus; ergo etiam habitus supernaturalis certò cognoscitur.

Resp. dist. min. Atqui si non cognoscimus habitum supernaturalem, hac pace nunquam possemus frui perfectè, nisi Beati in cœlis, *con. min.* nunquam possemus hac pace frui modo statui nostro proportionato, & cum sancto quodam timore, *neg. min. & conf.* Unde ait S. Augustinus Lib. 1. *conf. c. 1, Inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Et Apostolus Phil. 2. 12. *Cum metu & tremore vestram salutem operamini.*



Q U Æ S T I O I V .

D E M E R I T O .

A R T I C U L U S P R I M U S .

An detur meritum, & quænam ad illud requirantur conditiones ?

Prænot 1. M E R I T U M latius significat dignitatem cujuscunque rei, propriè sumitur pro opere, quod retributione boni, vel mali dignum est, sic peccatum meretur puniri, & virtus remunerari; ex communi autem usu solum opus bonum dicitur meritum, & malum demeritum, & meritum definiri potest: *Valor moralis operis honesti supernaturalis ex gratia in obsequium Dei facti, Deo grati, cui præmium debetur à Deo per modum remunerationis.*

2. Meritum duplex est, videlicet de condigno, cui præmium debetur ex justitia, & meritum de congruo, cui merces debita est tantum ex aliqua decentia & congruitate.

3. Meritum de condigno duplex est, de rigore justitiæ, quod æqualem cum præmio habet valorem excludens omnem gratiam merenti à præmiante factam: tale est meritum Christi; aliud de condigno non ex toto rigore justitiæ, quod licet habeat valorem æqualem cum præmio, illum tamen non habet ex se, sed ex gratia à præmiante merenti facta; tale est meritum nostrum, de quo hic agitur.

4. Meritum de congruo etiam multiplex est. 1.º Infallibile, quod habet promissionem adjunctam: tale est meritum contritionis in peccatore respectu justificationis. 2.º Fallibile, quod nullam habet promissionem adjunctam, quale est meritum de congruo hominis justi quoad donum perseverantiæ, & juxta Thomistas ulterius dividitur in meritum de congruo proprium, & strictè dictum, quod consistit in jure amicabile ad præmium, & distinguitur à merito de condigno; quia hoc

importat debitum justitiæ. Et in latè, & improprie sumptum, quod consistit in aliqua exigentia formæ, v. g. justitiæ per modum dispositionis, aut impetrationis.

5. Septem sunt conditiones ad meritum requisitæ, videlicet 1.^a ad meritum quodcumque ex parte merentis est, quod sit viator; quia ait Eccles. 9. *Mortui . . . non habent ultra mercedem.* 2.^a Ad meritum de condigno, quod sit justus; quia 1. ad Cor. 15. ait Apostolus: *Si charitatem non habuero, nihil sum.* 3.^a Ex parte operis, quod opus sit liberum. Est de Fide; & S. Hieronymus Lib. 2. contra Jovin. ait: *Ubi necessitas, nec corona, nec damnatio est.* 4.^a Debet esse bonum honestum; quia malum non præmium, sed pœnam meretur, Rom. 6. *Stipendium peccati mors.* 5.^a Supernaturale; quia juxta Concil. Trid. Sess. 6. debet fieri ex gratia, & Christus Joan. 15. ait: *Sine me nihil potestis facere.* 6.^a Quod fiat in obsequium Dei; quia aliàs ab illo nihil potest exigi, & si non referretur in Deum, non esset supernaturale defectu finis supernaturalis. 7.^a Ex parte Dei est promissio; quia nullâ conventionem factâ in alterius vinea laboranti nulla debetur merces.

6. Error circa meritum est Novatorum Lutheri & Calvinii, qui omne rejiciunt tanquam superbiam redolens. Contra quos est

CONCLUSIO.

Bona justorum opera verè, & propriè apud Deum sunt meritoria. Est de Fide, etiam de condigno.

Prob. 1. ex S. Scriptura. Gen. 15. ait Deus ad Abraham: *Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* Sap. 5. 16. *Apud Dominum est merces eorum, nempe justorum.* Matth. 5. ait Christus: *Gaudete & exultate, quia merces vestra copiosa est in cælis.*

Ex quibus sic argumentor: Meritum est opus bonum, quod mercedem meretur: atqui ex locis citatis dantur bona opera, quæ mercedem apud Deum merentur; ergo datur meritum.

Prob. 2. ex Conciliis. Concilium Araus. II. Can. 8. ait: *Debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia, quæ non debetur, præcedit, ut fiant.* Et Concilium Trid. Sess. 6. Can. 32. dicit: *Si quis dixerit, hominis justificati bona*

bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita . . . anathema sit.

Ex quibus sic infero : Si bonis operibus debeat merces, & sint justificati merita, bona opera justorum sunt verè, & propriè meritoria : atqui ex Concilio Arauf. bonis operibus debetur merces, & ex Concilio Trid. justii bona opera sunt justificati merita; ergo bona opera justorum sunt verè, & propriè meritoria.

Prob. 3. ex SS. Patribus. S. Cyprianus Lib. de unit. Eccl. ait : Accipiunt merita nostra mercedem. S. Ambrosius ferm. 7. in Psal. 118. dicit : Scit sibi (justus) coronam bonorum repositam esse meritorum. Et S. Augustinus Epist. 105. Sicut merito peccati tanquam stipendium redditur mors, ita merito justitiæ tanquam stipendium vita æterna; ergo etiam ex SS. Patribus patet, bona justorum opera esse verè ac propriè meritoria.

Prob. 4. ratione theologicâ. Christus ex Symbolo Apostolico, & Scriptura venturus est judicare vivos, & mortuos : atqui si non sunt merita, inutiliter judicaret vivos & mortuos; dicit enim S. Augustinus Epist. 46. Alioquin, si non sunt merita, quomodo judicabit Deus hunc mundum. Merita enim & demerita sunt objectum, circa quod judicium est instituendum, ut puniat malos, & remuneret bonos, prout bona, vel mala habuerunt merita; ergo dantur merita vera, ac propriè dicta.

Prob. 2. pars, quòd etiam detur meritum de condigno; ex S. Scriptura. Sap. 8. Deus tentavit illos, & invenit dignos se. 2. Theff. 1. Sic omnes tribulationes sustinetis, ut digni habeamini regno æterno : atqui, qui inveniuntur digni Deo, & regno æterno, merentur de condigno vitam æternam; ergo datur meritum de condigno.

Prob. 2. ratione theologicâ. Quod redditur secundum justitiam, est merces condigna, aliàs non esset secundum justitiam : atqui merces vitæ æternæ datur secundum justitiam, ut indicat Apostolus 2. Tim. 4. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex; ergo datur meritum de condigno.

Solvuntur objectiones.

Obj. Opera non habent conditiones ad meritum requisitas; ergo non sunt verè, ac propriè meritoria;

Prob. ant. Ut opus sit meritorium, debet esse bonum, & Deo gratum: atqui nullum ex operibus nostris est bonum, & Deo gratum; ergo non habent conditiones ad meritum requisitas. *Prob. min.* Opus immundi, & opera immunda non sunt bona, nec Deo grata: atqui omnia opera nostra sunt immundi ac immunda, ut indicat Isaias 64. dicens: *Facti sumus, ut immundus, omnes nos, & quasi pannus menstruatae universa justitia nostra;* ergo nullum ex operibus nostris est bonum.

Resp. dist. min. Atqui S. Scriptura dicit, omnia opera nostra esse immunda, quæ facta sunt sicut illa Judæorum, de quibus loquitur Isaias, qui erant pleni internè rapinâ, & iniquitate, *con. min.* omnia opera nostra sunt immunda debitè facta, *subd.* sunt immunda respectivè ad justitiam Dei, *con. min.* absolutè, ita ut nullam mereantur mercedem, *neg. min. & conf.* Propheta enim Isaias non loquitur de operibus justorum, sed in persona perfidorum Judæorum, qui ob sua sacrificia expiatoria, & alias externas observantias legales se justos existimabant, cum tamen internè pleni erant rapinâ, & iniquitate. Et etiamsi de aliis loqueretur, non tamen aliter, quàm Job intelligi debet, qui omnia respectivè ad Dei munditiam, & pulchritudinem infinitam immunda existimabat.

Inst. 1. Atqui omnia opera nostra sunt immunda absolutè, ut nullam mereantur mercedem; ergo &c. *Prob. subsf.* S. Bernardus ferm. 71. in Cant. dicit: *Si in conscientia nævus fuerit, nec quod ex eo prodierit, nævo carebit, nam si radix in vitio, & ramus.* Et Christus Matth. 7. 18. *Non potest arbor mala bonos fructus facere:* atqui ex S. Joanne nos omnes peccatum habemus saltem leve, uti exponitur; ergo omnia opera nostra sunt immunda.

Resp. dist. min. Atqui ex S. Joanne nos omnes peccatum saltem leve, & veniale habemus habituale, quod bonitatem operis non impedit, *con. min.* actuale se per modum finis, & radicis in ordine ad opus habens, *neg. min. & conf.* Unde peccata venialia alia sunt actualia, quæ per modum finis, & motivi ad opus se habent, & bonitatem operis destruunt, ut eleemosyna ex vana gloria data, quæ nævo non caret. Alia sunt habitualia, vel quæ tantum concomitanter ad opus

bonum se habent, uti levis distractio, vel negligentia, hæc non omnem bonitatem operis honesti sine supernaturali peracti impediunt in multorum sententia. Unde S. Bernardus de actualibus, quæ se habent per modum radicis, & motivi, loquitur. Non autem de aliis habitualibus, vel concomitanter se habentibus. Nec S. Joannes intelligendus de peccatis actualibus, quasi nullum opus sine peccato, vel mala intentione, vel sine fieri possit.

Inst. 2. Atqui nos omnes peccatum habemus actuale, ipsum opus bonum per modum finis, & motivi afficiens; ergo &c. *Prob. subs.* S. Gregorius Lib. 9. mor. c. 1. ait: *Omne virtutis nostræ meritum esse vitium conspiciatur, si ab æterno arbitrio strictè judicetur.* Et S. Augustinus Lib. 9. conf. cap. 13. *Væ etiam laudabili hominum vitæ, si remotâ misericordiâ judices eam; ergo nos omnes peccatum habemus actuale ipsum opus, ac meritum per modum motivi afficiens, secus non esset vitium.*

Resp. dist. ant. Omne virtutis nostræ meritum est vitium comparatè ad perfectionem divinam, vel ex vanitate factum, *con. ant.* honesto, & supernaturali sine factum, & absolutè, ita ut nullam mereatur mercedem, *neg. ant. & conf.* Unde S. Doctor ibidem dicit: *Qui accepta bona sibi arrogat, suis contra Deum donis pugnat.*

Inst. 3. Atqui omnia opera nostra absolutè, & honesto sine, & cum gratia facta sunt vitia; ergo &c. *Prob. subs.* Si opera nostra sine honesto, & cum gratia facta non essent vitia, per observationem mandatorum Dei, & alia opera bona possemus esse servi utiles, & aliquid mereri: atqui ipsemet Christus ait Luc. 17. *Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, quia servi inutiles sumus; ergo omnia opera nostra etiam cum gratia, & sine honesto facta vitia sunt.*

Resp. dist. min. Atqui si fecerimus omnia, quæ præcepta sunt, servi inutiles sumus ex nobis sine gratia præveniente Dei, & nobiscum cooperante, *con. min.* servi inutiles sumus cum gratia Dei nos præveniente, & nobiscum cooperante, *neg. min. & conf.* Unde Christus dicit, nos esse servos inutiles, 1.º quia sine gratia nihil possumus mereri in ordine ad vitam æternam, siquidem Deus, ut ait S. Augustinus Epist. 105, nihil aliud coronat, quàm munera sua, quibus vitam æternam

meremur. 2.^o Quia Deus obsequiis nostris non indiget, nec aliquid utilitatis per illa ipsi conferimus, prout Plalmista indicat Psal. 15. *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non indiges.* 3.^o Quia omnia Deo debita sunt, & faciendo omnia, quæ præcepta sunt, quod debuimus facere fecimus, ut Christus ibidem dicit, & nulla merces nobis deberetur, nisi ex promissione, & omne meritum nostrum in gratia Dei fundatur.

Inst. 4. Atqui cum gratia & promissione servi inutiles sumus in ordine ad meritum; ergo &c. *Prob. subs.* Si cum gratia & promissione servi utiles essemus in ordine ad meritum maximè vitæ æternæ: atqui etiam suppositâ gratiâ, & promissione non meremur vitam æternam; ergo suppositâ etiam gratiâ & promissione servi inutiles sumus. *Prob. min.* Non meremur vitam æternam, etiam suppositâ gratiâ & promissione, si gratis detur: atqui vita æterna gratis datur, ut indicat Apostolus Paulus Rom. 6. dicens: *Gratia autem vita æterna;* ergo non meremur vitam æternam, etiam suppositâ gratiâ & promissione.

Resp. dist. min. Atqui vita æterna gratis datur radicaliter ratione gratiæ actualis gratis datæ, quâ illam meremur, *con. min.* vita æterna gratis datur adæquatè & cum exclusione nostræ cooperationis cum gratia, & merito gratiæ, etiam de congruo. *neg. min. & cons.* Unde Apostolus dicit, gratia autem Dei vita æterna, quia illam ex gratia Dei promeremur, prout explicat S. Augustinus de corrept. & grat. c. 17. dicens: *Sine ulla aubitatione constitendum est, ideo gratiam vitam æternam vocari, quia his meritis redditur, quæ gratia contulit hominibus.*

Inst. 5. Atqui vita æterna gratis datur adæquatè absque meritis gratiæ; ergo &c. *Prob. subs.* Vita æterna est hæreditas juxta verba Apostoli Rom. 8. *Si filii, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi:* atqui hæreditas adæquatè datur filiiis independentè à meritis, & particulariter illa Christi; ergo & nostra Cohæreditas, & vita æterna datur gratis, independentè à meritis.

Resp. dist. maj. Vita æterna est hæreditas adoptiva, & conditionata, *con. maj.* naturalis, & absoluta inde-

pendens à merito, *neg. maj. dist. min* atqui hæreditas naturalis adæquatè datur filiis independentè à meritis, *con. min.* ex adoptione, *subd.* si sit absoluta, *con. min.* si sit conditionata, & dependens à merito, *neg. min. & conf.* Nostra autem hæreditas vitæ æternæ est ex adoptione conditionatâ, Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Christi verò est naturalis, & quamvis simus cohæredes ejusdem regni, non tamen eodem modo, & jure.

Inst. 6. Atqui vita æterna est hæreditas adoptiva absoluta, independens à meritis Christi; ergo &c. *Prob. subsf.* Adoptio nostra ad vitam æternam fit per justificationem, seu justitiam, quâ justii sumus: atqui justii sumus non ex proprio merito, sed ex Dei misericordia, prout S. Hieronymus in dialog. contra Pelag. dicit: *Tunc justii sumus, quando nos peccatores fatemur, & justitia nostra non ex proprio merito; sed ex Dei misericordia consistit;* ergo vita æterna est hæreditas adoptiva absoluta, independens à merito.

Resp. dist. min. Atqui justii sumus non ex proprio merito naturali, sine gratia, sed ex misericordia radicaliter, *con. min.* non sumus justii ex proprio merito supernaturali, sed ex misericordia sola, cum exclusione bonorum operum supernaturalium, *neg. min. & conf.* Vita æterna igitur, & justitia dicitur ex misericordia; quia gratuitò vita æterna promissa est, ut merces bonorum operum, & justitia contritioni, ut dispositioni. Hinc ait S. Bernardus in Tract. de grat. & lib. arb. *Promissum est ex misericordia, sed ex justitia solvendum.*

Inst. 7. Atqui justii sumus, & vitam æternam habemus ex sola Dei misericordia sine nostris meritis; ergo. *Prob. subsf.* Si vita æterna non esset ex sola misericordia, sed ex nostris meritis, esset stipendium bonorum operum, sicut *stipendium peccati mors*, Rom. 6: atqui Apostolus non dicit, vitam æternam esse stipendium bonorum operum, sed expressè dicit Rom. 6. 23: *Stipendium enim peccati mors; gratia autem Dei vita æterna in CHRISTO JESU Domino nostro;* ergo vita æterna est ex pura misericordia.

Resp. dist. maj. Si vita æterna non esset ex sola misericordia, sed ex nostris meritis, esset stipendium

bonorum operum, sicut stipendia peccati mors secundum quid, *con. maj.* secundum omnia, *neg. maj. concessã min. neg. conf.* Disparitas est, ut observat S. Augustinus; quia mors est ex solis nostris pravis operibus, & ex se merentur pœnam mortis æternæ; quia ex nobis solis peccamus, & ideo dicit Apostolus simpliciter, stipendia peccati mors. Econtra verò bona opera non sunt à nobis solis, & sine Dei gratia, & ex se meritoria vitæ æternæ, & ideo dicit: gratia autem vita æterna, ne illam ex puris nostris operibus crederemus, sed simul eam ex Dei gratia promereri. Unde dicit S. Augustinus Epist. 105. *Quapropter, o homo, si accepturus es vitam æternam, justitiæ quidem stipendium est, sed tibi gratia est, cui gratia est & ipsa justitia.*

Inst. 8. Atqui vita æterna non est stipendium bonorum operum secundum quid, sed ex sola Dei misericordia; ergo &c. *Prob. subs.* Deus dicit Isai. 55. *Venite, emite absque argento, & absque ulla commutatione vinum, & lac:* atqui vita æterna comparatur & figuratur per terram Abrahæ promissam fluentem lactè; ergo vita æterna datur ex sola misericordia absque ulla commutatione meriti.

Resp. dist. maj. Deus dicit: venite, emite absque argento, & absque ulla commutatione vinum, & lac, subintelligendo gratiam, ut exponit S. Hieronymus, *con. maj.* subintelligendo vitam æternam, *neg. maj. concessã min. neg. conf.* Deinde etiamsi intelligeretur sub vino & lacte vita æterna, cum sit emptio, non inde inferri posset, esse omninò gratuitam; quia emptio non fit omnino gratuita, aliàs esset donatio; & non emptio.

Inst. 9. Atqui etiam vita æterna est omninò gratuita; ergo &c. *Prob. subs.* Si requirerentur ad vitam æternam merita, Christi merita non essent sufficientia ad comparandam nobis gloriam. Si enim essent sufficientia, frustranea essent merita: atqui hoc injuriosum est Deo; ergo gloria est omninò gratuita.

Resp. dist. maj. Si requirerentur ad vitam æternam merita pro supplemento meritorum Christi, merita Christi non essent sufficientia, *con. maj.* si requirantur pro meritorum Christi applicatione, merita Christi non essent sufficientia, *neg. maj. concessã min. neg. conf.* Jam

sæpius enim dictum est, merita nostra non requiri pro suppleto alicujus meritorum Christi defectus, sed pro illorum nobis facienda applicatione. Deinde merita nostra omnem suum valorem habent à meritis Christi, unde ipsius gloriam potius augent, quàm minuunt.

Solvuntur objectiones contra secundam partem.

Obj. Apostolus Paulus ad Rom. 8. ait: *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis; ergo non datur meritum de condigno.*

Resp. dist. ant. Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, in se spectatæ sine gratia, & ratione durationis, *con. ant.* spectatæ, ut gratiâ dignificatæ, & suppositâ Dei promissione, *neg. ant. & conf.* Unde id, quod momentaneum, & leve est tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur, sed non ex se hunc valorem habet, sed ex Dei gratia, & promissione.

Inst. 1. Atqui passiones, & opera hujus temporis, etiam spectata, ut gratiâ dignificata, non sunt condigna futuræ gloriæ; ergo &c. *Prob. subs.* Si nostra bona opera, ut gratiâ dignificata, essent condignè meritoria vitæ æternæ, vita æterna esset ex justitia à Deo debita: atqui vita æterna homini justo non est ex justitia à Deo debita; quia meritum de condigno supponit debitum justitiæ; ergo nostra bona opera, ut gratiâ dignificata, non sunt condignè meritoria vitæ æternæ. *Prob. min.* Inter Deum, & hominem nulla intercedit justitia; inter Dominum enim, & servum non datur justitia; ergo vita æterna non est homini justo ex justitia à Deo debita.

Resp. dist. ant. Inter Deum, & hominem nulla intercedit justitia, strictè dicta, *con. ant.* latè dicta, *neg. ant. & conf.* Justitia strictè dicta inducit obligationem justitiæ: Deus autem non sic obligari potest, sed tantum ex debito rationis, & veracitatis in suis promissis, quæ ex illius perfectione infinita, & propria voluntate exoritur. Hinc ait S. Thomas: *Hominis ad Deum non potest esse justitia secundum absolutam æqualitatem.*

Inst. 2. Atqui inter Deum, & hominem nulla inter-

cedit iustitia latè dicta; ergo &c. *Prob. subs.* Iustitia, etiam latè dicta, introducit debitum; aliàs nec esset meritum de condigno: atqui Deus nullum potest contrahere debitum erga creaturam, & hominem; ergo nec intercedit inter Deum, & hominem iustitia latè dicta.

Resp. dist. min. Atqui Deus nullum potest contrahere debitum stricti juris, *con. min.* fidelitatis, & veracitatis, *neg. min. & conf.* Debitum enim remunerationis oritur ex veracitate promissionum Dei, quod S. Thomas 1. 2. q. 114. a. 1. indicat, dicens: *Quia actio nostra non habet rationem meriti, nisi ex præsuppositione divinæ ordinationis, non sequitur, quòd Deus efficiatur simpliciter debitor nobis, sed sibi ipsi, in quantum est, ut hic ordinatio impleatur.*

Inst. 3. Atqui Deus nullum contrahit debitum qualecunque; ergo &c. *Prob. subs.* Ut Deus contrahat aliquod debitum, deberet opus meritorium fieri in ipsius obsequium, vel utilitatem; aliàs ad nihil tenetur: atqui opera nostra meritoria non fiunt in ipsius obsequium, vel utilitatem, prout indicat Job 35. dicens: *Si enim iuste egeris, quid ei donabis, aut quid de manu tua accipiet?* Deus enim nullius obsequio indiget; ergo Deus non contrahit debitum qualecunque.

Resp. dist. min. Atqui opera nostra meritoria non fiunt in Dei obsequium, & utilitatem, quasi aliquid acciperet ad intra, *con. min.* extrinsecè, quoad manifestationem ipsius gratiæ, *neg. min. & conf.* Unde Deo nihil potest advenire ad intra; exterius tamen potest gloria accrescere ex operibus nostris in ipsius gloriam factis. Unde ait Apostolus 2. Tim. 2. 21. *Si quis ergo mundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, & utile Domino ad omne opus bonum paratum.*

Inst. 4. Meritum de condigno est nomen novum; ergo non tolerandum.

Resp. Non esse novum, & si esset, satis clarè quoad rem in Scriptura exprimitur. Deinde legimus Hebr. 13. 16. *Beneficientiæ, & communionis nolite oblivisci; talibus enim hostiis promeretur Deus.*

Inst. 5. Ad meritum de condigno requiritur æqualitas operis meritorii, & præmii: atqui non reperitur

talis æqualitas inter nostra opera, etiam ex gratia facta, & præmium; ergo non datur meritum de condigno. *Prob. min.* Opera nostra sunt momentanea, & præmium æternum, & juxta commune axioma Theologorum Deus remuneratur justos ultra condignum; ergo non est æqualitas.

Resp. dist. conf. Ergo non reperitur æqualitas entitatis, *con. conf.* non reperitur æqualitas valoris, *subd.* non reperitur æqualitas valoris intrinseci, & seorsim à meritis Christi, *con. conf.* non reperitur æqualitas valoris extrinseci ex Dei ordinatione, & promissione, & simul cum meritis Christi, *neg. conf.* Unde quamvis opera nostra bona meritoria supernaturaliter aliquem habeant valorem intrinsecum ad vitam æternam, non tamen ex se, vel de condigno, sed ex Dei ordinatione, promissione, & illorum acceptance, utpote dignificatorum meritis Christi. Unde non ad rigorem justitiæ, sicut merita Christi, sed ex acceptance, & conventionem, & ex meritis Christi nobis applicatis.

Quæres. An actus, ut sit meritorius vitæ æternæ, debeat procedere ex motivo charitatis, & an major gratia ex se sola augeat meritum?

Resp. 1. Quamvis actus virtutis sit moraliter bonus, non tamen est de condigno meritorius vitæ æternæ, vel augmenti gratiæ, ac gloriæ, nisi saltem virtualiter referatur in Deum, & virtualiter ex motivo charitatis procedat; quia Apostolus 1. Cor. 13. dicit: *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Et S. Augustinus ait: *Sola charitas sufficit, si adsit, cætera autem omnia nihil possunt, si sola charitas desit.* S. Gregorius hom. 27. in Evang. *Nec habet aliquid viriditatis ramus, boni operis, si non manet in radice charitatis.* Estque hæc opinio securior in praxi suadenda.

Resp. 2. Personam habentem majorem gratiam cæteris paribus plus mereri; quia persona habens majorem gratiam est dignior, Deoque magis grata, & meritum desumitur à dignitate personæ, ut patet in Christo: & crescit insuper meritum ex præstantia operis, ex difficultate superanda.

Quæres 2. An dentur opera supererogativa supernaturalia, quæ tantum sunt de consilio, non autem sub præcepto?

Resp. Multa dari opera supernaturalia supererogationis Deo grata, & ab illo non commendata, certum est de Fide contra Lutherum, Calvinum, aliosque hæreticos; quia Christus dicit Matth. 19. adolescenti, qui omnia mandata adimpleverat: *Si vis perfectus esse, vade & vende, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælis.* Et 1. ad Cor. 7. 15. ait Apostolus: *De virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* Et S. Augustinus de verb. Apost. ferm. 18. c. 11. *Neque enim sicut non mæchaberis, non occides, ita dici potest, non nubes: illa exiguntur, ista offeruntur, si fiant ista, laudantur; nisi fiant illa, damnantur. In illis Dominus debitum imperat vobis, in his autem, si quid amplius supererogaveris, in redeundo reddet vobis.*

ARTICULUS II.

Quænam homo sibi, ac aliis promereri possit?

CONCLUSIO I.

NULLUS sibi de condigno, nec de congruo potest mereri primam gratiam actualem. Est de Fide contra Pelagianos, & Semipelagianos. Potest tamen homo justus aliis mereri gratiam primam actualem de congruo, sed fallibili; & quilibet etiam peccator sibi cum prima mereri secundam, etiam efficacem ad perseverandum.

Prob. 1. pars, quod nullus sibi de condigno, nec de congruo possit mereri primam gratiam actualem. Concilium Tridentinum Sess. 6. cap. 5. declarat, *ipsius justificationis exordium in adultis à Dei per CHRISTUM JESUM præveniente gratia sumendum esse, hoc est, ab ejus vocatione, quia nullis eorum existentibus meritis, vocantur.*

Ex quibus sic argumentor: Si homo sibi de condigno vel congruo posset mereri primam gratiam actualem, ipsius justificationis exordium non à Dei per Christum Jesum, præveniente gratia sumendum esset, nec ab illius vocatione, nullis existentibus meritis: atqui hoc

repugnat verbis Concilii Trid. citatis; ergo nullus sibi de condigno, vel congruo potest mereri primam gratiam.

Prob. 2. ratione. Juxta commune axioma Theologorum principium meriti non cadit sub meritum, & ratio dicitur, sicut nemo potest sibi mereri principium vitæ naturalis, sic nec posse sibi mereri principium vitæ supernaturalis: atqui prima gratia actualis est principium meriti; ergo non potest sibi mereri primam gratiam actualem.

Confirmatur. Prima gratia est donum supernaturale: atqui donum supernaturale non potest mereri per opus naturale; quia nullam habet proportionem ad supernaturale, nec per supernaturale, cum sit primum & nullum aliud præsupponat; ergo prima gratia non potest mereri.

Prob. 2. pars, quòd homo justus possit aliis mereri primam gratiam actualem de congruo fallibili, i. ex S. Scriptura. Job 42. 8. Deus iratus amicis Job dicit: *Ite ad servum meum Job, & offerte holocaustum pro vobis, Job autem servus meus orabit pro vobis, faciem ejus suscipiam, & Jac. 5. Orate pro invicem, ut salvemini.*

Ex quibus sic infero: Si Job potuerit suis amicis obtinere primam gratiam, & nos pro invicem, ut salvemur, orare debeamus, etiam possumus aliis obtinere primam gratiam ad salutem, alias frustra orabimus: atqui Job obtinuit amicis suis primam gratiam, nempe dum Deus ipsis adhuc erat iratus, & nos debemus pro invicem orare pro obtinenda salute; ergo homo justus potest aliis mereri primam gratiam.

Prob. 2. ex S. Augustino serm. 2. de Sanctis c. 4. ait: *Si Martyr Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum hodie non haberet.* Unde sic formo argumentum: Si S. Stephanus suâ oratione obtinuit conversionem S. Pauli, justus potest obtinere aliis primam gratiam: atqui S. Stephanus obtinuit juxta S. Augustinum conversionem Pauli; ergo homo justus potest alteri obtinere primam gratiam.

Prob. 3. pars, quòd homo justus possit mereri alteri primam gratiam de congruo tantum fallibili. Ad meritum de condigno, vel de congruo infallibili requiritur Dei

promissio : atqui Deus nullibi promisit , exaudire preces nostras pro aliis , sicut pro nobis ; quia , ut observat S. Augustinus Tract. 102. in Joan. illa verba Christi cap. 26. *Amen dico vobis , si quid petieritis Patrem in nomine meo , dabit vobis , ad eos , qui petunt propriè pertinent ; quia non utcumque dictum est , dabit , sed , dabit vobis.* Ergo homo justus non potest de condigno nec de congruo infallibili , sed tantum fallibili alteri mereri primam gratiam.

Prob. 4. pars , quòd homo cum prima possit mereri secundam gratiam actualem , etiam efficacem. Christus ait Matt. 7. v. 7. *Petite , & dabitur vobis ; & c. 13. 12. Qui enim habet , dabitur ei , & abundabit.* Et 1. Pet. 1. 10. *Satagite , ut per bona opera certam vestram vocationem , & electionem faciatis.*

Ex quibus sic formo argumentum : Si possimus omnia obtinere , quæ petimus , & abundare , & certam facere nostram vocationem , & electionem , etiam possumus mereri gratiam secundam actualem , etiam efficacem ad perseverandum : atqui ex verbis Scripturæ citatis possumus omnia obtinere , abundare , & vocationem , & electionem certam facere , & etiam Publicanus juxta S. Augustinum Tract. 44. in Joan. cooperando primæ gratiæ actuali obtinuit secundam , quâ justificatus est , & cooperans gratiæ remotæ , & orationis obtinet proximiorē , ut docent communiter Theologi ; ergo & mereri potest secundam gratiam , & etiam efficacem ad perseverandum.

Prob. 2. S. Augustino , & oratione Ecclesiæ. In Missa orat Ecclesia : *Et à te nunquam separari permittas :* atqui S. Augustinus Lib. 2. de dono perseverantiæ c. 17. dicit : *Restat in his bonis usque in finem perseverantia , quæ frustra quotidie à Domino poscitur , si non eam Dominus per gratiam suam in illo , cujus orationem exaudit , operatur &c.* ergo possumus mereri secundam gratiam etiam efficacem ad perseverandum.

Prob. 5. pars , quòd non de condigno , nec infallibiliter gratiam efficacem ad perseverandum promereri possumus , 1.º ex S. Scriptura. Phil. 2. 2. monemur omnes , ut cum metu & tremore nostram salutem operemur , & 1. Cor. 10. 12. *Qui stat , videat , ne cadat :* atqui si de condigno ,

vel de congruo infallibili possemus gratiam efficacem ad perseverandum mereri, possemus salutem sine timore, & tremore operari, & de relapsu non esset timendum, quod repugnat verbis Apostoli citatis; ergo non possumus gratiam secundam efficacem de condigno, nec de congruo infallibili mereri. Quia, licet Christus dicat Matth. 7. *Petite, & accipietis*, non tamen scimus, nos, uti oportet, orasse, nec omni infallibilitate id universaliter de omnibus gratis promittit.

Prob. 2. ex Concilio Trid. Sess. 6. Can. 16. ubi dicit: Si quis magnum illud perseverantiæ donum se certò habiturum absolutà, & infallibili certitudine dixerit, nisi hoc speciali revelatione didicerit, anathema sit: atqui si gratia finalis perseverantiæ de condigno, vel de congruo infallibili mereri possit, possemus certò scire, nos illud donum habituros; ergo gratia finalis perseverantiæ non potest mereri de condigno, nec de congruo infallibili.

Solvuntur objectiones.

Obj. Si possumus omnia obtinere à Deo, & quidem infallibiliter, etiam possumus mereri de condigno, vel saltem de congruo infallibili gratiam finalis perseverantiæ: atqui possumus omnia à Deo obtinere, & quidem infallibiliter: quia Christus Joan. 20. promittit universaliter: *Amen, amen dico vobis, si quid petieritis, Patrem in nomine meo, dabit vobis*; ergo possumus infallibiliter mereri gratiam finalis perseverantiæ.

Resp. dist. maj. Si possumus omnia obtinere à Deo, & quidem infallibiliter per modum mercedis, vel infallibiliter certitudine omnimodà, etiam ex parte nostrum, possumus etiam mereri de condigno, vel saltem de congruo infallibili gratiam finalis perseverantiæ, *con. maj.* si possumus obtinere per modum doni gratuiti, & non certitudine omnimodà ex parte nostrum, possumus etiam mereri gratiam finalis perseverantiæ de condigno, vel de congruo infallibili, *neg. maj. dist. min.* atqui possumus omnia obtinere à Deo per modum doni gratuiti, & non omnimodà certitudine, præcipue ex parte nostrum, *con. min.* per modum mercedis, & omnimodà certitudine, *neg. min. & conf.* Omnia quidem possumus obtinere à Deo per modum doni gratuiti,

& promissio Dei est infallibilis, sed ex parte nostrum non scimus certo, an eo modo illa petimus, quo à nobis exigit posci.

Inst. 1. Atqui possumus mereri de condigno gratiam efficacem per modum mercedis; ergo &c. *Prob. subs.* Qui potest mereri majus, potest etiam mereri minus: atqui potest homo justus mereri vitam æternam; ergo & perseverantiæ gratiam, quia est minor.

Resp. dist. maj. Qui potest mereri majus, potest & mereri minus in eodem genere, & cæteris paribus, *con. maj.* in diverso genere, & si cætera non sint paria, *neg. maj. concessã min.* quoad augmentum gloriæ, *neg. conf.* Disparitas autem est; quia Deus promittit perseverantibus usque in finem gloriã, non verò petentibus infallibiliter perseverantiæ gratiam.

Inst. 2. Atqui quilibet potest mereri de condigno, vel certitudine infallibili perseverantiæ gratiam; ergo. *Prob. subs.* Quilibet potest cum gratia actuali mereri efficacem subsequenter, & sic usque in finem: atqui hoc modo merendo, meretur etiam finalem; ergo etiam gratia finalis potest mereri.

Resp. dist. maj. Quilibet potest gratia actuali mereri subsequenter de condigno, & infallibiliter, *neg. maj. de congruo & fallibiliter, con. maj. concessã sub data distinctione min. neg. conf.* Nullibi enim promissum est, nos posse de condigno, vel de congruo infallibiliter mereri sequenter gratiam efficacem.

Inst. 3. Atqui possumus de condigno, & infallibiliter mereri gratiam efficacem subsequenter; ergo &c. *Prob. subs.* Qui potest mereri finem, potest etiam mereri media: atqui possumus mereri gloriã de condigno, & gratia efficax est medium; ergo etiam ipsam gratiam.

Resp. dist. maj. Qui potest mereri finem, potest etiam mereri media aliquando, *con. maj. semper, & in omnibus, neg. maj. concessã min. neg. conf.* Possumus enim cum prima gratia mereri vitam æternam, non tamen primam gratiam, quæ est medium ad illam.

Nota. Plura videnda suprà q. 1. a. 5. de necessitate & præparatione ad gratiam actualem contra Pelagianos, & solutiones objectionum ibid.

CONCLUSIO II.

Nemo potest sibi, nec alteri mereri de condigno primam gratiam habitualem, nec jus ad primum gradum gloriæ eidem correspondentem, nec reparationem suam post lapsum futurum: potest tamen de condigno mereri ipsam gloriam jure per gratiam acquisito de condigno debitam, & augmentum gratiæ sanctificantis, ac gloriæ ei correspondentis, & bona temporalia, in quantum ad salutem necessaria, & utilia sunt.

Prob. 1. pars, quòd nemo possit sibi, vel alteri mereri de condigno primam gratiam habitualem. Rom. 5. 24. Justificati gratis per gratiam ipsius. Tim. 3. 5. Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam salvos nos fecit. Rom. 6. Gratia autem vita æterna.

Ex quibus sic argumentor: Si homo posset sibi, vel alteri mereri de condigno primam gratiam habitualem & jus ad primum gradum gloriæ correspondens, non essemus justificati gratis gratiâ ipsius, nec esset gratia vita æterna, sed ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos: atqui hæc omnia ex Apostolo Paulo citato falsa sunt; ergo nemo potest sibi, vel alteri mereri de condigno primam gratiam habitualem, & primum gradum gloriæ correspondentem.

Prob. 2. ex Concilio Trid. Sess. 6. cap. 8. Gratis autem justificari ideo dicimur; quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera ipsam justificationis gratiam promerentur.

Ex quo sic arguo: Si homo posset sibi, vel alteri mereri primam gratiam habitualem, & jus ad primum gradum gloriæ ei correspondentem, id fieret per opera, quæ justificationem præcedunt: atqui nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, nec fides, nec opera ipsam justificationis gratiam promerentur, ut dicit Concilium Trid. Ergo nemo potest, nec sibi nec alteri, de condigno mereri primam gratiam habitualem, & primum gradum gloriæ correspondentem.

Prob. 3. ratione. Omne meritum de condigno præsupponit gratiam habitualem, & hominem justum; quia gratia habitualis elevat nostra bona opera ad condignitatem gloriæ: atqui, quod præsupponitur omni merito, non potest esse illius effectus, & per meritum

causari, aliàs effret prius seipso, & postorius, quod implicat; ergo nemo potest mereri primam gratiam habitualem.

Prob. 4. specialiter, quòd jus ad primum gradum gloriæ non possit mereri de condigno. Quod retribuendum est homini nullum habenti meritum de condigno, non meretur de condigno: atqui homini per contritionem perfectam justificato, & accipienti primum gradum gratiæ tribuitur simul jus ad primum gradum gloriæ sine ullo merito de condigno; quia contritio, quâ justificatur, non est meritoria de condigno, & gloria illi in tali statu morienti tribuitur, si nullum aliud opus præstaret meritorium; ergo jus ad primum gradum gloriæ non meretur homo de condigno.

Prob. 2. pars, quòd homo acquisito jure per gratiam ad primum gradum gloriæ, ipsam gloriam ei correspondentem de condigno mereatur. Homo, acquisito jure ad primum gradum gloriæ ipsam gloriam de condigno meretur, si supposito tali jure gloria ipsi ex justitia debeatur: atqui acquisito jure per contritionem, & gratiam ad primum gradum gloriæ, ipsa gloria ex justitia ipsi deberetur, sicut adoptato ad hæreditatem ex gratia, ipsa hæreditas ex justitia est debita; ergo homo acquisito jure ad primum gradum gloriæ, licet de congruo; ipsam tamen gloriam de condigno meretur, non quidem per novum actum eliciendum de condigno meritorium, sed per ipsam gratiam, & jus ad gloriam per contritionem de congruo tantum meritoriam acquisitum, & sic fortè diversæ sententiæ reconciliari possunt, dicendo, gloriam de condigno, & jus ad illam de congruo infallibili per contritionem mereri.

Prob. 3. pars, quòd homo non possit mereri reparationem suam post lapsum futurum. Ezech. 18. 24. *Si averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem . . . omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur.*

Ex quo textu sic argumentor: Si homo justus de condigno, vel congruo infallibiliter posset mereri reparationem lapsus futuri, posset mereri, quòd Deus recordaretur justitiæ ejus præcedentis, & aliquid meriti præcedentis remaneret in peccatore: Atqui Deus non vult recordari omnium justitiarum, quas fecerat pecca-

peccator, & nihil meriti præcedentis manet in peccatore; ergo homo non potest, nec de condigno nec de congruo, saltem infallibiliter mereri reparationem lapsus futuri. Hæc videtur expressa doctrina S. Thomæ, qui 1. 2. q. 114. a. 7. ait: *Nullus potest sibi mereri reparationem post lapsum futurum, neque merito condigni, neque merito congrui.* De congruo tamen fallibili, & latè sumpto posse mereri videtur probabile; quia peccator de congruo potest cum gratia mereri suam reparationem, cur non justus? Et Lib. 2. Paral. 19. Deus ob bona opera præcedentia iram, quam impius merebatur, condonavit, & Deum justitiæ peccatoris non recordari, potest intelligi in ordine ad meritum de condigno, vel de congruo strictè dicto.

Prob. 4. pars, quòd homo possit mereri de condigno augmentum gratiæ habitualis, ac gloriæ correspondentis, 1.º ex S. Scriptura Prov. 4. 18. Justorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit usque ad perfectum diem. 2.º Cor. 9. 10. Augebit incrementa frugum justitiæ vestræ.

Ex quibus sic argumentor; Si justus crescat in justitia usque ad perfectum diem, nempe vitæ æternæ, & Deus augeat incrementa frugum justitiæ, potest homo justus mereri de condigno augmentum gratiæ, & gloriæ: atqui justus crescit in justitia usque ad perfectum diem, nempe vitæ æternæ, & Deus auget incrementa frugum justitiæ, quæ sunt vitæ æternæ; ergo potest homo justus mereri augmentum gratiæ, & gloriæ de condigno; quia omnes conditiones meritum de condigno habet.

Prob. 2. ex Concilio Trid. quod Sess. 6. Can. 32. dicit: Si quis dixerit . . . ipsum . . . justificatum . . . non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ (si tamen in gratia decesserit) consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum, anathema sit! atqui verè mereri est mereri de condigno; ergo homo justus potest de condigno mereri augmentum gratiæ & gloriæ.

Prob. 3. ex S. Augustino, qui Tract. 5. in Epist. Joan. ait: Charitas meretur augeri, ut aucta mereatur perfici; sed charitas, & gratia habitualis non distinguuntur; ergo gratia potest mereri augmentum gratiæ.

Prob. 4. ratione. Homo justus potest mereri de condigno augmentum gratiæ, & gloriæ, si illius opera omnes habere possint conditiones ad meritum de condigno requisitas in ordine ad gratiam & gloriam: atqui opera hominis justii possunt habere omnes conditiones requisitas ad meritum de condigno in ordine ad gratiam, & vitam æternam, quia possunt esse honesta, libera, supernaturalia, & fieri in obsequium Dei, juxta illius promissionem, & procedere ex charitate, & habitu gratiæ, quæ sunt conditiones ad meritum de condigno requisitæ; ergo homo justus potest mereri de condigno augmentum gratiæ & gloriæ.

Prob. 5. pars, quod homo justus possit mereri bona temporalia de condigno, in quantum ad salutem sunt necessaria, vel utilia. Qui potest de condigno mereri finem, potest etiam mereri media ad illum, saltem si non sint principium meriti, ut prima gratia: atqui justus salutem æternam de condigno mereri potest; ergo & bona temporalia, in quantum sunt media necessaria, vel utilia ad salutem.

Confirmatur ex S. Thoma, qui dicit: Bona temporalia cadere sub merito directè, & simpliciter, sicut & augmentum gratiæ: atqui augmentum gratiæ potest de condigno mereri; ergo & bona temporalia.

Solvuntur objectiones contra primam partem, de merito condigno primæ gratiæ.

Obj. Meritum de condigno est, quod oritur ex debito justitiæ: atqui actui contritionis perfectæ, vel charitatis perfectæ gratia habitualis est debita ex justitiâ; quia Deus illi promissit gratiam, & promissio inducit obligationem justitiæ; ergo datur meritum de condigno gratiæ habitualis.

Resp. dist. maj. Meritum de condigno est, quod oritur ex debito justitiæ, & condignitate operis, *con. maj.* ex sola promissione, *neg. maj. concessâ min. neg. conf.* Præter promissionum ad meritum de condigno requiritur gratia habitualis, opus meritum dignificans, & mercedi promissæ adæquans. Contritio autem perfectæ, cum sit peccatoris, & gratiâ habituali carens, non est proportionata merito gratiæ & gloriæ.

Inst. 1. Atqui contritio perfecta etiam est condigna; ergo &c. *Prob. subs.* Si contritio non esset condigna, Deus non ut justus, sed ut misericors, vel fidelis conferret gratiam, & remissionem; quia justitia supponit æqualitatem: atqui Deus perfecte conterenti, non solum ut misericors, & fidelis, sed etiam ut justus confert gratiam, & remissionem, prout indicat S. Joannes 1. Joan. 1. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & justus, ut illa remittat;* ergo contritio perfecta etiam est condigna.

Resp. dist. min. Atqui Deus perfecte conterenti non solum, ut misericors, & fidelis, sed etiam confert gratiam ut justus, justitiã latè sumptã, pro fidelitate & veracitate, *con. min.* ut justus scilicet sumptã justitiã strictè, pro æqualitate valoris cum præmio, *neg. min.* & *conf.* S. Joannes sumit justitiam, sicut Psalmista Psal. 50. dicens de Deo: *Ut justificeris in sermonibus tuis;* id est; ut reperiaris fidelis, & verax in promissionibus tuis, ac sine mendacio, ac infidelitate.

Inst. 2. Atqui Deus perfecte conterenti ex justitia strictè, & de condigno merenti dat gratiam; ergo &c. *Prob. subs.* Deus dat gratiam non nisi digno; indignos enim repellit Deus, sicut & Ecclesia juxta ipsius verba, *nolite sancti projicere canibus;* atqui si det gratiam dignis, dat ex justitia strictè dicta, & de condigno merenti; ergo Deus perfecte conterenti ex justitia strictè dicta, & de condigno merenti dat gratiam.

Resp. dist. maj. Deus dat gratiam non nisi digno ad æqualitatem cum præmio, *neg. maj.* digno ad Sacramentum recipiendum, id est, debite præparato, *con. maj. dist. min.* atqui si Deus dat gratiam dignis ad æqualitatem præmii, dat ex justitia, *con. min.* si det gratiam dignis, id est, debite præparatis, *neg. min.* & *conf.* Unde indignos quidem excludit Deus à gratia, propterea non sequitur illos, quibus dat gratiam, habere condignitatem operis ad mercedem.

Inst. 3. Atqui dat gratiam non nisi digno, id est, de condigno merenti gratiam; ergo &c. *Prob. subs.* Si Deus dat vitam æternam, illam de condigno merenti, etiam dat gratiam de condigno merenti; quia eodem opere, & in eodem instanti gratia, & gloria meretur

atqui de condigno meremur vitam æternam; ergo & gratiam. *Prob. min.* S. Augustinus dicit Epist. 103. *Sicut merito peccati tanquam stipendium redditur mors, ita merito justitiæ tanquam stipendium vitæ æternæ . . . dicitur enim rectè stipendium, quia debetur, quia dignè retribuitur, quia merito redditur: atqui, quod tanquam stipendium dignè, & merito redditur, & sicut mors peccato est meritum de condigno; ergo ex S. Augustino vita æterna de condigno meretur.*

Resp. dist. min. Atqui de condigno meremur vitam æternam; supposita gratiâ habituali, ac jure acquisito ad illam per adoptionem, *con. min.* de condigno meremur vitam æternam quoad ipsum jus, *neg. min. & conf.* quoad *Prob. min. dist. min.* atqui, quod tanquam stipendium dignè, & merito ob dignitatem operis, & sicut mors peccato redditur, est meritum de condigno, *con. min.* quod tanquam stipendium dignè, & merito ob liberalitatem remunerantis redditur, est meritum de condigno, *neg. min. & conf.* S. Augustinus non intelligitur in sensu ita stricto de merito condigno ex æqualitate operis desumpto, sed ex promissione Dei, qui cum promiserit gratiam, & gloriam verè poenitenti, dignum, & iustum est, ut promissionem suam adimpleat.

Inst. 4. Atqui etiam meremur vitam æternam quoad ipsum jus gloriæ de condigno; ergo &c. *Prob. subs.* Si jus gloriæ non posset promereri de condigno, ideo esset; quia est simul cum merito gratiæ: atqui jus gloriæ non est ita simul, ut non possit mereri; ergo potest mereri. *Prob. min.* S. Thomas 1. 2. q. 112. a. 2. ad 1. ait: *Præparatio hominis, ad habendam gratiam, quædam est simul cum ipsa infusione gratiæ, & talis operatio est quidem meritoria, sed non gratiæ, quæ jam habetur, sed gloriæ, quæ nondum habetur; ergo non est gloria ita simul cum gratia, ut non possit mereri.*

Resp. dist. ant. Talis operatio, nempe præparatio peccatoris, & infusio gratiæ est meritoria gloriæ quoad actualem illius possessionem, hoc est, digna est gloriæ, *con. ant.* talis operatio est meritoria gloriæ quoad jus, *neg. ant. & conf.* Meritum enim gratiæ est etiam meritum juris ad gloriam. Nam per primum gradum gratiæ

habitualis homo fit filius Dei, ac hæres vitæ æternæ, & jus acquirit ad gloriam; ac proinde cum non mereatur gratiam de condigno, nec de condigno meretur jus ad gloriam. Meretur tamen ipsam actualem gloriam de condigno, quia suppositâ gratiâ habituali, ac jure ad gloriam, ex justitia debetur.

Inst. 5. Atqui talis præparatio est meritoria juris ad gloriam; ergo &c. *Prob. subs.* Juxta Concilium Trid. Sess. 6. 32. homo verè potest mereri gloriam, & illius augmentum: atqui verè mereri gloriam est acquirere jus ad gloriam de condigno; ergo homo potest mereri gloriam, etiam quoad jus.

Resp. dist. maj. Juxta Concilium Trid. homo potest verè mereri gloriam quoad illius augmentum, *con. maj.* quoad jus ad primum gradum gloriæ, *neg. maj. concessâ min. neg. conf.* Concilium enim Trid. debet intelligi de augmento gloriæ, sicut de augmento gratiæ, in quod particula, *verè*, immediatè cadit, non verò in ipsam primam gratiam, vel jus ad gloriam.

Solvuntur objectiones contra secundam partem.

Obj. 2. Paral. 14. Deus Regi Josaphat non iratus est irâ, quam merebatur; quia impio auxilia præbuit, ob bona opera inventa in eo: atqui illa bona opera inventa erant ante peccatum, & ante iram; ergo potest quis remissionem, vel saltem non impurationem futuram peccati mereri.

Resp. dist. maj. Deus Regi Josaphat non iratus est irâ, quam merebatur, ob bona opera antea facta, ex aliqua congruentia infallibili, vel propriè dictâ, *neg. maj.* ex aliqua congruentia impropriè, & latè dictâ, *con. maj. concessâ min. neg. conf.* Unde Scriptura vult tantum dicere, Deum non in perpetuum abjecisse Josaphat ob bona opera præcedentia ex aliqua speciali liberalitate, non verò ob aliquod meritum præcedens propriè dictum.

Inst. 1. Atqui reparatio lapsus futuri potest mereri saltem de congruo propriè dicto; ergo &c. *Prob. subs.* Si non posset mereri reparatio lapsus ex aliquo merito de congruo propriè dicto, frustra pro illa fieret oratio: atqui Psalmista Psal. orat: *Cum defecerit virtus mea, ne*

derelinquas me Domine ; ergo potest reparatio lapsus propriè, saltem de congruo mereri.

Resp. dist. maj. Si non posset mereri reparatio lapsus futuri aliquo merito propriè dicto, id est, si sine ulla spe obtinendæ veniæ fieret oratio, frustraneæ esset, *con. maj.* si fieret sine merito de congruo, frustraneæ esset, *neg. maj. concessâ min. neg. conf.* Deinde Psalmista non videtur loqui de lapsu, sed de alia infirmitate.

Inst. 2. Atqui homo justus potest propriè sibi mereri reparationem lapsus futuri; ergo &c. *Prob. subs.* Justus potest mereri reparationem alteri; ergo & sibi.

Resp. neg. conf. & paritatem. Disparitas est, quia nullum est impedimentum ex parte merentis, cum justus sit pro tempore, quo meretur alteri reparationem. Econtra verò per peccatum omne meritum præcedens amittitur, & pro reparatione lapsus nullum potest amplius habere effectum.

Quares. Quomodo gratia habitualis producat, & augeatur?

Resp. 1. Quamvis præparatio cum gratia actuali ad gratiam habitualem fiat successivè, prout Concilium Trid. Sess. 6. cap. 5. & de justificatione impii docet, productio tamen, & infusio gratiæ videtur instantanea; quia fit ab agente infinitæ virtutis, & perfectionis, quod nullo medio, vel impedimento retardari potest, sed positâ ultimâ dispositione instantaneè producitur.

Resp. 2. Quamvis gratia habitualis non mereatur de condigno, nec jus ad primum gradum gloriæ, sed duntaxat de congruo infallibili; quia contritio, quæ meretur, est opus peccatoris, qui non meretur de condigno, ut supra dictum est: ipse tamen primus gradus gloriæ meretur de condigno; quia gratiæ, ac juri ad illam de condigno debetur; ergo à potiori illius augmentum: unde per quemlibet actum bonum, habentem condiciones supra ad meritum de condigno requisitas, etiam per actus remissiores habitu gratiæ, & illorum continuationem meretur justus de condigno augmentum gratiæ & gloriæ; quia gradus gloriæ correspondent gradibus gratiæ juxta Apostolum, qui dicit 1. Cor. 3. 8. *Unusquisque propriam mercedem accipiet*

secundum suum laborem. Et 2. Cor. 9. 6. Qui parce seminat, parce & metet.


Dices. Habitus non augetur per actus remissiores, ut multi docent in Philosophia; quia actus non potest producere habitum intensiorem se, & ad illius augmentum nova & intensior requiritur dispositio, quæ non potest provenire ab actu remissiore habitu: atqui gratia habitualis est habitus, & gloria ei correspondet; ergo nec gratia, nec gloria augetur quolibet actu meritorio de condigno etiam remissiore habitu.

Resp. dist. maj. Habitus naturalis non augetur per actus remissiores, *transseat maj.* habitus supernaturalis, ut gratia, *neg. maj. concessã min. neg. conf.* Dixi transseat, quia multi negant, habitus naturales non posse augeri per actus remissiores. Habitus autem supernaturales augentur per actus remissiores; quia illius augmentum non dependet à dispositione naturali, nec producitur ab actu meritorio physicè, sed moraliter juxta moralem operis valorem, nec per actum remissum necessario producitur tota intensio habitus, sed tantum illius augmentum.

Dices 2. juxta SS. Patres: In via Dei non progredi, est regredi, & qui non agit secundum totam intensiorem habitus, utpote remissè, & negligenter agens, non meretur augmentum præmii; ergo per actus remissiores habitus non potest augeri.

Resp. dist. ant. Non progredi culpabiliter, est regredi, & remissè, ac negligenter agens ex negligentia culpabili, & tædio spiritualium, non meretur augmentum præmii, *con. ant.* non progredi inculpabiliter, est regredi, vel remissè agens absque alia culpa, & præcepto aliter agendi non meretur præmium, si alia requisita adsint ad meritum, *neg. ant. & conf.* Unde SS. Patres supponunt negligentiam, vel tædium culpabile, & obligationem progrediendi.

FINIS QUARTI TOMI SPECULATIVÆ.




INDEX TITULORUM
TRACTATUS
DE DIVINÆ GRATIÆ AUXILIO.

QUÆSTIO I. DE ESSENTIA ET NECESSITATE
GRATIÆ.

- ARTICULUS I. Quid & quotuplex sit gratia?* Pag. 1.
- Prænot.* 1. De Gratia generaliter sumpta. ibid.
 2. De Gratia divisione. 4.
 3. De Gratia actuali. 5.
 4. De famosa divisione gratiæ in sufficientem & effi-
 cacem. 6.
- ARTICULUS II. Quotuplex sit status naturæ humanæ.* 7.
- Prænot.* 1. Triplex status generis humani consideratur. ibid.
 2. Triplex status, in quo collocari potuisset. 8.
- Conclusio.* Quamvis status naturæ puræ nunquam extiterit, fuit
 tamen possibilis. 10.
- Solvuntur objectiones contra secundam partem.* 11.
- ARTICULUS III. Quinam fuerint circa necessitatem gratiæ
 errores.* 27.
- Conclusio.* Pelagiani nullam gratiam internam actionis, ipsas
 potentias intellectus, & voluntatis internæ efficientem, ac
 physicè excitantem, & adjuvantem, nec gratiam habitualementem
 intus sanctificantem unquam admiserunt; nec Semipelagiani
 gratiæ interioris prævenientis ad initium fidei necessitatem,
 ac proinde præcipua S. Augustini cum Pelagianis, & Semi-
 pelagianis disputatio fuit circa gratiæ internæ actualis ad
 singulos pietatis actus etiam initium fidei necessitatem, non
 verò circa gratiam necessitantem, & circa modum illius
 efficacis minus sollicitus fuisse videtur. 31.
- Solvuntur objectiones contra primam partem.* 33.
- Solvuntur objectiones contra secundam partem.* 39.
- Solvuntur objectiones contra tertiam partem.* 41.
- Solvuntur objectiones contra quartam partem.* 45.
- ARTICULUS IV. Quodnam gratiæ auxilium necessarium fuerit
 Adamo innocenti ad bene agendum, & in iustitia accepta
 perseverandum.* 51.
- Prænot.* 1. Divisio gratiæ in adiutorio quo & sine quo. ibid.
 2. Divisio gratiæ finalis. 52.

I N D E X.

3. Gratia sanctificans infusa Adamo innocenti. 52.
- Conclusio.* Quamvis juxta S. Augustinum Angeli, ac Adamus innocens habuerint adjutorium perseverantiæ sufficiens, sine quo non permanere potuissent in justitia accepta, & quo in ea permanere potuissent, si voluissent; ut actu tamen, vel infallibiliter permanerent, indiguerunt adjutorio quo, seu efficaci, quo homo, & Angeli lapsi suâ culpâ caruerunt; quia sufficienti-cooperari neglexerunt. 53.
- Solvuntur objectiones contra primam partem.* 54.
- ARTICULUS V. An, & quomodo gratia sit necessaria ad cognitionem veri, de prosecutionem boni?** 58.
- Prænot.* 1. Veri divisio. *ibid.*
 2. Tria in vero supernaturali distinguenda. *ibid.*
 3. Boni divisio. *ibid.*
 4. Tria in bono morali consideranda. *ibid.*
 5. Amoris divisio. 59.
 6. Legis divisio. 60.
 7. Gratia supernaturalis quotuplex sit. *ibid.*
 8. Quid tentatio. *ibid.*
 9. Potentia quotuplex. *ibid.*
 10. Perseverantia quotuplex. *ibid.*
- Conclusio I.* Homo lapsus solo Dei concursu ordinario multas intelligere potest veritates naturales tam practicas, quam speculativas, potentia etiam morali, imò omnes non solum distributive, sed etiam collective potentiam saltem physicam; non potest tamen omnes cognoscere potentiam morali sine speciali gratiæ auxilio, multo minus veritates supernaturales, ut mysteria fidei, nec potentiam physicam sine revelatione, nec ea credere fide supernaturali, etiam suppositâ revelatione, sine actuali gratia interna intellectum illuminante, & voluntatem ad assensum excitante: potest tamen eas credere fide humanâ, suppositâ gratiâ externa prædicationis, vel revelationis externæ. 61.
- Solvuntur objectiones contra primam partem.* 64.
- Solvuntur objectiones contra quartam partem.* 69.
- Conclusio II.* Homini in statu naturæ lapsæ, etiam justificato gratiâ actualis interior absolute est necessaria ad omne opus bonum salutare conducens ad vitam æternam incipiendum, vel persciendum; nec viribus naturæ ad gratiam se præparare potest, ita ut concedatur vitæ ex sola recta ratione sine gratia institutæ, vel amotioni obicis gratiæ tanquam dispositioni etiam tantum remotæ, vel conditioni, aut occasione certâ lege: sed prima gratia est omnino gratuita. 76.
- Solvuntur objectiones contra utramque partem.* 78.

I N D E X,

<i>Conclusio III.</i> Non potest homo lapsus sine gratia interna actuali 1. ^o à peccato resurgere, 2. ^o nec justificatus in iustitia accepta diu, & usque in finem perseverare, 3. ^o nec omnes tentationes, præcipuè graviorès superare, 4. ^o nec Deum etiam ut auctorem naturæ, amore efficaci, & appretiative perfecto super omnia amare, 5. ^o nec potentiâ morali omnia legis naturalis præcepta, etiam quoad substantiam, tantum observare sine gratia supernaturali, saltem secundum quid; multò minus supernaturalia, vel naturalia quoad modum; nempe meritorie, etiam potentiâ physicâ sine gratia simpliciter supernaturali, 6. ^o nec omnia peccata mortalia longo tempore evitare sine gratia habituali, 7. ^o nec omnia venialia toto vitæ suæ tempore, cum gratis ordinariis sine speciali Dei privilegio (quale B. Virgini MARIE concessum fuisse, creditur) evitare.	85,
<i>Solvuntur objectiones contra primam partem.</i>	90.
<i>Solvuntur objectiones contra secundam partem.</i>	91,
<i>Solvuntur objectiones contra tertiam partem.</i>	96.
<i>Solvuntur objectiones contra quartam partem.</i>	98.
<i>Solvuntur objectiones contra quintam partem.</i>	100.
<i>Solvuntur objectiones contra sextam partem.</i>	103.
<i>Conclusio IV.</i> Potest homo lapsus sine gratia & fide, solq̄ Dei concursu ordinario 1. ^o aliqua opera moraliter bonæ ordinis naturalis perficere, ut diligere Deum, ut auctorem naturæ, amore inefficaci, & imperfecto tam benevolentia, quam castæ concupiscentiæ laudabili, ac leves superare tentationes; ita, ut non omnia infidelium, & peccatorum opera sint peccata. 2. ^o Potest etiam aliqua ordinis supernaturalis, ut contritionem elicere, saltem sine gratia habituali cum sola interna actuali. 2. ^o Legis naturalis præcepta absolute potentiâ physicâ servare.	105.
<i>Solvuntur objectiones contra primam partem.</i>	108.

QUÆSTIO II. DE GRATIA SUFFICIENTE ET EFFICACI.

ARTICULUS I. An, qualis, & quibus detur gratia sufficiens ?

<i>Prænot.</i> 1. Gratiam actualem variè dividi.	127.
2. Ad gratiam varia concurrere Dei auxilia.	<i>ibid.</i>
3. Gratiam sufficientem dupliciter considerari.	128.
4. Eundem gratiam adhuc esse duplicem.	<i>ibid.</i>
5. Errores circa gratiam.	<i>ibid.</i>
6. Quid de fide certum sit.	129.
7. Quid hic certum sit omnibus orthodoxis.	<i>ibid.</i>
8. Quænam hic Scholæ opinionès,	130.

I N D E X.

Conclusio I. Datur gratia actualis interna verè , ac relativè sufficiens , quæ in actu secundo , & entitative est ipse actualis Dei concursus supernaturalis , quo intellectum , & voluntatem supra suam naturam elevans , ac bonum in ipsis incipiens ad deliberatè cooperandum suaviter , & moraliter allicit , ita , ut homo cum eodem gratiæ auxilio continuato sine alio entitative distincto actu cooperari possit , si velit , non tamen ei cooperatur ex fœcordia , vel illi resistendo , vel quia alios motus gratiæ oppositos à concupiscentia , vel à dæmone , vel ab objectis excitatos præferens , illis cooperatur. 130.

Solvuntur objectiones.

135.

Conclusio II. Gratia actualis relativè sufficiens confertur à Deo non solum omnibus justis urgente præcepto , ut Fides docet ; verùm etiam omnibus adultis , injustis , obduratis , & infidelibus , qua peccata vitare , & à commissis rescipere , vel quæ saltem uberius per orationem , aut gratiæ remotæ cooperationem , auxilium , ac immediatè sufficiens impetrare possunt , non verò parvulis : pro ipsis tamen aliud præparavit salutis remedium , nempe in Lege nova Baptismum , ac de illo ipsis applicando sufficienter , quantum ex se est , providit ; quamvis per causas secundas , vel cursum naturæ aliquando perturbatum , vel per peccatum , aut negligentiam parentum , non obtemperando divinis inspirationibus , illo non raro priventur.

147.

Solvuntur objectiones contra primam partem.

150.

Solvuntur objectiones contra secundam partem.

158.

Solvuntur objectiones contra tertiam partem.

170.

ARTICULUS II. De Efficacia Gratia.

175.

Prænot. 1. Gratiam variè efficacem dici.

ibid.

2. Aliam esse remotè , aliam proximè efficacem.

176.

3. Quid sit delectatio.

ibid.

4. Delectationem variè intelligi.

ibid.

5. Quid , & quotuplex determinatio.

177.

6. Differre inter se præmotionem physicam & moralem

178.

7. Quid hic certum sit orthodoxis.

ibid.

8. Quomodo gratia efficax in actu primo componatur cum infallibilitate , &c.

179.

9. Errores circa hanc quæstionem.

ibid.

10. Opiniones Scholæ circa illam.

181.

Conclusio I. Gratia efficax theologicè , ac in actu primo strictè sumpta non constituitur per prædeterminationem physicam in sensu Calvinii , & aliorum Prædestinationariorum voluntatem physicè necessitantem ; nec per delectationem cœlestem relativè vittricem in sensu Jansenii , pariter necessitantem ,

I N D E X.

- ut Fides docet; nec per decretum Dei absolutum in sensu Thomistarum prædeterminans, vel in sensu Scotistarum concomitans, ac condeterminans, non præsuppositâ scientiâ mediâ; nec per delectationem in sensu Augustinianorum victricem, moraliter duntaxat necessitantem; nec per solum voluntatis consensum in sensu Molinæ; nec per solam congruitatem internam, seu virtutem aptatam voluntati, ac natam ad exprimendum illius consensum in sensu Mascarenæ; nec per externam, à tempore, loco, circumstantiis, indole &c. sumptam in sensu Suaresii; nec per solam multitudinem auxiliorum in sensu Thomasini. 183.
- Solvuntur objectiones contra primam partem.* 191.
- Solvuntur objectiones contra secundam partem.* 197.
- Solvuntur objectiones contra tertiam partem.* 207.
- Solvuntur objectiones contra alias partes.* 224.
- Conclusio II.** Gratia efficax theologicè & in actu primo sumpta, est ipsa entitas gratiæ prævenientis intrinseca cum prævisione infallibili liberæ cooperationis voluntatis ex speciali Dei misericordia præ alia, liberum voluntatis consensum non illaturâ, à Deo ab æterno pro tempore prædesinita. Ac proinde in recto est ipsa gratiæ entitas ex se versatilis, prout in obliquo præscientiam, ac Dei Decretum importat. In actu verò secundo est ipse actualis prædictæ entitatis gratiæ influxus, quo cum tali prævisione, & decreto actu voluntatem prævenit, excitat, & consentientem adjuvando, & concomitando usque ad perfectam operis salutis consummationem supernaturaliter in suo ordine movet, ac dirigit.
- Solvuntur objectiones.* 228.
- ARTICULUS III.** An quinque propositiones Jansenii, ac centum & una Quesnelli legitime ac canonicè damnatæ sint iudicio Ecclesiæ irreformabili, cui fideles corde ac animo adherere tenentur. 224.
- Prænot.** Quid hic plurimi SS. Pontifices deciderint. *ibid.* & 225.
- Conclusio I.** Quinque Jansenii propositiones canonicè, ac iudicio irreformabili in sensu Libri Jansenii damnatæ sunt, quibus fideles omnes sincerè corde ac animo adherere tenentur, nec religiosum sufficit silentium circa factum dogmaticum, & attributionem Libro Jansenii. *ibid.*
- Solvuntur objectiones.* 246.
- Conclusio II.** Legitima ac canonica est Constitutio CLEMENSIS XI. *Unigenitus*, centum & unam propositiones damnans, & non est mera disciplinæ, ac politiæ lex, sed iudicium Ecclesiæ universalis dogmaticum, ac certissimum; cui singuli fideles corde & animo quoque adherere tenentur.

I N D E X.

Solvuntur objectiones contra primam partem. 251.
Solvuntur objectiones contra secundam & tertiam partem. 253.

QUÆSTIO III. DE GRATIA HABITUALI.

ARTICULUS I. In quo consistat Gratia habitualis? 258.

Prænot. 1. Definitio Gratia habitualis. *ibid.*
 2. Errores circa gratiam habitualem. *ibid.*
 3. Opiniones Scholæ. *ibid.*

Conclusio. Gratia habitualis, quâ justî sumus, non est homini justo quid merè extrinsecum, sed donum Dei supernaturale permanens, & homini justo intrinsecum illius animæ inhærens, & non distinguitur realiter ab habitu charitatis, sed tantùm virtualiter, seu ratione ratiocinatâ. *ibid.*

Solvuntur objectiones contra primam partem. 262.

Solvuntur objectiones contra secundam partem. 267.

ARTICULUS II. An gratia creetur, & quænam sint causæ gratiæ habitualis? 271.

Prænot. 1. Quid sit creatio. *ibid.*
 2. Quot sint genera causarum, *ibid.*

Conclusio I. Gratia habitualis non creatur, sed educitur è potentia obedienciali animæ. *ibid.*

Solvuntur objectiones. 272.

Conclusio II. Solus Deus est causa principalis, & physica efficiens gratiam habitualem. *Est de Fide.* 275.

Solvuntur objectiones. 274.

Conclusio III. Causa principalis moralis efficiens, & meritoria gratiæ habitualis est Christus Dominus. *Est de Fide.* Causa quasi materialis ex qua, & subjectiva est anima, ex cujus potentia obedienciali educitur, & cui inhæret. Causa finalis est gloria Dei, ac Christi Mediatoris; vita æterna, & glorificatio justorum. Causam formalem non habet, sed ipsa est forma, & causa formalis justificationis nostræ. 275.

ARTICULUS III. In quo consistat justificatio impii, & quænam aliæ sint gratiæ habitualis effectus. *ibid.*

Prænot. 1. Quid sit justificatio. 275.
 2. Quotuplici modo sumatur. 276.
 3. Licet supernaturalis sit, non exinde miraculosa. *ibid.*
 4. Quid judicent circa illam Lutherus & Calvinus. *ibid.*

Conclusio I. In justificatione impii peccata non solum teguntur, seu non imputantur, sed verè ac propriè remittuntur, & auferuntur per veram intrinsecam justitiam, & gratiam habi-

I N D E X.

- tualem illi inhærentem, ac per internam hominis renovâ-
tionem. Nec potest fieri absolutâ Dei potentiâ per solum
favorem extrinsecum sine interna per infusionem gratiæ mu-
tatione. 277.
- Solvuntur objectiones contra primam partem.* 280.
- Solvuntur objectiones contra secundam partem.* 285.
- Conclusio II.** Præter justificationem impii, & expulsionem pec-
cati alii gratiæ habitualis effectus sunt 1. reddere hominem
Deo gratum & amicum. 2. Filium Dei adoptivum & hæredem
vitæ æternæ. 3. Naturæ divinæ, omniumque virtutum theolo-
gicarum, & moralium supernaturalium, ac donorum Spiritûs
Sancti participem. 4. Communicatio ipsius personæ Spiritûs
Sancti. 5. Dignitas; & valor bonorum operum in ordine
vitam æternam. 286.
- ARTICULUS IV.** An gratiâ ex natura sua formaliter; & phy-
sicè expellat peccatum, secluso Dei favore; & an absolutâ
Dei potentiâ simul cum peccato stare possit? 288.
- Prænot.** 1. Quâ ratione gratia peccatum expellat. *ibid.*
2. Peccatum veniale stare cum gratia. *ibid.*
3. Peccatum viâ ordinariâ cum gratia non stare. *ibid.*
- Conclusio.** Gratia habitualis ex natura sua formaliter, & phy-
sicè expellit peccatum, hominemque justificat; nec abso-
lutâ Dei potentiâ gratia adæquatè sumpta, & peccatum
simul stare possunt. *ibid.*
- Solvuntur objectiones contra primam partem.* 290.
- Solvuntur objectiones contra secundam partem.* 292.
- ARTICULUS V.** An & qualis pro justificatione requiratur præ-
paratio? 295.
- Prænot.** 1. Quotuplex sit in adulto dispositio ad justificationem. *ibid.*
2. Quotuplici modo Lutherani & Calvinistæ distinguant
fidem. *ibid.*
3. Quot hic & A catholicorum errores. 296.
- Conclusio.** In homine adulto, qui sui est compos, requiritur ad
justificationem per gratiam habitualement aliqua dispositio, quæ
ex parte intellectûs est fides dogmatica, quâ non solum
promissa, sed omnia alia à Deo revelata propter illius aucto-
ritatem, ac veracitatem credimus; quæ tamen non sola
sufficit, sed etiam ordinariè concurret ex parte voluntatis
timor Domini, & requiritur spes veniæ, dilectio Dei, pœni-
tentia, propositum novæ vitæ, & observanda omnia Dei
mandata. 296.
- Solvuntur objectiones contra primam partem.* 301.
- Solvuntur objectiones contra secundam partem.* 302.

I N D E X.

<i>Solvuntur objectiones contra tertiam & quartam partem.</i>	303.
ARTICULUS VI. <i>An se præparanti cum auxilio gratiæ actualis gratia habitualis infallibiliter infundatur; & an in omnibus sit æqualis, & amitti possit?</i>	307.
<i>Prænot.</i> Quomodo erroneè circa gratiæ sanctificantis proprietates sentiant adversarii.	<i>ibid.</i>
<i>Conclusio.</i> Homini se debiti præparanti cum auxilio gratiæ actualis infallibiliter gratia sanctificans à Deo infunditur: quæ tamen non est in omnibus æqualis, sed pro ratione dispositionis potest augeri, & amitti.	<i>ibid.</i>
<i>Solvuntur objectiones contra tertiam partem.</i>	308.
ART. VII. <i>An homo possit certò scire, se esse in gratia?</i>	310.
<i>Prænot.</i> 1. Quid, & quotuplex certitudo.	<i>ibid.</i>
2. Errores.	<i>ibid.</i>
3. Opinio Scholæ.	<i>ibid.</i>
<i>Conclusio.</i> Quamvis homo certitudine morali, ac conjecturali scire possit, se esse in gratia; non tamen certitudine fidei, vel theologicâ, seu morali absolutâ, infallibili, quæ omnem excludit formidinem, seclusâ Dei revelatione.	311.
<i>Solvuntur objectiones contra secundam partem.</i>	312.
QUÆSTIO IV. DE MERITO.	
ARTICULUS I. <i>An detur meritum, & quænam ad illud requirantur conditiones?</i>	
<i>Prænot.</i> 1. Quid sit meritum latè sumptum.	319.
2. Quotuplex sit.	<i>ibid.</i>
3. Quotuplex meritum de condigno.	<i>ibid.</i>
4. Quotuplex meritum de congruo.	<i>ibid.</i>
5. Quot conditiones requisitæ.	320.
6. Quod omne meritum rejiciant Lutherani & Calvinistæ.	<i>ibid.</i>
<i>Conclusio.</i> Hominum justorum opera verè, & propriè apud Deum sunt meritoria. <i>Est de Fide; etiam de condigno.</i>	<i>ibid.</i>
<i>Solvuntur objectiones.</i>	321.
<i>Solvuntur objectiones contra secundam partem.</i>	327.
ARTICULUS II. <i>Quænam homo sibi, ac aliis promereri possit?</i>	
<i>Conclusio I.</i> Nullus sibi de condigno, nec de congruo potest mereri primam gratiam actualem. <i>Est de Fide contra Pelagianos & Semipelagianos.</i> Potest tamen homo justus aliis mereri gratiam primam actualem de congruo, sed fallibili; & quilibet etiam peccator sibi cum prima mereri secundam, etiam efficacem ad perseverandum.	<i>ibid.</i>
<i>Solvuntur objectiones.</i>	333.

I N D E X.

- Conclusio II.* Nemo potest sibi, nec alteri mereri de condigno primam gratiam habitualem, nec jus ad primum gradum gloriae eidem correspondentem, nec reparationem suam post lapsum futurum: potest tamen de condigno mereri ipsam gloriam jure per gratiam acquisito de condigno debitam, & augmentum gratiae sanctificantis, ac gloriae ei correspondentis, & bona temporalia, in quantum ad salutem necessaria & utilia sunt. 335.
- Solvuntur objectiones contra primam partem.* 338.
- Solvuntur objectiones contra secundam partem.* 341.
-

Errata quilibet benevolus Lector percipiet.



